SACRA LITURGIA

Cum duo præcipue in sàcerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, Instit. Seminarii, Part. 3. Cap. I.

SACRA LITURGIA

TOMUS II

TRACTATUS

DE RUBRICIS MISSALIS ROMANI

AD USUM ALUMNORUM
SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS MECHLINIENSIS

OPERA

J. F. VAN DER STAPPEN

EPISC. TITUL. JOPPEN., AUXIL. EMI AC RMI DNI PETRI LAMBERTI
CARD. GOOSSENS, ARCHIEP. MECHLIN.
SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

WITHDRAWN

EDITIO ALTERA.

MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA
FIDE NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
1902

PETRUS LAMBERTUS

TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS GOOSSENS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS PRIMAS BELGII

Omnibus has visuris salutem in Domino.

Cum hic Tractatus *de Rubricis Missalis Romani*, ad usum alumnorum Seminarii nostri de novo editus, et ad normam recentiorum Decretorum reformatus, claritate et utilitate multum commendetur, libenter eum approbamus, adhortamurque nostrum Clerum ut, hoc opus diligenter perlegendo et perscrutando, quotidie magis in necessariis hujusmodi scientiis proficiat.

Datum Mechliniæ, die 10 Novembris 1902.

† P. L., Card. GOOSSENS, *Arch. Mechl.*

Venerabili Fratri JOSEPHO *Episcopo Titulari Joppeno eidemque Auxiliari Archiepiscopi Mechliniensis*

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibuit tuo nomine Nobis dilectus filius ab epistolis Nostris ad Principes libros de re lithurgica quinque, quos ipse haud ita pridem edidisti ut eam publice doctrinam efferres quam in sacro seminario Mechliniensi tradidisti. Nos quidem valde delectat quod ipso in exordio Pontificatus Nostri praeclarum opus de divino peragendo cultu, pluribus auctum, iterum emiseris ; in id enim navitatem tuam egregie contulisti in quo Nostrae quoque curae magnam partem evigilant. Porro erudite atque accurate condita esse volumina magnopere gaudemus, minimeque dubitamus quin magisterii tui fructus non modo Mechliniae, verum etiam apud cetera seminaria uberes ac laeti parentur. Votis idcirco atque optatis tuum opus prosequimur, illudque ut manibus clericorum versetur, omnique per-

volutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE RUBRICIS MISSALIS ROMANI

NOTIONES PRÆVIÆ

Q. 1. *Quod est argumentum hujus Tractatus?*

R. In præsenti Tractatu exponuntur leges seu Rubricæ descriptæ in Missali Romano, secundum quas determinatæ preces dicendæ sunt in Sanctissimo Missæ Sacrificio.

Materia est celebratio Sanctissimi Missæ Sacrificii, cujus præstantiam indicat ipsum nomen, quia Sacrificium Missæ peragere potissimum est ac longe ante cætera excellens munus Sacerdotum in Ecclesia Dei.

Quæ spectant Missæ Sacrificium, ejusque celebrationem exponuntur in Theologia, sive dogmatica, sive morali, sive ascetica, necnon in Jure Canonico; præstantior pars tamen et magis practica expositionis hujus Sacrificii pertinet ad Sacram Liturgiam, ejusque materia Liturgica tanti est momenti, ut in duplici Tractatu de hac nobiliori Sacræ Liturgiæ parte sit dicendum.

Præsens Tractatus ea perhibet quæ supra in principio responsi indicantur, et inscribitur **Tractatus de Rubricis Missalis Romani.**

In altero Tractatu describuntur Ritus, seu Cæremoniæ in ejusdem Sacrificii celebratione observandæ, et inscribitur **Tractatus de celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii.**

§ 1. De nomine Missæ, et de Missarum distinctione

Q. 2. *Quibus nominibus in Liturgicis Libris et apud Sanctos Patres designatur SS. Missæ Sacrificium?*

R. 1° Primum ac vetustius nomen Eucharistico indi-

tum Sacrificio illud est quod in Actibus Apostolorum (Cap. XX, ℣. 7) legitur, id est, **Fractio panis.**

2° Sæculis secundo, tertio, et sequentibus usitatissimum nomen accepit **Collectæ**, et **Synaxis**, quia colligitur in unum populus ut Sacrificio intersit ; verum nonnumquam hoc nomen pro solemni quovis conventu usurpatur, quia colligi in unum populus solebat non solum ad Sacrificium, sed et ad alia **Officia divina.** (Tertullianus, S. Hieronymus.)

3° **Dominicum** dicitur, quia maxima est et præcipua functio, quæ Domini institutione et præcepto in Ecclesia peragitur. (S. Cyprianus, S. Augustinus.)

4° **Liturgia** vocatur, scilicet publicum ministerium, eo quod celebratio Missæ sit ministerium eminenter publicum centrumque totius Catholici cultus. (S. Clemens Romanus.)

5° Vertente autem sæculo tertio jam ad finem, et sæculo quarto, in Ecclesia Latina commune fuit nomen **Missæ**, de quo modo dicendum est. (S. Ambrosius, Peregrinatio Silviæ.)

Q. 3. *Unde derivatur vox « Missa » ?*

R. Communior opinio probabilius putat *Missam* a Latino derivari, quæ vox idem valet ac *missio, dimissio, abeundi venia.* — Vox Missa non est participium verbi *mitto* (subauditis vel concio, vel congregatio, vel oblatio) ; sed est substantivum, altera forma vocis *Missio ;* quemadmodum *remissa* pro *remissio, oblata* pro *oblatio, ascensa* pro *ascensio* veteres dixerunt.

Q. 4. *Quare Sacrificium Novæ Legis nomine* **Missæ** *indicatur ?*

R. Quia in Sacrificii Liturgia duæ dimissiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos et infideles post Evangelium et Concionem ; altera cæteros omnes, Missa peracta, dimittebat illis verbis : *Ite, Missa est,* (id est : Ite, abeundi venia est seu datur) ; quæ secunda dimissio etiamnum remanet ; inde Sacrificio nostro Missæ nomen inditum. Cum autem antiquitus non una sed binæ fierent dimissiones, propterea Sacrificium appellabatur non modo *Missa*, sed etiam *Missæ*, in plurali (Mis-

sas facere, Missarum solemnia). Ita Benedictus XIV, *De Sacrificio Missæ*, Lib. 2, C. 1, n. 2.

Sunt qui et aliam significationem voci *Missa* dant : « Dicitur (ait S. Bonaventura in Expositione Missæ, Cap. 2) Missa a *mittendo*, et repræsentat legationem inter homines et Deum ; Deus enim mittit Filium suum Christum in Altare, et iterum mittit Ecclesia fidelis eumdem Christum ad Patrem, ut pro nobis intercedat. »

Vel juxta alios dicitur Missa, quia Sacerdotis ministerio, qui partes mediatoris Deum inter et homines agit, fidelium preces ad Deum mittuntur seu deferuntur. (Ita S. Gregorius, Lib. IV Dialogorum, Cap. 58, et cum eo sentit S. Thomas, in III parte, Q. 83, art. 4.)

Prima etymologia, ait Benedictus XIV (loco citato), verior videtur, altera ad pietatem propensior.

Cur autem hoc vocabulum veteres Christiani adhibuerint, atque a minima eaque accidentali Sacrificii parte totum ipsum Sacrificium appellaverint, id auctores ex arcani disciplina repetunt, nimirum, ut hominibus falsas religiones colentibus res divina omnino ignota remaneret.

Animadvertendum remanet *Missæ* nomen non semper ab antiquis scriptoribus pro Sacrificio usurpatum fuisse, sed post quartum sæculum etiam omnibus ecclesiasticis Officiis tum diurnis tum nocturnis tributum fuisse ; ita Matutinum aliquando nominatur *Missæ matutinæ*, et Vesperæ dicuntur *Missæ vespertinæ ;* quia nimirum olim, absoluto Officio, facultas abeundi, quemadmodum nunc fit in exitu Sacrificii, tribuebatur ; sed tunc, ad distinguendum Sacrificium ab Officio, Sacrificium numero plurali vocari cepit, ut supra notatur.

Q. 5. *Quomodo præcipue, intuitu materiæ explicandæ, distinguuntur diversæ Missæ celebrandæ ?*

R. Distinguuntur 1° ratione solemnitatis extrinsecæ quacum celebrantur, in **solemnes, cantatas et privatas** ; — 2° ratione obligationis vi cujus debent celebrari, in **publicas**, quæ sunt **conventuales aut parochiales**, et **privatas** ; — 3° ratione conformitatis cum Officio divino seu Horis canonicis, in **conformes Officio et non conformes Officio.**

Q. 6. *Quænam Missa dicitur* **solemnis** *?*

R. Missa **solemnis** communiter dicitur illa, quæ omnem habet solemnitatem cantus, thuris, ministrorum sacrorum, earumque cæremoniarum, quas præscribunt Missale Romanum et Cæremoniale Episcoporum.

Quando celebratur ab Episcopo vocatur Missa **Pontificalis.**

Q. 7. *Quid est Missa* **privata,** *prout distinguitur a solemni ?*

R. Missa **privata,** prout distinguitur a solemni, est illa quæ privatim, id est, sine cantu, sine thure, uno tantum ministrante clerico, celebratur.

Vocatur etiam Missa **lecta, plana, secreta, bassa.**

Q. 8. *Explica quid sit Missa* **cantata.**

R. Missa **cantata** ea est quæ media inter solemnem et privatam de utraque participat, cum solemni enim habet cantum, cum privata vero convenit in hoc quod incensum in ejus celebratione non adhibetur, et quod celebratur sine Ministris sacris Diacono et Subdiacono.

Vocatur etiam Missa **media.**

Q. 9. *Quid est Missa* **conventualis** *?*

R. Missa dicitur **conventualis,** quæ in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus quotidie celebratur juxta ordinem Officii, post determinatam Officii divini Horam Canonicam, convenientibus ad eam Canonicis et clericis hujusmodi Ecclesiis adscriptis.

Vocatur etiam Missa **capitularis.**

Q. 10. *Quænam Missa dicitur* **parochialis** *?*

R. Est illa Missa, quam omnes qui actu curam animarum exercent tenentur, tum ex jure divino, tum ex jure ecclesiastico, pro grege suo offerre et applicare, omnibus diebus dominicis et festivis qui designantur in Constitutione Urbani VIII, *Universa per orbem*, data Idibus Septembris 1642, et in Epistola Encyclica Pii IX, *Amantissimi Redemptoris*, 3 Maji 1858.

Vocatur hæc Missa in variis documentis **publica, major, alta, præcipua, generalis, communis.**

Q. II. *Quinam sunt dies in quibus celebrari debet Missa parochialis pro populo, et quid de variis obligationibus in his diebus notandum venit?*

R. I. Sunt dies sequentes (recensentur hic ordine quo occurrunt in Kalendario) :

Dominicæ omnes totius anni.

Festa mobilia :
Feria II post Pascha.
Feria III post Pascha.
Ascensio Domini.
Feria II post Pentecosten.
Feria III post Pentecosten.
Festum SS. Corporis Christi.

Festa fixa per annum :

1	Januarii,	Circumcisio Domini.
6	»	Epiphania Domini.
2	Februarii,	Purificatio B. M. V.
24 vel 25	»	S. Mathias, Apostolus.
19	Martii,	S. Joseph, Sponsus B. M. V.
25	»	Annuntiatio B. M. V.
1	Maji,	SS. Philippus et Jacobus, Apostoli.
3	»	Inventio S. Crucis.
24	Junii,	Nativitas S. Joannis Baptistæ.
29	»	SS. Petrus et Paulus, Apostoli.
25	Julii,	S. Jacobus, Apostolus.
26	»	S. Anna, Mater B. M. V.
10	Augusti,	S. Laurentius, Martyr.
15	»	Assumptio B. M. V.
24	»	S. Bartholomæus, Apostolus.
8	Septembris,	Nativitas B. M. V.
21	»	S. Matthæus, Apostolus et Evangelista.
29	»	Dedicatio S. Michaelis, Archangeli.
28	Octobris,	SS. Simon et Judas, Apostoli.
1	Novembris,	Festum Omnium Sanctorum.
30	»	S. Andreas, Apostolus.
8	Decembris,	Immaculata Conceptio B. M. V.
21	»	S. Thomas, Apostolus.
25	»	Nativitas D. N. Jesu Christi.
26	»	S. Stephanus, Protomartyr.

27 Decembris, S. Joannes, Apostolus et Evangelista.
28 » SS. Innocentes Martyres.
31 » S. Silvester, Papa et Confessor.

Præterea Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia. (In nostra Diœcesi ut talis colitur S. Joseph, cujus Festum jam recensetur supra, 19 Martii. Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 223.)

Insuper Festum Patroni principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi talem Patronum haberi et venerari contigerit. (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 219 ad 227.)

II. In his diebus et Festis adest ab antiquo et remanet hucusque integra obligatio applicandi Missam pro grege; pro reliquo cultu horum Festorum sequens distinctio animadverti debet in nostra Diœcesi:

1° Sunt dies et Festa in quibus adest et remanet obligatio celebrandi divina Officia cum debita solemnitate, et audiendi Missam, ac abstinendi ab operibus servilibus. Sunt:

Dominicæ omnes totius anni.
Ascensio Domini.
Assumptio B. M. V.
Festum Omnium Sanctorum.
Nativitas D. N. Jesu Christi.

2° Sunt Festa in quibus divina Officia sunt celebranda ut diebus Dominicis cum debita solemnitate, sed pro quibus obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus fuit translata ad Dominicam sequentem, si non occurrant in diem Dominicam. Sunt:

Epiphania Domini.
Festum SS. Corporis Christi.
SS. Petrus et Paulus, Apostoli.
Patronus principalis in quacumque civitate, oppido vel pago.

Ita statutum fuit per Indultum datum a SS. Domino Pio Papa VII, 9 Aprilis 1802.

In Directorio seu Kalendario Diœcesis Mechliniensis notatur in casu ad hæc Festa quod *Solemnitas transfertur in Dominicam sequentem.*

3° Sunt Festa in quibus divina Officia sunt celebran-

da ut diebus Dominicis, sed in quibus obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus fuit omnino abrogata. Sunt :

Circumcisio Domini.
Feria II post Pascha.
Feria II post Pentecosten.
Purificatio B. M. V.
Annuntiatio B. M. V.
Nativitas B. M. V.
Immaculata Conceptio B. M. V.
S. Stephanus, Protomartyr.

Ita statutum fuit per supra citatum Indultum 9 Aprilis 1802.

In Directorio notatur ad hæc Festa : *Hodie Festum abrogatum.*

4° Sunt reliqua Festa ex supra enumeratis, in quibus non amplius exstat obligatio celebrandi Officia divina ut diebus Dominicis, nec obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus, remanente tantum obligatione applicationis pro grege.

Ita statutum jam fuerat ante annum 1802, et speciatim per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771.

In Directorio seu Kalendario Mechliniensi pro omnibus Festis adnotatur obligatio applicandi Missam pro populo litteris M. P. appositis post designationem Festi. Non notatur pro diebus Dominicis, quia regula generalis est pro omnibus. Item non notatur pro Patrono loci, sed uniuscujusque, ad quem spectat, munus est hanc applicationem debita die Festi facere.

Si Festum aliquod, in quo Missa pro grege celebranda est, incidit in diem Dominicam, obligationi satisfit semel applicando pro populo.

Translato Officio alicujus Festi, non transfertur obligatio applicationis pro grege, quæ suæ diei affixa remanet.

Reliqua de hac Missa parochiali explicantur in Jure Canonico.

Q. 12. *Quid est Missa* **privata** *prout distinguitur a conventuali et parochiali, seu publica ?*

R. Missa privata hic intelligitur illa pro qua dicenda aut applicanda nulla existit obligatio publica, qualis

datur pro conventuali et parochiali ; sed quæ celebratur vel ex devotione, vel ob stipendium, vel ob quodcumque aliud motivum. (De Missa privata hoc sensu accepta agitur in Rubricis generalibus Missalis, Tit. IV, n. 3.)

Vocatur hujusmodi Missa **manualis, adventitia,** quando ejus applicatio fit ratione stipendii manualis, libere dati et accepti ; — **fundata, legata,** quando applicatur pro exoneratione fundationis, perpetuæ vel temporalis. In antiquis documentis occurrit etiam nomen **Missæ annualis**, quæ ratione beneficii quotidie per annum pro fundatore debet celebrari.

Q. 13. *Quænam prænotanda sunt pro intelligentia distinctionis Missarum ratione conformitatis cum Officio divino ?*

R. Ex variis precibus quæ dicuntur in celebratione Missæ cujuscumque, quædam earum dicuntur quotidie eædem, quando dicendæ sunt, et describuntur in ea parte Missalis cujus titulus est : Ordo Missæ (de quo dicetur postea in § 2, Q. 33, ubi agitur de Missali) ; tales sunt Psalmus *Judica*, Hymnus *Gloria*, Symbolum, preces in oblatione panis et vini, Canon Missæ, etc.

Aliæ vero preces, quæ in Ordine Missæ non reperiuntur, quotidie mutantur et diversæ dicuntur, selectæ secundum quod rogat Tempus anni ecclesiastici, vel Festum quod celebratur, respondentes Officio Horarum Canonicarum quod singulis diebus recitatur, sensumque hujus quasi complentes ; hujusmodi preces variantes sunt : Introitus, Oratio, Epistola, Graduale et quæ ad illud pertinent, aut ejus locum tenent, Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio, Postcommunio.

Istæ preces mutabiles Missæ in Missali describuntur conjunctæ pro singula Missa, et ipsis quidem nomen Missæ fuit datum ; et ita, quando dicitur quod Missa celebratur de Dominica prima Adventus, vel de Festo Assumptionis B. Mariæ V., intelligitur quod istæ preces variantes sunt propriæ pro hac Dominica, pro hoc Festo, et in Missis his diebus celebratis dici debent.

Istæ Missæ non raro nomen habent ab initio Introitus, et ita vocantur Missa *Ad te levavi*, Missa *Gaudeamus*, Missa *Statuit*, etc.

Q. 14. *Quot et quænam Missæ sunt quæ dicuntur juxta ordinem Officii, seu Officio divino conformes ?*

R. In Tractatu de Officio divino exponitur (Q. 101), de quo objecto quotidie per annum dicendæ sunt Horæ Canonicæ, quod objectum quintuplex ibi indicatur ; ita quoque sunt quinque diversæ species Missarum, quæ dicuntur juxta ordinem Officii, seu conformes Horis Canonicis, secundum hoc quintuplex objectum, scilicet Missæ : 1° de Dominica ; 2° de Feria ; 3° de Festo, vel duplici, vel semiduplici, vel simplici, aut de Officio votivo ; 4° de Octava ; 5° de Vigilia.

Duæ primæ species vocantur generatim Missæ de Tempore (scilicet anni ecclesiastici), reliquæ dicuntur item generatim Missæ de Sanctis.

Q. 15. *An Missa ordinarie debet esse conformis Officio ?*

R. Rubrica Missalis (Tit. IV, n. 3) respondet : « Quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. » Et ubi concedit, eodem n. 3, quod Missæ quædam Officio non conformes dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est duplex, aut de Dominica, statim addit : « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. »

Q. 16. *Quare Missa ordinarie debet esse conformis Officio ?*

R. Ratio hujus conformitatis dari potest : 1°, quia ab Ecclesia destinantur singuli dies vel in cultum et honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii vel operis divini, et consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eumdem finem omnes sacras functiones cujuslibet diei, quales præcipuæ sunt Officium divinum et Missa ; ita enim integrum cultum et non dimidiatum exhibet illis, quos colere intendit ; 2°, quia Officium est præparatio et dispositio ad Missam ; inter se consentiant igitur oportet dispositio et ultima ac sublimior forma ad quam disponit.

Q. 17. *Quot et quænam sunt Missæ quæ dicuntur extra ordinem Officii, seu Officio divino non conformes ?*

R. Generatim omnis Missa quæ non correspondet cum Horis Canonicis Officii recitati nomen habet Missæ votivæ, sed distinguuntur duæ species : 1°, Missæ

quarum formulæ, seu preces variantes speciales dicuntur pro Defunctis, et vocantur **Missæ de Requiem** ; et 2°, Missæ quæ respondent votis seu desideriis particularibus, extra ordinem Officii, et vocantur proprie et speciatim **Missæ votivæ.**

Q. 18. *Indica et explica alias quæ in usu sunt distinctiones Missarum.*

R. Sunt et nonnulla alia genera Missarum, quarum distinctio desumitur ex variis ritibus, vel circumstantiis accidentalibus, in quibus eædem Missæ celebratæ sunt. Præcipuæ ex his Missis breviter hic recensentur, quæ aliquando, vel in Historia Ecclesiæ, vel in Jure Canonico, vel in Liturgia memorantur.

1. **Missa Catechumenorum** est tantum pars Missæ, quæ constat iis ritibus qui peraguntur ab Introitu usque ad Symbolum, aut Offertorium exclusive ; et dicebatur Missa seu Missio Catechumenorum, quia, absoluto sermone post Evangelium, dimittebantur Catechumeni ab Ecclesia, dicente Diacono : « Si quis est Catechumenus, exeat foras. »

2. **Missa fidelium**, etiam dicta **Sacramentorum**, est Missa perfecta seu completa, in qua sacra Mysteria peraguntur a quibus arcebantur Catechumeni ; incipiebat a professione fidei seu Symbolo, et complectebatur Offertorium et reliqua usque ad finem Missæ.

3. **Missa Præsanctificatorum** vocatur illa, in qua Sacerdos non consecrat, sed tantummodo Sacramentum antea consecratum sumit sub unica specie panis. — Græci hujusmodi Missam celebrant omnibus diebus Quadragesimæ, si excipias Sabbata, Dominicas, et Festum Annuntiationis, in quibus communi Missæ locus est. Die enim Dominica, præter illius diei oblationem, consecrant quinque panes seu hostias pro totidem sequentibus feriis, in quibus sub vesperam conveniunt Sacerdotes in Ecclesiam, et ibi intra Vespertinarum precum Officium, unam panis particulam sumunt, præmissis quibusdam Psalmis, Lectionibus et Orationibus. — Occidentalis Ecclesia non utitur Præsanctificatorum ministerio, nisi Feria VI Majoris Hebdomadæ in Parasceve.

4. **Missa solitaria** est illa quæ a solo Sacerdote, nemine præsente aut ministrante, celebrabatur olim in monasteriis. — Sacri Canones districte prohibent hodie ne quis Sacerdos solus, sine ullo ministro, sacrum Mysterium conficiat; et jam diu abusus hic cessavit.

5. **Missa sicca,** seu **nautica** dicitur illa quæ non solum Oblatione et Consecratione caret, sed etiam sumptione Corporis Christi. Olim introducta fuerat in gratiam infirmorum et navigantium; sed cum contineat veram sacrificandi et celebrandi simulationem, nullo modo toleratur.

6. **Missæ bifaciatæ, trifaciatæ, etc.,** olim in Galliis usitatæ, illæ erant quæ inde a principio usque ad Offertorium bis vel ter successive iterabantur, deinde uno Canone concludebantur, tot additis in fine Orationibus post communionem, quot initio recitatæ fuerant. Merito, cum sint contrariæ divinæ institutioni et Ecclesiæ consuetudini, reprobatæ fuerunt.

7. **Missæ nuncupatæ S. Gregorii, pro vivis et defunctis,** de quibus agitur in Decreto S. Rituum Congregationis quod immediate post Bullam Urbani VIII in Missali describitur, sunt Missæ numero triginta, prorsus ineptæ et rebus haud convenientibus refertæ, quas quidam sine ulla facultate temere confecerat, easque a S. Gregorio appellaverat. Per Decretum 16 Januarii 1617, S. Rituum Congregatio eas celebrari omnino vetuit; non vero piam reprobavit consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione qui e vivis decessit. (Cfr. Benedictus XIV, *Institutio ecclesiastica* 34, n. 22.)

8. **Missæ quindecim Auxiliatorum,** quæ eodem Decreto supra citato prohibitæ sunt, etiam antiquitus circumferebantur sub formulariis propriis minus convenientibus. Formularia tantum prohibita sunt; si de his Sanctis Auxiliatoribus dicenda sit Missa, celebrari potest de Communi plurimorum Martyrum 1° vel 2° loco, non expresso nomine; major enim eorumdem pars est ex numero Martyrum et describitur in Martyrologio.

Sancti Auxiliatores sunt sequentes: 1 S. Blasius, Martyr, reperitur in Martyrologio 3 Februarii; 2 S. Georgius, Martyr, 23 Aprilis; 3 S. Erasmus, Martyr, 2 Junii; 4 S. Vitus, Martyr, 15 Junii; 5 S. Margarita, Virgo et Martyr, 20 Julii; 6 S. Christophorus, Martyr, 25 Julii; 7 S. Pantaleon, Martyr, 27 Julii; 8 S. Cyriacus, Martyr, 8 Augusti; 9 S. Ægidius, Abbas, 1 Septembris; 10 S. Eustachius, Martyr, 20 Septembris; 11 S. Dionysius, Martyr, 9 Octobris; 12 S. Catharina, Virgo et Martyr, 25 Novembris; 13 S. Acatius, Episcopus Antiochenus et Martyr sub Decio, honoratur in Ecclesia Græca, sed non reperitur in Martyrologio Romano; 14 S. Barbara, Virgo et Martyr, 4 Decembris; tandem 15 B. Virgo Maria.

Sancti Auxiliatores præsertim honorantur in Germania, ad avertendum mala et obtinendum bona per eorum intercessionem; cultus hujus specialis origo ignota omnino est.

Q. 19. *Quibus linguis usi sunt Apostoli in celebratione Missæ ?*

R. Certo demonstrari nequit, num Apostoli in celebratione SS. Missæ Sacrificii adhibuerint vel diversas gentium apud quas Christi fidem prædicabant, vel tantum linguas aramaicam (syrochaldaicam), græcam aut latinam.

Hisce tribus tantum linguis ipsos usos fuisse creditur, et eruitur ex eo quod per quatuor priora sæcula nullum alicujus Liturgiæ documentum reperiatur, nisi conscriptum una alterave harum trium linguarum quibus scriptus fuit titulus Dominicæ Cruci impositus.

Q. 20. *Quænam lingua primitus in usu fuit in Ecclesia Romana ? Quænam postea præscripta fuit et hodiedum est ?*

R. In Ecclesia Romana linguam græcam sæculis secundo et maxime tertio viguisse indubium videtur, quod inter alia demonstrant liturgica antiquæ linguæ vestigia, quæ et in hodierna Liturgia remanent ; etenim varia nomina in ea occurrunt quæ græca sunt : acolythus, diaconus, presbyter, episcopus, canon, baptismus, Eucharistia, etc. ; ex hoc similiter oritur praxis quæ etiam hodie in usu est, quod in solemni Missa a Summo Pontifice celebrata, lectio Evangelii et Epistolæ non modo latina, sed etiam græca lingua fiat ; et antiquus mos legendi græca lingua Passionem Domini in Capella papali.

Per totum Occidentem vero, nempe in Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Germania, lingua latina a sæculo tertio et quarto semper in usu fuit.

Imo, longe lateque per totum orbem Catholicum diffusa est in re divina peragenda lingua latina, et in Romano ritu nonnisi latino sermone Missa celebratur. Contra hanc præscriptionem impudenter deblaterant semper quotquot sunt hæretici, schismatici, rationalistæ, ex. gr., Albigenses, Reformatores omnes, Jansenistæ, Gallicani, Josephistæ, et nostris diebus veteres catholici ; calumniantes idcirco latina lingua ab Ecclesia Romana Missam celebrari, ut Sacrificii mysteria populus omnino ignoret. Mendacium id esse satis ostendunt verba Concilii Tridentini (Sessio XXII, De

Sacrificio Missæ, cap. 8) : « Etsi Missa magnam contineat populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo et a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus pastoribus et singulis animarum curam gerentibus,ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis. » (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. II.)

Q. 21. *Quid notari potest de aliis linguis quæ pro celebratione Missæ in usu sunt ?*

R. Circa finem sæculi noni, permisit Adrianus II primum, deinde Joannes VIII, ut gentes a Sanctis Cyrillo et Methodio conversæ usurparent in sacris peragendis linguam slavonicam (cfr. Breviarium Romanum, 7 Julii) ; quod ea de causa permissum præsertim putatur, ut ita impediretur earumdem gentium defectio a Catholica fide ad schisma Græcorum. Postea in Oriente etiam permisit Ecclesia, ut ad unitatem Catholicam redeuntes schismatici quidam et hæretici retinerent sua idiomata in re divina peragenda, quales sunt Copti, Armeni, Æthiopi.

Hodiedum in usu sunt in Catholica Liturgia duodecim diversæ linguæ, nempe 1 latina, 2 græca, 3 syriaca, 4 chaldaica, 5 arabica, 6 æthiopica, 7 slavonica (glagolitica), 8 ruthena, 9 bulgarica, 10 armenica, 11 coptica, 12 rumanica. Excepta ultima, rumanica, omnes quotquot recensentur liturgicæ linguæ sunt mortuæ, seu quæ non amplius in usu apud populum sunt ; tantum rumani uniti utuntur sua lingua vernacula, quod Ecclesia non expresse sed sub silentio patitur. (Gihr, *Das Heilige Messopfer*. II, § 32.)

In Dalmatia præsenti sæculo usus linguæ slavicæ pluribus in ecclesiis paulatim in desuetudinem abire, ac consuetudo invalescere cepit, ut ea tantum slavice

efferantur quæ alta voce sunt cantanda, latine vero cætera omnia dicantur quæ submissa voce a Sacerdote recitari debent ; imo eousque ventum est, ut, antiquo idiomate slavico relicto, lingua moderna croatica vel serbica ea cantentur quæ ex præscripto Rubricarum Missalis Romani cantanda sunt ; hujusmodi vero nova linguarum liturgicarum mixtura nonnisi per ratihabitionem Romani Pontificis legitima fieri potest. (Nilles, *Kalendarium utriusque Ecclesiæ*, II.) Hac de re S. Rituum Congregatio resolutiones varias elicere censuit, die 13 Februarii 1892 (Decret. n. 3768), quibus inter alia præscripsit linguam slavicam in functionibus liturgicis, ubi legitime in usu est, debere esse antiquam, non modernam sive vulgarem ; deinde novas regulas pro usu linguæ slavicæ statuit per Litteras 5 Augusti 1898 (Decret. n. 3999) ; et declarationes dedit super usu linguæ palæoslavicæ, per Decreta 14 Augusti 1900, et 14 Martii 1902 (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 59 ; et XVI, 1902, p. 289).

§ 2. De Missali Romano

Q. 22. *Quis liber liturgicus vocatur Missale Romanum ?*

R. **Missale Romanum** vocatur præstantissimus ille liber liturgicus qui continet ordinem et regulas, scilicet preces dicendas, ritus servandos, cæremoniasque exercendas, ad celebrandum debite secundum ritum Romanæ Ecclesiæ Sanctissimum Missæ Sacrificium.

Q. 23. *Quid notari potest ex priorum sæculorum testimoniis, relate ad formulas adhibendas in celebratione SS. Missæ Sacrificii ?*

R. I. Nulla amplius exstant certa testimonia liturgici ritus aut formulæ Missæ temporum Apostolicorum. Cardinalis Bona censet Apostolos non unam formulam, sed diversas adhibuisse : brevem quidem, cum temporis angustia vel persequentium metu premebantur ; qualem intendit S. Gregorius Magnus, dicens Apostolos Oblatorum Consecrationi nihil præter Dominicalem Orationem adjunxisse ; prolixam vero, cum per tempus et occasionem licebat ; crescente enim fide-

lium numero, ceperunt jam ipsi Apostoli lectiones, preces, cæremoniasque adjicere, quibus et Sacrificii dignitas clarius elucesceret, et major Ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium ac fervor magis accenderentur.

Hæc Apostolorum Liturgia, quæ communiter nominatur **Liturgia Clementina**, tribus prioribus sæculis in omnibus fere partibus immutata remansit, et quoad essentiam conservata creditur in Libris II et III **Constitutionum Apostolicarum**, quæ Constitutiones verosimiliter compositæ fuerunt in Asia minori.

II. Successivis temporibus in Liturgia Apostolorum a Romanis Pontificibus abbreviationes et mutationes factæ fuerunt, præsertim a S. Damaso († 384) et a S. Leone I Magno († 461) ; S. Gelasius I († 496) partim formulas a præcedentibus Pontificibus statutas assumpsit, partim Præfationes et Orationes stylo vere liturgico adjunxit ; S. Gregorius I Magnus († 604) tandem opera prædecessorum suorum in Sacramentarii volumine coarctavit, multa subtrahens, pauca quædam convertens.

Exstant hodiedum tamquam antiquissima hujus epochæ monumenta :

1° **Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ**, qui etiam vocatus fuit **Sacramentarium Gelasianum**, cujus exemplar sæculi VIII exeuntis reperitur in Bibliotheca Vaticana.(Novam ejus editionem curavit H. A. Wilson. Oxford. 1894.)

2° **Sacramentarium Gregorianum.** Quale illud confecit S. Gregorius Magnus, non ad nos pervenit opus, sed reperiuntur exemplaria sæculi VIII exeuntis ; tunc enim (784 inter et 791) S. Adrianus Papa ad Carolum Magnum misit exemplar, cujus transcriptiones tunc temporis factæ non paucæ adhuc in variis bibliothecis asservantur.

3° **Sacramentarium Leonianum.** Est quidem liber Romanus, sed collectio precum a quodam ignoto sine ordine composita, et ab aliis immutata, cui immerito nomen S. Leonis fuit inscriptum.

Sunt et alii hujus temporis liturgici fontes, quos descriptos vide apud Duchesne : *Origines du culte chrétien.* Paris. 1889. Chapitre V, § 1.

Q. 24. *Quinam antiquitus erant Ecclesiæ Latinæ libri, in quibus præscribebantur ea quæ in Missæ Sacrificio celebrando erant observanda ?*

R. Octo prioribus sæculis libri liturgici, quibus Ecclesia utebatur in Missarum solemniis celebrandis, non uno, sed plerumque quintuplici volumine comprehensi seorsim reperiebantur.

1. Primus liber et præcipuus, **Sacramentarium**, ea continebat quæ Sacerdos ad Altare stans recitabat, scilicet Orationes seu Collectas ante Epistolam, Præfationes, Orationes Secretas ante Præfationes, Canonem et Orationes post Communionem. Canon Missæ separatim conscriptus in medio Altari ponebatur, uti etiam hodie in Missa ab Episcopo celebrata fit.

Insuper in hoc Sacramentario libro referebantur ritus et ratio conferendi Sacros Ordines, ministrandi solemniter Baptisma, conficiendi Sacrum Chrisma et Oleum Sanctum, reconciliandi pœnitentes, et nuptias benedicendi.

Quum ergo ea quæ ad omnia seu conficienda, seu administranda Sacramenta, ac præsertim Eucharistiam a vetustissimis Ecclesiæ Patribus Sacramentum præcipue appellatam, pertinent, ejusmodi codici inscriberentur, nullo aptiore, quam Sacramentarii, aut Libri Sacramentorum nomine denotari poterat.

Vocabatur etiam **Liber Mysteriorum**, ea præsertim ratione, quia continebat ea quæ spectabant præcipuum ex Sacramentis et summum Mysterium Missæ.

2. Secundus liber, Lectionarium, tradebat Lectiones e Veteri Testamento, e libro Actuum Apostolorum, ex Epistolis, et ex Apocalypsi, per annum infra Missam dicendas. Quia vero ut plurimum Lectiones ex Epistolis S. Pauli Apostoli desumebantur, vocabatur etiam hic liber **Epistolare**, necnon **Apostolicum**.

3. Tertius, **Evangeliarium**, exhibebat ordinem quatuor Evangeliorum quæ per anni circulum intra Missam legebantur. Solemne semper fuit vetustis Ecclesiæ sæculis, ut non modo ad Missæ initium sacratissimus Evangelii Codex magna cum pompa ad Altare deferretur, sed perpetuo una cum Christi Cruce ibi maneret.

Non raro liber iste, quemadmodum quandoque etiam

Lectionarium, appellabatur **Comes**, quia viri ecclesiastici eum tamquam familiarem et individuum Comitem semper secum habere debebant.

4. Quartus, **Antiphonarium**, continebat Antiphonas et Psalmos ad Introitum, Graduale, Tractum, Offertorium, et Communionem, quæ in Choro cantari consueverant. Vocatus fuit etiam **Antiphonale, Responsale, Graduale.**

5. Quatuor isti libri communiter descriptum habebant tantum textum Precationum et Lectionum ; ritus vero servandi et cæremoniæ exercendæ præscribebantur in specialibus Libris qui **Ordines Romani** vocabantur.

Ordines Romani numerantur quindecim, quorum primus, agens de Missa, pro parte referri potest ad finem sæculi VII ; sequentes octo agentes tum de Missa, tum de Baptismo, de Ordinatione, aliisque ecclesiasticis functionibus, sunt sæculo IX anteriores ; reliqui sex huic sæculo posteriores. Eorum locum tenent hodie Pontificale Romanum et Cæremoniale Episcoporum.

Q. 25. *A quo tempore diversi isti libri fuerunt uno volumine conjuncti ?*

R. Cum usus diversorum librorum pro Missis absque solemnitate celebratis, seu privatis difficilis esset, inde a sæculo nono obtinuerunt **Missalia plenaria**, seu pleniter scripta, ea scilicet, in quibus quæcumque in Missis privatis celebrandis legenda singulis diebus præscribebantur, omnino continebantur.

Vestigium tamen antiqui ritus remansit in Missis ab Episcopis celebratis, in quibus Libri plures adhibentur, scilicet Missale et Liber qui dicitur Canon pontificalis. Inde etiam oriri dicunt aliqui auctores usum Tabellæ quæ ad Crucis pedem ponitur ante Sacerdotem celebrantem.

In nostris Missis solemnibus etiam retinetur usus Lectionarii et Evangeliarii pro sacris Ministris, et Gradualis pro Choro cantorum.

Q. 26. *Quæ causa fuit emendandi ac noviter edendi Missale Romanum ?*

R. Canon Missæ post S. Gregorium Magnum immutatus semper remansit. Pro reliquis vero Missæ partibus, sequentibus sæculis mutationes et additiones variæ, inconsulta Sede Apostolica, irrepserant, præsertim circa finem medii ævi, ita ut ubique fere desideraretur Gregoriani ritus puritas et simplicitas.

Pleræque diœceses habebant sua propria Missalia. (Cfr. W. H. Jacobus Weale : *Catalogus Missalium ritus Latini ab anno 1475 impressorum.* Londini 1886.)

In nostra Archidiœcesi Mechliniensi, qualis hodiedum extenditur, sæculo XVI in usu erant diversa Missalia, nempe Cameracense, Leodiense, forsan etiam Trajectense (Utrecht), et Tornacense. In his Missalibus plerumque Ordo Missæ, paucissimis exceptis, erat Romanus ; Missæ de Tempore et de præcipuis Festis erant eædem fere quam in Missali Romano, sed præsertim multæ additæ reperiebantur Prosæ et Sequentiæ ; in Missali Leodiensi ineuntis sæculi XVI describuntur circiter centum Prosæ vel Sequentiæ. (Cfr. Daris : *Notices historiques sur les églises du Diocèse de Liège.* Tome XV, pag. 128-264.)

Insuper multæ Missæ Sanctorum, et aliæ, diversissimi objecti et tenoris, non raro ineptæ, a privatis quidem sine ulla approbatione confectæ, in his Missalibus erant insertæ.

Q. 27. *Quid in hunc finem fuit a Concilio Tridentino præstitum, et quis Summus Pontifex, et quo anno, edidit Missale Romanum restitutum ?*

R. Concilium Tridentinum in Sessione XVIII, 16 Februarii 1562, delectis quibusdam Patribus commiserat ut emendationem Missalis elaborarent ; sed instante jam conclusione Concilii, infecto opere, tota res ad auctoritatem judiciumque Summi Pontificis relata fuit ex Decreto ejusdem Concilii, in Sessione XXV, 4 Decembris 1563.

Quare Summus Pontifex S. Pius V eruditis delectis viris onus hoc demandavit, qui quidem, diligenter collatis omnibus cum vetustis Vaticanæ Bibliothecæ, aliisque incorruptis codicibus, necnon veterum ac probatorum auctorum consultis scriptis, qui de sacro rituum

instituto monumenta reliquerunt, Missale ad pristinam Sanctorum Patrum normam ac ritum restituerunt.

Quod recognitum jam et castigatum S. Pius V anno 1570, 14 Julii, Bulla : *Quo primum*, edidit, et simul statuit et ordinavit, ne quis in posterum, qui Romano ritu celebrare consuevit, alio modo celebret quam juxta Missalis noviter editi formulam, alia Missalia penitus et omnino rejiciendo eorumque usum tollendo. Bulla hæc describitur in initio Missalis Romani.

Q. 28. *Quænam Missalia potuerunt retineri ?*

R. Illa Missalia poterant, sed non debebant, retineri, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis assidue in usu jam erant ; ex quo privilegio propria sua Missalia retinere potuerunt aliqui Monachorum et Religiosorum Ordines, ex. gr., Carthusiani, Dominicani.

Plerique Ordines Religiosi occidentales Missale Romanum ejusque ritum sequuntur ; sed ipsis Festa propria, ex. gr., Sanctorum et Beatorum Ordinis, eorumque Missæ, imo aliquando Præfationes propriæ, indulta fuerunt ; ita, ex. gr., Ordines S. Francisci habent suum Missale Romano-Seraphicum.

Q. 29. *Quid præcipit S. Pius V de obligatione Missalis ?*

R. Mandat et in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipit, ut, cæteris omnibus rationibus et ritibus omissis et rejectis, Missam juxta ritum, modum ac normam quæ per Missale traditur, omnes decantent ac legant ; neque in Missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ in Missali continentur, addere vel recitare quis præsumat.

Q. 30. *Quid in edendo Missali Romano præstiterunt Summi Pontifices Clemens VIII, Urbanus VIII, et Leo XIII ?*

R. I. Quum prætextu omnia Scripturæ Sacræ loca in Missali S. Pii V citata ad præscriptum Sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis revocandi, (S. Pius etenim retinuerat pro Scripturæ locis textum Italæ, et Vulgata edita fuerat annis 1590-1592), quidam typographi aliique Missalis textum pro arbitrio immutassent, Apostolica Sede inconsulta, Missalia ita depravata a Cle-

mente VIII, anno 1604, 7 Julii, Bulla : *Cum sanctissimum*, fuerunt prohibita et interdicta, et Missale suæ integritati fuit restitutum ; ac etiam in regulis et rubricis aliqua uberius ac clarius fuerunt expressa.

II. Urbanus VIII, Bulla : *Si quid est*, anni 1634, 2 Septembris, iterum emendavit Missale, in quo collata omnia cum codice Sacræ Scripturæ Vulgatæ editionis, quæque diversa irrepserant, ad ejus unius exemplum normamque correcta fuerunt.

III. Leo XIII ultimo recognovit Missale, ejusque novam editionem, anno 1884, tamquam typicam statuit, cui omnes in posterum editiones sint conformes. Hanc commendant : textus rubricarum juxta immutationes anni 1882 dispositus ; Missæ omnes pro universa Ecclesia præscriptæ, Missæ votivæ anno 1883 concessæ, Missæque multæ et novissimæ aliquibus provinciis vel diœcesibus a S. Sede indultæ, quæ omnes suo loco continentur ; tandem cantus de quo Summus Pontifex, per Decretum S. Rituum Congregationis, 26 Aprilis 1883, præscripsit, ut aliæ Missalis Romani editiones in futurum huic cantui conformes esse deberent.

Ut inter latas his ultimis annis Decretorum leges Rubricarumque præscriptiones maxima exstaret conformitas, Rubricæ Missalis fuerunt de novo revisæ, examinatæ, et concinnatæ ad recentiorum Decretorum normam ; quas additiones et correctiones Leo XIII ratas habuit, et confirmavit Decreto Urbis et Orbis, 11 Decembris 1897. — Missalia ab anno 1899 edita continent has novissimas Rubricarum additiones et variationes, necnon recentiorum Festorum Missas.

Nota. De Librorum Missalium per diversa sæcula confectione dicitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 150.

Ibi datur etiam (Q. 152) notitia de diversis Libris qui usuveniunt pro Missarum celebratione, desumptis e Missali Romano, quales sunt Missæ pro Defunctis, Epistolæ et Evangelia pro Missis solemnibus, Canon Missæ ad usum Episcoporum.

Q. 31. *Quot partibus constat Introductio Missalis ? Da singularum brevem notitiam.*

R. In Introductione quæ Missali præponitur, seu in Præludiis Missalis, sex dantur partes :

a) Prima pars exhibet Bullas Summorum Pontificum S. Pii V, Clementis VIII, et Urbani VIII, de quibus dicitur QQ. 27 et 30 ; sequitur attestatio Ordinarii loci, ubi impressum fuit Missale, de imprimendi facultate, de comprobatione consonantiæ cum authenticis exemplaribus, et de evulgandi licentia, quæ omnino requiruntur ; tandem describuntur quædam Decreta Sacrorum Rituum Congregationis. — In Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii exponitur (Q. 153) sub quibus conditionibus imprimi possunt Missalia.

b) Secunda pars, inscripta : « **De anno et ejus partibus** », continet Instructionem de Computo Ecclesiastico, de Kalendario Ecclesiastico, cum Tabellis Paschalibus, et ipsum Kalendarium. (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 79-96.)

c) Tertia pars inscribitur : **Rubricæ generales Missalis**, quæ titulis seu paragraphis viginti exhibet regulas generales circa Missas dicendas, partes Missæ, horam, ritum, vestes, locum, et alia.

Generales dicuntur Rubricæ in hac Introductione Missalis descriptæ, ut distinguantur a Rubricis particularibus, quæ in ipso Missali disseminatæ, quid variis anni temporibus, aut in quibusdam Festis observari, aut adimi vel adjici debeat in peculiaribus Missis, exponunt. (Cfr. Q. 45.)

d) Quarto loco describitur Ritus servandus in **celebratione Missæ**, in quo exponuntur titulis tredecim cæremoniæ in Missa servandæ.

e) Quinta pars agit de **Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus**, tum ex parte materiæ vel formæ, tum ex parte ministri conficientis ; eorumque defectuum emendationem et casuum solutionem titulis decem exponit.

f) Sexta pars exhibet Preces et Orationes pro præparatione et gratiarum actione Sacerdotis celebrantis.

Tertiæ et quartæ partis auctor fuit Joannes Burchardus, Pontificius Cæremoniarum Magister, qui vixit sæculo decimo quinto exeunte ; ipse regulas ex Ordinibus Romanis, et ex traditione acceptas, in unum

redegit ordinem ; qui ordo ab ipso editus anno 1502, a Leone X († 1521) approbatus, prima vice additus fuit Missali Romano in editione Veneta anni 1536, et a S. Pio V in restituto Missali, quibusdam emendatis, fuit insertus.

Q. 32. *Quot et quibus partibus constat Missale ?*

R. Missale novem constat partibus, quæ sunt : 1° Ordo Missæ ; 2° Proprium Missarum de Tempore ; 3° Proprium Missarum de Sanctis ; 4° Commune Sanctorum ; 5° Missæ Votivæ, tum de variis Mysteriis et Sanctis, tum pro diversis rebus ; 6° Orationes diversæ in Missis aliquando dicendæ, vel ex præcepto, vel ad libitum Sacerdotis ; 7° Missæ quatuor pro Defunctis, cum Orationibus diversis pro Defunctis ; 8° Benedictiones diversæ ; 9° Missæ Votivæ per annum, correspondentes Officiis Votivis anno 1883 pro singulis hebdomadæ diebus concessis. — Sequitur Appendix continens Missas Sanctorum celebrandas aliquibus in locis particularibus, ex Indulto Apostolico, sive in regione, sive in diœcesi, sive in civitate, sive in ecclesia, etc.

Q. 33. *Quid complectitur Ordo Missæ ; in quo loco Missalis ponitur, et quare ?*

R. Ordo Missæ complectitur ritus et preces, quæ, cum adhibentur, in quacumque Missa per totum annum eadem occurrunt, estque quasi Commune Missarum. (Cfr. Q. 13.)

Præcipue describuntur in eo preces dicendæ ; nam cæremoniæ, in precibus dicendis observandæ, in ipso compendiose tantum, et quasi pro memoria traduntur, cum longius describantur in Ritu celebrationis Missæ, qui sedulo observari debet.

Ponitur Ordo Missæ non in initio Missalis, sed in medio partis primo loco insertæ, quæ continet Proprium Missarum de Tempore. Ibi positus videtur ad commodiorem usum pro Canone Missæ. Deinde ratio congruentiæ sequens affertur : Non immerito hæc immutabilis norma Sacrificii, in quo Mors et Resurrectio Christi symbolice repræsentantur, apposita fuit inter Liturgiam de Passione Domini, e qua omnes Redem-

ptionis gratiæ effluunt, et Liturgiam de Resurrectione Domini, ac sequentibus Mysteriis, per quæ eædem Redemptionis gratiæ usque ad finem temporum transmittuntur.

Q. 34. *Quid continet Proprium Missarum de Tempore ?*

R. Secunda hæc pars, quæ initium libri Missalis occupat, continet quæcumque in Missa dicuntur propria (cfr. Q. 13) pro Dominicis omnibus, Feriis, ac præcipuis Solemnitatibus Christi Domini, inde a Dominica I Adventus usque ad Sabbatum sanctum, deinde, interposito Ordine Missæ, a Dominica Resurrectionis Domini usque ad ultimam Dominicam post Pentecosten.

Proprium de Tempore ordinatur secundum ordinem anni ecclesiastici, qui incipit a præparatione ad Nativitatem Domini per Adventum, dein celebrat Christi vitam, mortem et resurrectionem, necnon regni ejus seu Ecclesiæ originem atque incrementum.

Q. 35. *Quid continet Proprium Missarum de Sanctis ?*

R. Tertia Missalis pars inscribitur « Proprium Missarum de Sanctis », non quod omnes Missæ ibi positæ, vel ex toto vel ex parte propriæ sint, multa enim in iis de Communi desumpta leguntur ; sed quia descripta ibi habentur quæcumque sunt in Missis de Sanctis propria, cætera vero, in aliquo Festo ex Communi sumenda, vel indicantur, vel quandoque etiam integra referuntur ad commoditatem Celebrantis.

Inscribitur « de Sanctis » ; attamen quædam, sed paucæ, ibi quoque describuntur Missæ de quibusdam Festis Christi Domini.

Cum Festa Sanctorum generatim celebrentur in die eorum obitus, hæc Missalis pars ordinatur, non secundum annum ecclesiasticum, sed secundum menses et dies anni civilis. A computo anni civilis tamen differt, in eo quod in hac parte Missalis ordinis initium desumitur, non a 1 Januarii, sed a 29 Novembris, nempe a Vigilia S. Andreæ Apostoli, quo circiter tempore incipit annus ecclesiasticus.

Q. 36. *Quid continetur in quarta parte Missalis dicta Commune Sanctorum ?*

R. Commune Sanctorum continet formulas Missæ pro illis Sanctorum Festis, quæ propriam Missam, aut quasdam partes Missæ proprias non habent. Diversæ in hac parte describuntur Missæ secundum diversas qualitates Sanctorum, qui ibi recensentur eodem quo in Litaniis Omnium Sanctorum ordine.

Pro facilitate et commodiori usu nova ad hanc partem datur paginatio.

Ut clara habeatur hujus partis Missalis notio, sequens subjungitur Ordo Missarum ex Communi Sanctorum :

I. **Pro Vigilia Apostoli,** Missa : *Ego autem.* — Non ponitur Missa communis pro Festo Apostoli, quia in Festis Apostolorum et Evangelistarum omnes Missæ describuntur in Proprio Sanctorum.

II. **Pro Martyribus** : A. **Extra tempus Paschale** :

1° pro uno Martyre Pontifice, duæ dantur Missæ, scilicet : *Statuit*, et *Sacerdotes Dei.*

2° pro uno Martyre non Pontifice, duæ Missæ : *In virtute*, et *Lætabitur.*

3° pro pluribus Martyribus, tres Missæ : *Intret*, *Sapientiam*, et *Salus autem.*

B. **Tempore Paschali** :

1° pro uno Martyre, Missa : *Protexisti.*

2° pro pluribus Martyribus, Missa : *Sancti tui.*

III. **Pro Confessore Pontifice**, duæ Missæ : *Statuit*, et *Sacerdotes tui.*

IV. **Pro Doctore,** sive Pontifice, sive non Pontifice, Missa : *In medio.*

V. **Pro Confessore non Pontifice,** tres Missæ : *Os justi*, *Justus ut palma*, et quæ specialis est pro Abbate : *Os justi.*

VI. **Pro Virginibus** :

1° pro Virgine et Martyre, duæ Missæ : *Loquebar*, et *Me exspectaverunt.*

2° pro pluribus Virginibus Martyribus, omnia dicuntur sicut pro una, exceptis Orationibus.

3° pro Virgine, duæ Missæ : *Dilexisti*, et *Vultum tuum.*

VII. **Pro una Martyre non Virgine,** Missa : *Me exspectaverunt.*

VIII. **Pro nec Virgine nec Martyre,** Missa : *Cognovi.*

Communi Sanctorum adjungitur etiam Commune Dedicationis, id est Missa in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, ejusque Octava ; describuntur post Missam hanc Orationes speciales dicendæ in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, et in ipsa die Dedicationis Altaris.

Q. 37. *Quænam Missæ votivæ reperiuntur in quinta Missalis parte ?*

R. Missæ Votivæ, seu extra ordinem Officii, quæ dicuntur secundum vota seu desideria tum ipsius Ecclesiæ, tum particularium, in quibusdam necessitatibus vel circumstantiis (cfr. Q. 17), describuntur in quinta Missalis parte numero viginti quinque, quarum duodecim sunt in honorem Mysteriorum aut Sanctorum, et tredecim pro diversis circumstantiis.

Missæ duodecim in honorem Mysteriorum aut Sanctorum sunt sequentes :

1° de SS. Trinitate ;
2° de Angelis ;
3° de SS. Apostolis Petro et Paulo ;
4° de Spiritu sancto ;
5° de SS. Eucharistiæ Sacramento ;
6° de S. Cruce ;
7° de Passione Domini nostri.

Sequuntur de S. Maria diversæ pro diversis anni temporibus :

8° ab Adventu usque ad Nativitatem Domini ;
9° a Nativitate Domini usque ad Purificationem ;
10° a Purificatione usque ad Pascha ;
11° a Pascha usque ad Pentecosten ;
12° a Pentecoste usque ad Adventum.

Missæ tredecim pro diversis rebus sunt sequentes :

1° pro eligendo Summo Pontifice, Sede vacante ;
2° in anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi ;
3° ad tollendum schisma ;
4° pro quacumque necessitate ;
5° pro remissione peccatorum ;
6° ad postulandam gratiam bene moriendi ;
7° contra paganos ;
8° tempore belli ;
9° pro pace ;
10° pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiæ ;
11° pro infirmis ;
12° pro peregrinantibus vel iter agentibus ;
13° pro sponso et sponsa in benedictione Matrimonii.

Q. 38. *Quid notandum est de Orationibus quæ describuntur in sexta Missalis parte ?*

R. Non raro præter Orationes cuicumque Missæ proprias dicendæ sunt et aliæ Orationes, vel ex præscripto Rubricarum, vel præscriptæ seu imperatæ a Summo Pontifice aut ab Episcopo Ordinario ; nonnum-

quam etiam ad libitum Sacerdotis celebrantis addi possunt.

De occasione eas dicendi agetur postea, ubi specialiter quæstio est de Orationibus in Missa dicendis.

Plerumque quærendæ sunt hujusmodi Orationes, aut in Missis Votivis de quibus dictum fuit in Quæstione præcedenti, aut, et præsertim, inter Orationes, in hac sexta Missalis parte descriptas. Sunt triginta quinque numero, pro diversis necessitatibus et circumstantiis.

Orationes diversæ in Missali describuntur sequentes :

1. Ad poscenda suffragia Sanctorum prior : *Concede.*
2. Ad poscenda suffragia Sanctorum altera : *A cunctis.*
3. Pro omni gradu Ecclesiæ.
4. Pro Papa.
5. Pro imperatore.
6. Pro Rege.
7. Pro Prælatis et Congregationibus eis commissis.
8. Pro congregatione et familia.
9. Pro concordia in congregatione servanda.
10. Contra persecutores Ecclesiæ.
11. Contra persecutores et male agentes.
12. Pro quacumque necessitate.
13. Pro quacumque tribulatione.
14. Tempore famis.
15. Tempore terræmotus.
16. Ad petendam pluviam.
17. Ad postulandam serenitatem.
18. Ad repellendas tempestates.
19. Pro peste animalium.
20. Pro seipso Sacerdote.
21. Pro petitione lacrimarum.
22. Pro remissione peccatorum.
23. Pro publice pœnitentibus.
24. Pro tentatis et tribulatis.
25. Ad repellendas malas cogitationes.
26. Ad postulandam continentiam.
27. Ad postulandam humilitatem.
28. Ad postulandam patientiam.
29. Ad postulandam caritatem.
30. Pro devotis amicis.
31. Pro inimicis.
32. Pro constituto in carcere, vel in captivitate.
33. Pro navigantibus.
34. Pro salute vivorum.
35. Pro vivis et defunctis.

Juvat animadvertere quacum fiducia et charitate Ecclesia his

multiplicibus Orationibus intendat satisfacere omnigenæ devotioni; auxilium opemque implorare pro quacumque necessitate tum publica, tum privata, tum ecclesiastica, tum sociali; pro diversis morbis corporis et animæ remedium et medelam exposcere; omnium tandem incolumitati et saluti providere.

Q. 39. *Quænam continentur in septima Missalis parte pro Defunctis?*

R. A) Quatuor Missæ pro Defunctis:

1ª in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

2ª in die obitus seu depositionis Defuncti;

3ª in Anniversario Defunctorum;

4ª in Missis quotidianis Defunctorum.

B) Duodecim Orationes diversæ pro Defunctis:

Scilicet: 1ª in die depositionis et anniversario Summi Pontificis;

2ª pro defuncto Episcopo; cum variationibus pro Sacerdote, et pro S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus;

3ª pro defuncto Episcopo alia;

4ª pro defuncto Sacerdote; possunt dici pro pluribus in numero plurali;

5ª pro uno defuncto;

6ª pro una defuncta;

7ª pro patre et matre Sacerdotis;

8ª pro patre tantum, vel matre tantum Sacerdotis;

9ª pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus;

10ª pro his qui in cœmeterio requiescunt;

11ª pro pluribus defunctis;

12ª alia pro pluribus defunctis.

Hæc Missalis septima pars pro Defunctis solet imprimi, una cum Ordine Missæ et Ritu Absolutionis pro Defunctis, in speciali libro, ad commodiorem Ecclesiarum usum.

Q. 40. *Quæ præcipuæ Benedictiones inseruntur in octava parte Missalis?*

R. 1° Traditur Ordo ad faciendam aquam benedictam, cujus Benedictio sicuti et Aspersio singulis diebus Dominicis fieri debet.

2° Sequuntur quædam variarum rerum Benedictiones, quæ in Rituali Romano etiam descriptæ sunt; et quarum quædam ab omni Sacerdote, citra præjudicium jurium Parochialium, necnon quandocumque

fieri possunt, quædam autem tantum ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus.

Sequentes in Missali descriptæ Benedictiones ab omni Sacerdote fieri possunt :

Agni in Pascha ; — ovorum ; — panis ; — alia panis ; — novorum fructuum ; — ad quodcumque comestibile ; — candelarum (extra diem Purificationis B. Mariæ V. ; — loci (extra diem Sabbati sancti) ; — domus novæ ; — thalami ; — novæ navis.

Sequentes fieri possunt tantum ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus :

Benedictio Sacerdotalium Indumentorum ; — mapparum et tobalearum, seu linteaminum Altaris ; — corporalium ; — Tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

Quare istæ determinatæ Benedictiones in Missali Romano fuerint insertæ, non ita patet ; nam multæ præter eas dantur in Rituali Romano, quarum quasdam frequentius quidem fieri contingit. Ratio forsan est quod, quo tempore in Missali fuerunt descriptæ, Rituale Romanum nondum cuicumque suppetere solebat. Ita innuere videtur Gavantus (Pars IV, Tit. XIX, n. 1).

3° In calce hujus Missalis partis additæ fuerunt Orationes dicendæ in Consecratione Episcopi, et in Collatione Sacrorum Ordinum, excerptæ e Pontificali Romano, et hic in Missali positæ unice ad majorem commoditatem Episcoporum.

Q. 41. *Quænam sunt Missæ Votivæ quæ describuntur in nona Missalis parte ?*

R. Sunt Missæ inscriptæ Votivæ per annum ; illæ scilicet quæ conformes sunt Officiis Votivis, quæ pro singulis hebdomadæ diebus liberis concessa fuerunt juxta Apostolicum Indultum, per Decretum S. Rituum Congregationis, diei 5 Julii 1883 (n. 3581, antiq. 5879). (Cfr. Tractatus de Officio divino, QQ. 149-154.)

Dicuntur Votivæ, etiamsi, si Votivam intelligas Missam quæ Officio non est conformis (Q. 17), stricte loquendo tales non sint ; sed, quia Officia quibus correspondent nominata fuerunt Votiva, talia nempe quæ de alio objecto dicuntur quam quod proprie requirunt dies in quibus dicuntur, ipsæ Missæ etiam dictæ fuerunt Votivæ per annum, seu Votivæ ex Indulto per hebdomadam.

Sex numero sunt pro Feriis infra hebdomadam assignatæ :

Pro Feria II de Sanctis Angelis.
Pro Feria III de Sanctis Apostolis.
Pro Feria IV de S. Joseph, Sponso B. M. V., Confessore.
Pro Feria V de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.
Pro Feria VI de Passione D. N. Jesu Christi.
Pro Sabbato de Immaculata Conceptione B. Mariæ V.

Q. 42. *Quænam Missæ reperiuntur in Appendice Missalis ?*

R. Missæ Festorum quæ non pro universali Ecclesia præscribuntur, neque in Kalendario Missalis reperiuntur, aut saltem non eodem ritu quam in universali Ecclesia celebrantur, sed quæ pro specialibus locis concessa sunt, nempe regionibus, provinciis, diœcesibus, aut etiam Regularium Familiis.

Hujusmodi Missæ aliquando omnes suas partes proprias habent, aliquando pro quibusdam e Communi Sanctorum desumuntur.

Prior series inscribitur : **Missæ Sanctorum Summorum Pontificum S. Romanæ Ecclesiæ, et aliorum Sanctorum aliquibus in locis celebrandæ.**

Sancti Summi Pontifices non omnes habent Officium et Missam per universalem Ecclesiam præscripta, sed quorumdam Festa in aliquibus locis tantum celebrantur, ex. gr., Romæ omnium, in aliis locis aliquorum.

In hac serie reperiuntur etiam Missæ quorumdam Festorum Domini et Sanctorum, quæ in nostra patria celebrantur ex speciali concessione, ex. gr., Missæ de Instrumentis Passionis Domini ; necnon Missæ Festorum quæ concessa fuerunt quo tempore nostra patria subjecta erat ditionibus vel Hispanicæ vel Austriacæ ; ex. gr., Exspectationis partus B. Mariæ V., 18 Decembris ; Desponsationis B. Mariæ V. cum Sancto Joseph, 23 Januarii ; S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii ; S. Joannis Nepomuceni, Martyris, 16 Maji ; S. Rosaliæ, Virginis Panormitanæ, 4 Septembris ; S. Ludovici Bertrandi, Confessoris, 10 Octobris ; S. Raphaelis Archangeli, 24 Octobris ; etc.

Altera series inscribitur : **Appendix Missarum pro-**

priarum, aliquibus Diœcesibus aut Religiosis Familiis concessarum.

Pro usu hujusmodi Missarum requiritur semper Indultum Apostolicum, et qui tali Indulto non gaudent, proprias Missas dicere non possunt.

Pro Festis hujusmodi quæ præscribuntur in nostra Diœcesi celebranda, in Directorio seu Kalendario additur, die qua celebrantur, nota : **In Appendice Breviarii,** quæ indicat Officium in Breviario et Missam in Missali esse quærenda in hac Appendice.

Hujusmodi Appendix primum reperitur addita Missali sæculo XVI, in editionibus Typographiæ Plantinianæ Antverpiæ, et inscribitur cum nota : *Typographus lectori,* in qua dicit additas fuisse Missas istas post Missale ut plurimorum votis satisfiat. A medio sæculi XIX præsertim a Typographis auctus fuit numerus hujusmodi Missarum specialium.

Q. 43. *Quænam particularia reperiuntur addita in ultimis editionibus Missalis Romani ?*

R. 1° Præfatio de Nativitate Domini, in tono feriali, dicenda in Missis Votivis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu. Cum enim hæc Præfatio in Ordine Missæ solummodo in tono solemni describatur, S. Rituum Congregatio, ad commoditatem Sacerdotis Missas Votivas supradictas cantaturi, indulsit ut ipsa Præfatio cum suo cantu feriali apponi possit, non quidem in ipso Ordine Missæ, sed « ad calcem Missalis et ultimo prorsus loco ».

2° Orationes diversæ quæ in Missa Præsanctificatorum Feriæ VI in Parasceve, ante detectionem Crucis cantantur. In Missali in Officio hujus diei prima tantum Invitatio ad Orationem reperitur descripta cum notis cantus, pro sequentibus vero notæ non appositæ sunt. Ad majorem celebrantium commoditatem describuntur omnes Invitationes cum cantu ; attamen, non in corpore Missalis adduntur, sed tantum ad ejus calcem.

Q. 44. *Quænam Missæ ultimo prorsus loco apponi possunt in Missali ?*

R. Missæ Festorum quæ in unaquaque Diœcesi ex Indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, et plerumque pro Diœcesi tantum, aliquando etiam pro pluribus, aliquando quidem pro tota Provincia concessa fuerunt ;

quæ Festa nomen habent : *Festa propria Diœcesis, Festa Diœcesana.*

Hujusmodi Missarum series, separatim excusa, debet muniri speciali impressionis permissione, necnon testimonio concordantiæ cum originalibus, ab Ordinario loci impressionis datis.

Inscribitur pro nostra Diœcesi : **Missæ propriæ Sanctorum Ecclesiæ Metropolitanæ, Civitatis et Archidiœcesis Mechliniensis.**

Impressa reperitur etiam series ex diversis Propriis Diœcesium totius Belgicæ Provinciæ in unum collecta, sub titulo : **Missæ propriæ Sanctorum Belgii.**

Missam Festi alicujus in hoc Supplemento esse quærendam, indicat Directorii seu Kalendarii nota : **Officium Diœcesanum**, apposita nomini Sancti cujus Festum celebratur.

§ 3. De Rubricis Missalis Romani

Q. 45. *Quomodo præcipue distinguuntur Rubricæ Missalis ?*

R. Rubricæ, seu leges præscriptæ pro celebratione Missæ, et aliis sacris functionibus quæ ad Missam referuntur, ita vocatæ, quia rubro colore in titulis et capitibus solent describi (cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 3), distinguuntur :

I. In generales, et particulares.

Generales complectuntur eas regulas, quæ generatim omnibus Missis per annum possunt dici communes, et determinant preces, locum, horam, ritum, indumenta, actiones ac partes Sacrificii, necnon defectus qui in eo occurrere possunt.

Descriptæ sunt in Introductionis Missalis partibus tertia, quarta et quinta, quæ titulos habent : « Rubricæ generales Missalis ; — Ritus servandus in celebratione Missæ ; — De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus ». (Cfr. Q. 31.) In præsenti Tractatu exponitur præsertim pars quæ inscribitur « Rubricæ generales Missalis », in quantum agit de precibus in Missa dicendis ; reliquæ partes exponuntur in Tractatu de celebratione Missæ.

Particulares seu propriæ, quæ sparsæ habentur in

ipso Missali ad Missas de Tempore et de Sanctis, definiunt quid diversis anni temporibus vel diebus, in peculiaribus Sacrificiis, ex. gr., in Feria IV Cinerum, in Triduo sacro ante Pascha, in Festo Purificationis B. M. V., etc., prætermittendum vel addendum sit.

II. In præceptivas, et directivas.

Præceptivæ illæ Rubricæ sunt, quæ obligant sub peccato, vel gravi vel levi, pro materiæ natura.

Directivæ illæ sunt, quæ non obligant per se, sed proponunt instructionem et directionem per modum consilii.

Q. 46. *Quænam Rubricæ Missalis sunt præceptivæ, et quanta est earum obligatio ?*

R. Prævalet sententia omnino tenenda, docens Rubricas omnes de agendis intra Missam, ab initio Missæ scilicet usque ad Evangelium ultimum inclusive, esse præceptivas, et non posse, etiam in minimis, negligi, omitti aut mutari, sine peccato, vel gravi vel levi, pro materiæ natura.

Quæ vero materia gravis sit, non ex sola quantitate, sed etiam ex qualitate pendet, et in multis casibus definire est difficillimum.

Interim auctores communiter grave reputant : negligere mixtionem aquæ in Calice offerendo, elevationem S. Hostiæ aut Calicis, fractionem S. Hostiæ ejusque commixtionem cum S. Sanguine, purificationem Calicis post sumptionem. E contra, unam vel alteram Crucis signationem, genuflexionem, capitis inclinationem, secluso contemptu, veniale existimant.

Communiter etiam dicunt mortale voluntarie omittere Confessionem cum aliis in principio Missæ ; item Epistolam, vel Evangelium, aut Præfationem, vel Orationem aliquam in Canone, aut eam ita mutare, ut sensus non maneat. E contra, non nisi veniale æstimatur omittere Psalmum *Judica*, *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, Præfationem propriam, *Communicantes* proprium, etc.

Denique observant auctores, plures omissiones, singulas non notabiles, in eadem Missa coalescere, et simul sumptas posse constituere omissionem notabilem.

Insuper notandum est Rubricarum vim et auctorita-

tem eam esse, ut contra eas, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, numquam præscribi possit, ut S. Rituum Congregatio aperte, et quam frequentissime declaravit, dicendo consuetudines contrarias Rubricis Missalis Romani esse abusus, et potius corruptelas quam consuetudines.

Q. 47. *Quænam Rubricæ Missalis sunt directivæ, et quanta est earum obligatio ?*

R. Inter Rubricas **extra Missam,** id est ante vel post Sacrum servandas, variæ sunt directivæ tantum ; quas tamen accurate determinare non minus periculosum quam difficile est ; et sane paucissimæ sunt.

Per se non obligant sub peccato ; sed earum transgressio ratione motivi inhonesti, ex. gr., socordiæ, levitatis, venialiter culpabilis evadere, et ratione contemptus, vel gravis scandali transire potest in peccatum mortale. Quamvis tamen præcepti proprie dicti auctoritate non gaudeant hujusmodi ritus, quivis non indignus Ecclesiæ minister eas ea qua par est prosequetur reverentia, nec ab illis latum unguem declinare studebit, quia maxima cum sapientia a sapientissima Ecclesia ordinatæ fuerunt, ne pro libitu contemnantur.

(Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 7, Nota.)

Q. 48. *Quid præscribunt Statuta Diœcesana de observatione Rubricarum Missalis Romani ?*

R. « Rubricæ Missalis Romani, quæ in ipsomet celebrationis actu servandæ præscribuntur, quandoquidem sine peccato, et quidem mortali, si materia sit gravis, omitti aut in alias mutari nequeant, ad amussim observentur, non tantum cum intimo religionis sensu, sed cum externa etiam pietate et gravitate. Id enim, ut verbis utamur Clementis PP. XI, necessario requiritur, ne sacerdos, inter homines Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque munere suo fungatur, Deum magis irritet. » (n° 324.)

Juvat quoque hic referre verba Concilii Tridentini (Sess. XXII, Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ) :

« Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ

Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur ; satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. »

Q. 49. *Quis est finis Ecclesiæ in instituendis cæremoniis et ritibus Sacrificii Missæ ?*

R. Finis omnium cæremoniarum et verborum, quæ ab Ecclesia (Apostolis eorumque successoribus) instituta sunt in administratione Sacrificii Eucharistici, potissimum duplex est : proxime ut res ipsa essentialis quæ agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur atque convenienti majestate et externo cultu condecoretur ; consequenter deinde ut excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis fidelium ad cultum Deo exhibendum, et majorem fructum percipiendum. (Franzelin. *De Eucharistia*. Thesis VII.)

Præmissis his Notionibus prævis de Missa, de Missali Romano, et de ejus Rubricis, incipit explicatio Tractatus de Rubricis Missalis Romani, cujus duæ erunt Sectiones, in quarum priore exponentur regulæ servandæ pro diversis Missæ partibus in Missis quæ Officio conformes sunt (cfr. Q. 14) ; in altera agetur de Missis quæ Officio non sunt conformes (cfr. Q. 17), nempe de Missis Votivis, et de Missis Defunctorum, seu de *Requiem*.

SECTIO I

De diversis Missae partibus

Q. 50. *Da brevem conspectum præcipuarum partium Missæ.*

R. Duæ majores distinguuntur in Missa partes : — prior a principio Missæ ducitur usque ad Symbolum, aut Offertorium exclusive, et vocatur **Missa Catechumenorum** (cfr. Q. 18, 1) ; complectitur præcipue quasdam precationes et instructiones, et est quasi præparatio ad Sacrificium : — altera est proprie Sacrificium, et vocatur **Missa Fidelium** (cfr. Q. 18, 2) ; complectitur præcipue Oblationem, Consecrationem et Communionem.

Hujus antiquissimæ distinctionis adhuc hodiedum vestigium patet in Missa solemni seu Pontificali ab Episcopo celebrata : etenim Episcopus, si excipias præparationem ad functionem quæ fit ad pedem Altaris, et Altaris incensationem, priorem partem Missæ, seu Missam Catechumenorum celebrat non ad Altare, sed in sua Cathedra ; inde ab Offertorio autem alteram Missæ partem, seu Missam Fidelium peragit in ipso Altari.

In Missa Catechumenorum sequentes succedunt partes :

1° Præparatio ad functionem per Confessionem ad pedem Altaris ;

2° Introitus ;

3° *Kyrie eleison ;*

4° Hymnus *Gloria in excelsis ;*

5° Orationes ;

6° Lectiones seu instructiones e Scriptura, quibus nomen datur Epistolæ ;

7° Graduale, *Alleluja,* Tractus, Prosa ;

8° Lectio ex Evangelio ;

9° Symbolum.

In Missa Fidelium sequentes reperiuntur partes :

A. Relate ad Oblationem materiæ Sacrificii :

1° Antiphona Offertorii ;

2° Oblatio materiæ ;

3° Manuum lotio ;
4° Orationes Secretæ.
B. Relate ad Consecrationem :
1° Præfatio ;
2° Canonis Orationes ante Consecrationem ;
3° Consecratio ;
4° Canonis Orationes post Consecrationem.
C. Relate ad Communionem :
1° Oratio Dominica ;
2° Fractio Hostiæ et Commixtio Corporis et Sanguinis Domini ;
3° Pax ;
4° Communio ;
5° Gratiarum actio ;
6° Benedictio ;
7° Ultimum Evangelium.

De præcipuis harum omnium partium exponuntur regulæ in sequentibus hujus Sectionis Quæstionibus.

CAPUT I

DE PSALMO « JUDICA » ET CONFESSIONE

Q. 51. *Quænam complectitur præparatio ad Sacrificium quæ fit ante gradus Altaris ?*

R. Complectitur recitationem Psalmi XLII, *Judica me Deus,* et Confessionem generalem.

Q. 52. *Quænam notari possunt de Confessione ?*

R. Hæc Confessio peccatorum generalis, seu in genere facta, in omnibus Liturgiis inde a principio Ecclesiæ præscripta reperitur. Et sane convenit ut Sacerdos, Sacrificium tremendum oblaturus, indignum se agnoscens, humili prece et peccatorum confessione Dei misericordiam imploret, et pœnitentialem animi sensum etiam apto externo habitu exprimat, manuum junctione, corporis profunda inclinatione et pectoris percussione.

Diversæ olim fuerunt formulæ, et quæ in Romana Liturgia nunc in usu est, nempe *Confiteor, etc.*, cum

sequentibus versiculis *Misereatur, etc.*, et *Indulgentiam, etc.*, a sæculo XIII tantum originem ducit, et ab eo tempore præscripta est.

Q. 53. *A quo tempore, et quare Psalmus « Judica » in Missæ principio dicitur ?*

R. Circa medium sæculi IX, quidam Episcopi Psalmum XLII, *Judica*, aptissimum judicarunt, qui initio Missæ a Sacerdotibus tamquam introductio ad Confessionem recitaretur, ut et magno cum desiderio ad ascensum ad montem Domini se disponerent, et discreti a gente non sancta, ac ab homine liberati iniquo, cum fiducia ad altare Dei digne introirent.

Illam praxim sæculo X Ecclesiæ plurimæ adoptaverunt, et tandem sæculo XI ipsa Romana Ecclesia. (Fornici. *Institutiones liturgicæ*. Pars I, Cap. 20.)

Psalmus, quem dixit David fugiens ab Absalone, desiderium ipsius et spem exprimit, redeundi ad Templum in Jerusalem. In eo prælucent desiderium, gaudium, et spes firma, missis miseriis et ærumnis, propius accedendi ad Deum.

Q. 54. *In quibus Missis omittitur Psalmus « Judica » ?*

R. Psalmus qui in Missæ initio dicitur cum duplicata, id est, ante et post Psalmum integre recitata, Antiphona « *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* », omittitur, non tamen omissa unica Antiphonæ recitatione :

1° in omnibus Missis quæ dicuntur de *Requiem ;*

2° in Missis quæ dicuntur de Dominica et de Feriis, inde a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive.

Hæc omissio præscripta videtur, vel quia nullus in Missis de *Requiem*, et de tempore Passionis gaudio datur locus, vel ex continuatione veteris ritus in quo Psalmus non recitabatur. (Cfr. Benedictus XIV. *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. III, n. 2, 12.)

NOTA. Dicitur ad 2^um^ : in **Missis de Dominica et de Feriis ;** non enim hoc tempore Passionis omittitur in aliis Missis, ita ut si tempore Passionis diceretur Missa de Festo, aut Votiva, etiam de Cruce aut de Passione, nequidem omitteretur Psalmus, quia hæ Missæ sunt

Festivæ aut Votivæ, et non concordant cum Officio de tempore, pro cujus Missis tantum rubrica de Psalmo omittendo datur.

CAPUT II

DE INTROITU, ET « KYRIE ELEISON »

Q. 55. *Quænam a Rubricis præscribuntur de Introitu ?*

R. Regulariter dicitur sequenti modo, scilicet : præmissa Antiphona, recitatur aliquis, plerumque primus Psalmi cujusdam versus cum doxologia *Gloria Patri ;* deinde repetitur Antiphona integra.

Exceptio ab hac regula est, quod omittitur *Gloria Patri* in Missis de Dominica et de Feriis tempore Passionis, et in Missis Defunctorum ; verbo, in iis Missis in quibus omittitur Psalmus *Judica.*

Notandum insuper est, quod toto tempore Paschali ad Antiphonam duo adduntur *Alleluja,* in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem.*

Nota. Ad dubium : « An a cantoribus in choro incipi possit Introitus Missæ, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative ; et amplius. » (Decret. 14 Aprilis 1753, n. 2424, antiq. 4233, ad 7.)

Q. 56. *Quare hæc Missæ pars vocatur « Introitus » ?*

R. Vel 1° quia proprie principium, initium est Missæ ad ipsum Altare ; ideo enim Sacerdos, cum incipit Introitum, cruce se signat ; — vel 2° quia olim cantabatur a Choro interea dum Episcopus vel Sacerdos, et cæteri ordines e Sacrario introirent ad Altare. In Liturgia Ambrosiana vocatur *Ingressa* = Ingressio. Integer Psalmus tunc recitabatur, sed inde a tempore S. Gregorii Magni primus tantum Psalmi versus cum doxologia dicitur.

In Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, in ea Missa quæ celebratur immediate post Fontis baptismalis benedictionem, non habetur Introitus, quia Missa tunc est continuatio Ritus baptismalis qui immediate præcessit.

Nota. Sæpius in Missali Romano in Missis de Tempore, inde ab Adventu usque ad Octavam Pentecostes, ponitur ante Introitum superscriptio : **Statio ad S. Petrum**, vel **Statio ad S. Mariam Majorem**, aliamve Urbis Romæ Ecclesiam. Hac indicatur conventus populi ad locum indictum, id est ad Ecclesiam, in qua processio clericorum consistit statis diebus ad statas preces faciendas. Antiquus quippe in Urbe ritus est, ut certis diebus clerus Romanus in aliquam Ecclesiam conveniat supplicationis causa, ubi sacra fiunt aliaque divina officia. Cleri Romani processio in illas Stationes duplex est, solemnis aut privata. Hæc fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit ; solemnis vero, cum solemni more, decantando litanias aliasque preces, Pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones solemnes præcedit Collecta, id est coadunatio clericorum in una Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto in locum Stationis procedatur, sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colligitur ad faciendam processionem solemnem. Et quia in loco, ubi fit Collecta, Oratio super populum funditur ante processionem, inde fit, quod ejusmodi Orationes etiam Collectæ appellantur, quoniam super collectam populi fiunt, dum colligitur ut procedat de una Ecclesia in aliam ad Stationem faciendam. (Ita Mabillon. *Musei Italici* Tom. II. *Commentarius in Ordinem Romanum.*)

Antiquissimus est iste Stationum ritus Romæ ; de eo enim mentio certa jam fit sæculo tertio. In Breviario, in Lectione VI Festi S. Gregorii magni (12 Martii), notatur quod ipse « Stationes auxit » ; revera quæ in Missali Romano indicantur Stationes, ab ipso fuerunt ordinatæ. — Ecclesiæ stationales recensentur triginta tres. — Stationes perdurarunt usque ad sæculum decimum tertium ; et superscriptio in Missali Romano retenta est hodie vestigium tantum antiquitatis.

(Cfr. Battandier, *Annuaire Pontifical Catholique*, V, 1902, pag. 29 et sqq.)

Q. 57. *Quid notandum est de Antiphonis ad Introitum ?*

R. 1° Antiphonas ad Introitum selegit S. Gregorius Magnus pro plerisque Missis ; et sæpius Antiphona

desumitur ex Psalmo cujus primus versus dicitur : qui ita compositi sunt, dicuntur Introitus regulares.

2° Sunt et alii Introitus, qui dicuntur irregulares, quorum Antiphonæ desumptæ sunt ex aliis S. Scripturæ libris, ex. gr., in Nativitate Domini : *Puer natus est nobis, etc.* ; in Ascensione Domini : *Viri Galilæi, etc.* ; in Missa SS. Doctorum : *In medio ecclesiæ, etc.*

Notandum est quod textus Antiphonarum quæ e Scriptura sunt, et Psalmorum non est Versionis Vulgatæ, sed veteris Italæ ; ideo aliquando adest discrepantia inter Psalmos Missæ et Psalmos Officii in Breviario. Exempla vide in Introitu Dominicæ Septuagesimæ, Dominicæ Sexagesimæ, Dominicæ Quinquagesimæ, etc.

3° Quædam Antiphonæ, paucissimæ tamen, reperiuntur pro Introitu usitatæ, quæ e Sacra Scriptura non sunt desumptæ, ex. gr., Antiphona *Salve, Sancta Parens, etc.*, in quibusdam Missis B. Mariæ V., quæ Antiphona Sedulio († 430) adscribitur ; Antiphona *Gaudeamus omnes in Domino, etc.*, quæ habetur in quibusdam Missis ; etc.

De hoc Introitu *Gaudeamus* addere placet, quod antiquissima est hæc triumphalis acclamatio, usitata olim in Natalitio Sanctorum Martyrum, ad eorum Confessionem seu Sepulchrum. (Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, 1 vol. 12°, Paris, 1900, pag. 98.)

Hodie in Missali Romano reperitur hæc Antiphona tamquam Introitus, sed cum diversis Psalmis, in Missis Festorum Assumptionis B. Mariæ V., Omnium Sanctorum, S. Annæ, Matris B. Mariæ V. (26 Julii), S. Agathæ, Virginis et Martyris (5 Februarii), S. Josaphat, Episcopi et Martyris (14 Novembris), et S. Thomæ Cantuariensis, Episcopi et Martyris (29 Decembris).

In Propriis Missis nonnullarum Diœcesium usurpatur quoque hic Introitus *Gaudeamus*, pro uno alterove Festo ex majoribus ; ex. gr., in Proprio Diœcesis Gandavensis, in Missa S. Bavonis, Confessoris, Diœcesis Patroni (1 Octobris) ; in Proprio Diœcesis Tornacensis, in Missa S. Piati, Presbyteri et Martyris, Diœcesis Patroni (1 Octobris) ; in Proprio Diœcesis Leodiensis, in Missa S. Lamberti, Episcopi et Martyris, Diœcesis Patroni (17 Septembris) ; in Proprio Diœcesis Mechliniensis, in Missa S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Diœcesis Patroni (1 Julii).

Quoad Introitum *Gaudeamus* declaravit S. Rituum Congregatio, quod, si quæ Sanctorum Martyrum Missa illum habeat, debet ipse retineri etiam quando Festum hujusmodi transferendum foret ad Tempus Paschale, modo hæc Missa ultra suum Introitum *Gaudeamus* habeat etiam propriam Epistolam vel

proprium Evangelium ; secus, nempe si Missa præter suum Introitum prædictas partes proprias non habet, dici debet Introitus *Protexisti*, qui proprius est Missis Sanctorum Martyrum Tempore Paschali. (Decret. 29 Novembris 1738, n. 2340, antiq. 4080, ad 1.)

Q. 58. *Pauca refer de origine « Kyrie eleison » in Missa.*

R. A primis sæculis in Oriente et Occidente in initio Sacrificii dicebantur invocationes et deprecationes, seu Litaniæ, ab aliquo ex sacris Ministris, cui respondebat populus ; quæ in nostris Litaniis responsio habetur : *te rogamus, audi nos,* apud Græcos sonabat : Κύριε ἐλέησον = Domine miserere ; hæc Græcorum formula a Romana Ecclesia, retento idiomate Græco (cfr. Q. 20), assumpta fuit dicenda tamquam initium et finis ad Romanas Litanias, quemadmodum usque hodie habemus in nostris Litaniis in Breviario ; cumque postea in Missa Romana omissæ fuerunt ipsæ Litaniæ, factum est ut solæ invocationes *Kyrie eleison* remanserint tamquam earum reliquiæ seu vestigium.

Quando vero Romæ quibusdam diebus dicebantur Litaniæ, ut Sabbato Sancto, in Vigilia Pentecostes, in Ordinationibus, in Processionibus Stationum, tunc in Missa non dicebatur *Kyrie eleison ;* unde et hodiedum in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, in Missa quæ celebratur post ritum Baptismalem, omittitur *Kyrie eleison,* quia jam dicitur tamquam finis Litaniarum quæ immediate præcedunt. (Cfr. Duchesne, *Origines du culte chrétien.* Paris, 1889, Chap. VI, 2).

Q. 59. *Quænam datur regula dicendi « Kyrie eleison » ?*

R. Olim repetebatur hæc invocatio frequentius a Cantoribus, ad beneplacitum et nutum Celebrantis ; a tempore S. Gregorii Magni in usu est recitatio qualiter eam nunc præscribit Rubrica, scilicet : « *Kyrie eleison* dicitur novies post Introitum, alternatim cum ministro, idest, ter *Kyrie eleison,* ter *Christe eleison,* ter *Kyrie eleison.* » (Rubricæ generales, Tit. VIII, n. 2.)

Dicitur eo modo ad honorem SS. Trinitatis, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, et ter pro persona Spiritus Sancti. Novies dicitur ad imitationem cantus Angelorum, qui in novem choros sunt distributi.

CAPUT III

DE HYMNO « GLORIA IN EXCELSIS »

Q. 60. *Quomodo vocatur in Liturgia Hymnus « Gloria in excelsis » ? Quare ?*

R. 1° Hymnus *Gloria in excelsis*, ut sublimitate, ita etiam simplicitate ac pietate excellens, laudis initium mutuatur a præconio quod in ipsa nocte natalis Christi « multitudo militiæ cœlestis » ad laudem Dei cecinit : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. » (Luc. Cap. II, ℣. 13, 14.) Unde, etsi reliquos hujus Hymni versus ab ecclesiasticis doctoribus compositos Ecclesia adjecerit, Hymnus Angelicus tamen jam a primordiis vocatus fuit.

2° Antiquis temporibus Doxologiæ majoris nomen quoque ab Ecclesia merito accepit, ad distinctionem minoris quæ reperitur in versu *Gloria Patri, etc.*, quia uberius et expressius gloriam Trinitatis et gratiarum actionem proferens, dirigitur ad Patrem et Filium, et in fine meminit Spiritus Sancti.

Q. 61. *In quibus Missis Officio conformibus dicitur Hymnus « Gloria » ? Quid notandum est pro cantu hujus Hymni ?*

R. 1. Juxta Rubricam Missalis (Tit. VIII, n. 3), dicitur in Missis quæ Officio sunt conformes « quandocumque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, præterquam in Missa Feriæ V in Cœna Domini, et Sabbati Sancti in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in Officio non sit dictum *Te Deum.* » Itaque dicitur :

1° In omnibus Festis per annum, etiam Simplicibus, et per Festorum Octavas. Unum excipitur Festum Sanctorum Innocentium, in quo non dicitur, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen semper in ejus die octava. Inter Festa etiam recensenda sunt Officia Votiva per annum quæ dicuntur ex Indulto 5 Julii 1883, in quorum Missis respondentibus dicitur *Gloria*, quemadmodum indicant rubricæ hujusmodi Missis præfixæ. (Cfr. Q. 41.)

2° In Dominicis, a Paschate inclusive usque ad Ad-

ventum exclusive, et a Nativitate Domini inclusive usque ad Septuagesimam exclusive.

3° In Feriis omnibus temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem. Excipitur tamen tempore Paschali Missa Processionis in Rogationibus, in qua Hymnus non dicitur.

In quibus Missis Votivis, seu Officio diei non conformibus, dicatur Hymnus *Gloria in excelsis*, exponetur in Sectione secunda, ubi agitur de Missis Votivis.

II. Quatuor sunt diversi toni hujus Hymni, descripti in Ordine Missæ pro intonatione a Celebrante canenda, nempe : 1° pro Duplicibus et solemnibus diebus ; 2° pro Missis B. Mariæ ; 3° pro Dominicis, Festis semiduplicibus, et infra Octavas quæ non sunt B. Mariæ ; 4° pro Festis simplicibus.

Istæ modulationes ex præcepto servari debent prout jacent in Missali, et mutari non possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Martii 1896, n. 3891.)

Intonatio in tono B. Mariæ V. cantari debet, non tantum in Missis B. Mariæ V., sed etiam infra Octavas Nativitatis Domini, et SS. Corporis Christi, ac in omnibus Festis infra istas Octavas incidentibus ; et in genere quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est. (Decret. 25 Maji 1877, n. 3421, antiq. 5694, in fine ad 1, 2 et 3.)

Q. 62. *Quænam erat antiqua disciplina pro recitatione Hymni « Gloria in excelsis » ?*

R. Non eadem semper viguit Ecclesiæ disciplina quoad recitationem hujus Hymni. Notatur Hymnum *Gloria* olim inserviisse non Missæ sed Matutinis Officiis, ad locum qui postea Hymno *Te Deum* demandatus est ; et sæculo quinto in Missa fuisse invectum. — Græci quidem usque hodie illum dicunt in Officio Matutino. — In Liturgia Romana, tempore S. Symmachi, Papæ († 514), a solis Episcopis in Dominicis et diebus Festis, a Presbyteris vero in solo Festo Paschatis dicebatur. Inde a sæculo undecimo, Presbyteri, primum per privilegium, dein per consuetudinem, tandem, jubente S. Pio V, per legem Rubricarum, iisdem diebus eum recitant, quibus Episcopi.

Q. 63. *Quid de auctore hujus Hymni dici potest ?*

R. Præter prima verba Angelorum, cætera quis ediderit incertum est. In ejus textu non pauca occurrunt quæ merito sæculo primo vel secundo tribui possunt. — Textus originalis certe græcus est, sed mox successit versio latina. — Primum descriptus reperitur, aliqua tamen varietate distinctus, in Libro VII Constitutionum Apostolicarum, qui sæculo quarto adscribitur.

(Cfr. Cabrol. *Le livre de la prière antique*, p. 150 et sqq.)

Q. 64. *Explica rubricam Ordinis Missæ :* « *sic dicitur* « *Gloria in excelsis,* » *etiam in Missis B. Mariæ, quando dicendum est.* »

R. Errat qui existimat hanc rubricam spectare quæstionem quando dicendus sit Hymnus *Gloria* in Missis. Agitur unice de tenore ipsius Hymni. Quod ut intelligatur, sciendum est, ante Missalis Romani recognitionem per S. Pium V, anno 1570, in plerisque Missalibus reperiri quasdam additiones Hymno factas ; etenim, medio ævo, multi sacerdotes, affectu erga Beatissimam Virginem accensi, vetustæ cantioni intermiscebant quædam verba ad cultum Mariæ pertinentia, quæ in festivitatibus Marianis decantarentur.

Et ita in omnibus fere Missalibus Germaniæ, Galliæ, Angliæ, necnon Romanis quibusdam, recognitionem Pianam præcedentibus, legere est Hymnum *Gloria* dictum *Marianum*, vel *de Domina*, vel ut vocatur apud nonnullos, *coronatum :* « *Gloria... Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris,* **primogenitus Mariæ Virginis Matris** ; .... *suscipe deprecationem nostram,* ad **Mariæ gloriam**... *Quoniam tu solus sanctus,* **Mariam sanctificans**, *Tu solus Dominus* **Mariam gubernans**, *Tu solus Altissimus* **Mariam coronans.** »

S. Pius V additiones importunas istas interdixit per rubricam citatam, cujus sensus est : eodem modo seu tenore qui immediate supra descriptus est, non additis amplius in Missis B. Mariæ, quæ hucusque in honorem B. M. V. addebantur, dicendus est Hymnus Angelicus.

CAPUT IV

DE ORATIONIBUS

Q. 65. *Breviter expone antiquum ritum dicendi Orationes ante Epistolam.*

R. Post preces Litaniarum, quarum reliquiæ nobis hodiedum remanent invocationes *Kyrie eleison* (Q. 58), sequebantur antiquitus precationes, seu Orationes super collectam plebem ; Hymnus *Gloria in excelsis* enim tardius fuit interpositus (Q. 62).

Ad has Celebrans, post salutationem, prius invitabat fideles ad orandum, indicans sæpe quis esset sensus vel finis Orationis dicendæ.

Hujusmodi Invitationis formulæ quædam tantum remanserunt in **Ritu Romano,** nempe in Orationibus quæ dicuntur Feria VI in Parasceve, in **Missa Præsanctificatorum** : *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, etc. ;* necnon in ritu Ordinationum. Pro Orationibus ante Epistolam, a pluribus jam sæculis Invitatio constat unico verbo : *Oremus.*

Post Invitationem servabatur silentium, et omnes stabant extensis brachiis, eo situ quo depictæ prostant in Catacumbis figuræ Orantium.

Quibusdam diebus pœnitentiæ, invitante Ministro (Diacono) per verba : *Flectamus genua,* omnes, excepto Sacerdote, flectebant genua, vel prosternebant se, et aliquanto tempore in silentio orabant, donec Minister (Subdiaconus) clamabat : *Levate,* id est : Levate corpora vestra.

Tunc Celebrans dicebat Orationem, cui in fine omnes assentiebant, respondentes : *Amen.*

Q. 66. *Explica terminum « Collectæ », quo aliquando designantur Orationes ante Epistolam dictæ.*

R. Explicatio litteralis sequens est : **Collecta** = Collectio, proprie erat Oratio quæ olim recitabatur super populum, quando una cum clero collectus, processurus erat ad Ecclesiam, in qua Statio habebatur (Cfr. Q. 56, ad Notam) ; ex quo fieri potuit, ut Collectæ nomen di-

manarit ad reliquas hujusmodi Orationes, et præcipue ad insequentis Missæ **Orationes** quæ ante Epistolam dicuntur. Græci hanc Collectam vocant Synaxim (σύναξις, a συνάγειν), qui terminus æquivalens est.

2° **Mystice** Collectæ appellantur, quia Sacerdos, qui veluti mediator est Deum inter et homines **vota omnium colligit**; aut etiam, quia omnes, collectis in se animis, cogitationes et affectus suos ad Deum elevant. (Benedictus XIV. *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. V, n. 1.)

3° **In Rubricis** aliquando Collectæ vocantur Orationes Missæ quæ dicuntur ante Epistolam ; frequentius tamen, et communius in Decretis hoc nomen restringitur ad **Orationes Votivas** (sive Orationes ante Epistolam, sive Secretas, sive Postcommuniones), quæ nullam habent relationem cum Officio diei ; de quibus postea dicetur.

Q. 67. *Quid tamquam præludium præponitur Orationi ? Explica.*

R. Celebrans osculatur prius Altare, veluti benedictionem accipiens a Christo, qui per Altare adumbratur, ut eamdem populo precetur; deinde salutat plebem collectam verbis : *Dominus vobiscum ;* quæ salutatio desumpta fuit e Libro Ruth (Cap. II, ℣. 4) ; ejus sensus est : Dominus in vobis maneat, et gratiam vobis det mecum devote orandi. Non vacat mysterio, quod populus salutanti Sacerdoti respondeat, non *Et tecum*, sed *Et cum spiritu tuo*, (juxta Apostolum, in II ad Timotheum, Cap. IV, ℣. 22, et ad Galatas, Cap. VI, ℣. 18) ; quasi respondentes optent Dominum implere spiritum ejus devotione, qua magno cum fervore pro omnibus oret, ita ut ejus oratio non solum lingua proferatur, sed multo magis corde et spiritu. (De Ponte. *De Christiani hominis perfectione*. Tom. IV, Tract. II, Cap. II.)

Episcopus, pro Oratione quæ dicitur ante Epistolam, et pro hac tantum, si in Missa dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis*, salutat populum verbis : *Pax vobis*, quibus Christus Dominus, typum cujus Pontifex refert, post Resurrectionem suam discipulos salutavit. (Joannes, Cap. XX.)

Post salutationem plebis Celebrans dicit insinuationem, seu invitationem, seu indictionem Orationis, per verbum *Oremus*, quod spectat Sacerdotem simul et populum, ut communis sit, ore et corde, gratiarum actio et petitio quæ sequuntur.

Q. 68. *Quid prænotandum venit pro applicatione regularum de Orationibus quæ exponuntur in præsenti Capite ?*

R. Tres sunt Missæ partes quæ constant ejusdem generis precationibus, et quæ reguntur iisdem regulis, ac quibus ea quæ in præsenti Capite exponuntur sunt applicanda, scilicet :

1° Orationes quæ dicuntur ante Epistolam ; quæ vocantur proprie *Orationes*, vel *Collectæ*, et de quibus modo dictum fuit in Quæstionibus 65 et 66.

2° Orationes quæ dicuntur ante Præfationem, quæ vocantur *super oblata*, vel *Secretæ* (Q. 50, A, 4°).

3° Orationes quæ dicuntur post Communionem pro gratiarum actione (Q. 50, C, 5°), et quæ inde vocantur *Postcommuniones*.

Istæ diversæ Orationes, quæ ad diversas Missæ partes dicuntur, iisdem reguntur Rubricarum legibus, quoad earum structuram, numerum, species, ordinem, conclusionem, et mutationem ; et proinde quæ in præsenti Capite dicuntur speciatim de Orationibus ante Epistolam dictis, applicanda erunt Orationibus quæ vocantur Secretæ et Postcommuniones.

Materia tractanda. De Missæ Orationibus sequentia sunt explicanda :

1° De Orationum structura. — 2° De Orationum numero. — 3° De Orationum speciebus et ordine, ubi speciatim dicitur : *a*) de Commemorationibus specialibus ; — *b*) de Commemorationibus communibus ; — *c*) de Orationibus Votivis, seu Collectis. — 4° De Orationum conclusione. — 5° De Orationum mutatione. — 6° De Orationibus quibusdam determinatis.

ARTICULUS I

DE ORATIONUM STRUCTURA.

Q. 69. *Quot partibus constat Oratio (sive Oratio, sive Secreta, sive Postcommunio)?*

R. Sic ordinarie constructa est Oratio, ut quatuor partibus explicite vel implicite constet, nimirum oratione, gratiarum actione, postulatione et obsecratione, juxta Apostoli monitum in I ad Timotheum, Cap. II, ℣. 1. (**S. Thomas, 2ª 2æ, quæst.** 83, a. 17.)

1° Oratio seu elevatio mentis in Deum, statim initio præmitti solet, compellato Summo Numine hisce verbis : *Omnipotens sempiterne Deus....*, vel frequentius *Deus..., Domine..., Domine Deus...*, etc.

2° Orationem excipit gratiarum actio, sive pro mysterio quod ea die recolitur, ut cum dicimus : *Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere..., Qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti...*, etc., sive pro gloria, aut certa aliqua gratia Sancto, cujus Festum agitur, collata, vel etiam nobis ipsis illius ope et intercessione, cujusmodi sunt ista : *Qui Beatum Petrum a vinculis absolutum..., Qui universum mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti..., Qui populo tuo æternæ salutis Beatum Ambrosium ministrum tribuisti...*, etc.

3° Postulatione, quæ Collectæ præcipua pars est, continetur gratia seu beneficium quod a Deo poscitur, puta liberatio a peccatis, ereptio a periculis, vitæ æternæ adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiæ, etc. Exprimitur hujusmodi postulatio hisce plerumque verbis : *concede, da, largire, præsta, tribue, quæsumus*, etc.

Pulcherrima aliquando est in postulatione allusio ad id quod in gratiarum actione fuit memoratum, ex. gr., in Festo S. Petri ad vincula, 1 Augusti, in Transfiguratione Domini, 6 Augusti, etc.

4° Obsecratio Collectam terminat his verbis : *Per Dominum nostrum..., Qui vivis et regnas..., Qui tecum vivit...*, etc. Est quædam doxologia in honore SS. Trinitatis.

Nota. In Orationibus de Sanctis communiter exprimitur, sive in gratiarum actione, sive in postulatione, eorum nomen, et nomini sæpius adjungitur qualitas Sancti, ex. gr., Apostoli, Martyris, Pontificis, Doctoris, Confessoris, Virginis; sic quidem in Oratione S. Isidori agricolæ (15 Maji, in Appendice Missalis) legitime dicitur: S. Isidorus agricola (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Septembris 1885, n. 3642, antiq. 5949, ad 1).

Sed notandum est quod in Orationibus numquam exprimi possunt cognomina et patriæ Sanctorum, non obstante quacumque contraria consuetudine, uti non semel declaravit S. Rituum Congregatio. Igitur in Orationibus numquam dicetur Franciscus *de Paula* (Decret. 14 Februarii 1632, n. 583, antiq. 947); Petrus *Nolascus* (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, Rel. dub. ad 2); Joannes *de Matha*, Franciscus *de Borgia*, Franciscus *Xaverius*, Philippus *Benitius*, etc.

Attamen in Orationibus S. Joannis Chrysostomi (27 Januarii), et S. Petri Chrysologi (4 Decembris), non sunt expungenda nomina *Chrysostomi* et *Chrysologi*, quia hæc adjectiva potius sunt, et vel facundiam, vel vim et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis quasi supernaturali virtute inditam designant. (Decret. 5-8 Martii 1825, n. 2637, antiq. 4610.)

Item in Oratione S. Mariæ Magdalenæ addendum est verbum *Magdalena*. (Cfr. Adnotatio super Generali Decreto n. 2637, Vol. IV Collectionis, pag. 263.)

Q. 70. *Ad quem diriguntur generatim Orationes?*

R. Communiter ad Patrem, interdum ad Filium, numquam ad Spiritum Sanctum.

Communiter ad Patrem: 1° quia Dominus Jesus ita orare nos docuit per **Pater noster**; 2° quia Missa repræsentatio est illius oblationis qua Christus se Patri obtulit.

Interdum ad Filium: assumpsit hujusmodi Orationes Ecclesia tempore Arianæ hæresis, quæ Filii divinitatem negabat, ne cui in mentem veniret, non posse disertis verbis invocari nisi Patrem; adhibentur præcipue in Missis de Mysteriis Verbi incarnati. (Bellarminus.)

Numquam ad Spiritum Sanctum: nullum etenim suf-

ficiens motivum visum fuit Ecclesiæ, ut a prima regula in gratiam Tertiæ SS. Trinitatis Personæ deflecteret.

Unica tantum eaque solemnis invocatio Spiritus Sancti occurrit in Missæ Sacrificio, nempe ad Offertorium, cum post oblationem panis et vini invocatur per Orationem : *Veni, Sanctificator, etc. ;* quæ Oratio dicitur Epiclesis, et in omnibus Liturgiis, licet non eodem Missæ loco, reperitur. In hac petitur ut ignis Spiritus Sancti delabatur, absumatque panem et vinum, et in Corpus et Sanguinem Christi convertat ; quo quidem declaratur, quemadmodum Christi Corpus Spiritus Sancti opera in virginali B. Mariæ utero formatum fuit, ita per eumdem Spiritum Sanctum confici super Altare. (Benedictus XIV. *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. X, n. 20.)

Insuper in quibusdam Missis aliæ etiam laudes ad Spiritum Sanctum depromuntur ; ex. gr., Sequentia : *Veni, Sancte Spiritus.*

Orationes omnes absolvuntur **per Filium**, quia unus est Mediator Dei et hominum, Deus et homo Christus Jesus, et per Eum solum accessum habemus ad Patrem. (Epist. I ad Timotheum, Cap. IV, ℣. 10 ; et ad Romanos, Cap. V, ℣℣. 1, 2.)

Q. 71. *Quid de antiquitate Orationum notant auctores ?*

R. Quoad naturam, ab Apostolicis temporibus ducunt originem. Illæ vero, quibus nunc utimur in Missis, præsertim in Missis de Tempore, majori pro parte Sanctos Pontifices Gelasium († 496), et Gregorium Magnum († 604) auctores habent. Reliquæ temporis successu adjectæ sunt, et etiamnum ab Ecclesia adjunguntur, prout nova Festa id exigere videntur.

ARTICULUS II

DE ORATIONUM NUMERO

Q. 72. *Quot numero Orationes in Missa dicuntur ?*

R. Sanctus Gregorius Magnus statuit unam tantum in Missa dici Orationem ; postea tamen numerus Orationum excrevit ; Innocentius III († 1216) testatur suo

tempore tres Orationes recitari, aut quinque, aut septem. (*De Sacro Altaris Mysterio.* Lib. II, Cap. 26.)

Hodie Orationum numerus determinatur juxta ritum, dignitatem et solemnitatem Festorum ; ita ut generatim et per se ritus duplex unicam, ritus semiduplex tres requirat, ritus simplex ultra tres requisitas usque ad quinque vel septem admittat Orationes. Dicitur per se, quia aliquando in ritu duplici memoria facienda, seu Commemoratio occurrentium Officiorum plures quam unicam exigit Orationes ; ex qua eadem causa in aliis ritibus, scilicet semiduplici, et simplici, ultra tres quandoque plures sunt dicendæ. Si autem ex hujusmodi causa in Missa ritus simplicis quatuor forent dicendæ aut sex, non ideo deberet alia addi ad numerum imparem perficiendum ; quia præscriptio numeri imparis tantum spectat Orationes votivas stricte dictas, pro Celebrantis devotione ad libitum, non necessario, superadditas.

Ultra requisitas Orationes in ritu duplici aut semiduplici aliam aliasve addere ex devotione, vel pro currenti necessitate, ex. gr., pro infirmo, vel agonizante, numquam licet ; fieri hoc non potest absque expressa Rubricæ dispositione, aut Indulto S. Sedis, aut Episcopi præscripto.

Q. 73. *Quæ dantur numeri Orationum rationes ?*

R. Imparem numerum præscribunt Rubricæ, quia Ecclesia « unitatem et conjunctionem vehementer desiderat, quæ per imparem numerum exprimitur, qui cum in æquas partes secari non possit, integritatem suam tuetur. » (Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ.* Lib. II, Cap. V, n. 3.)

Unica Oratio solemnitatem denotat et unitatis sacramentum. — Tres Orationes dicuntur in honorem SS. Trinitatis, vel in memoriam trinæ orationis Christi in horto. — Quinque in venerationem quinque Vulnerum D. N. J. C. — Septem, quia septem sunt petitiones in Oratione dominica ; in qua cum omnia petimus, plures quam septem Orationes non dicuntur.

ARTICULUS III

DE ORATIONUM SPECIEBUS ET ORDINE

Q. 74. *Ad quot species reduci possunt Orationes omnes quæ in Missa, præter Orationem Missæ propriam seu substantialem, dici debent aut possunt ?*

R. Ad tres species revocari possunt ; sunt nempe :

1° *Commemorationes stricte sumptæ* seu *speciales*. Sunt autem illæ quæ correspondent Commemorationibus in Officio factis, puta de Dominica, de Octava, de Simplici, etc. ; de quibus in Rubricis Missalis toto Titulo VII agitur.

2° *Orationes ordinariæ*, seu *Commemorationes communes ;* per quas intelliguntur Orationes in Missis ritus semiduplicis et simplicis secundo et tertio loco addendæ ; quales sunt : *A cunctis, Ad libitum, Pro Papa*, vel *Ecclesiæ*, etc., diversæ pro diverso anni tempore, ut docet Titulus Rubricarum IX ; quæque ideo vocantur etiam *Orationes pro tempore assignatæ*. Hæ Orationes correspondere solent Commemorationibus communibus seu Suffragiis, quæ in Officio ad Vesperas et Laudes fiunt.

3° *Orationes votivæ ;* sunt illæ quæ, præter Commemorationes speciales et communes, quibusdam in casibus adduntur in Missa, nullamque habent relationem cum Officio, et ideo vocantur *votivæ*. Duplices sunt :

a) Ex iis aliæ ex mandato Rubricæ aut Superioris dicendæ præscribuntur, et vocantur *votivæ late dictæ ;* quales sunt : Oratio de SS. Sacramento, dum exponitur SS. Sacramentum ; Oratio in Anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis, item in Anniversario electionis, et consecrationis, vel translationis Episcopi ; et Oratio imperata.

b) Aliæ vero Orationes votivæ illæ sunt quæ ad arbitrium Celebrantis addi possunt in Missis ritus simplicis, nempe in Missis de Festo simplici, aut de Feria, aut in Missis votivis privatis ; et hæ sunt *stricte votivæ*. (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5 ; Tit. IX, n. 12.)

§ 1. De Commemorationibus specialibus

Q. 75. *Quid est Commemoratio specialis ?*

R. Commemoratio specialis, seu stricto sensu accepta, proprie est memoria illius de quo fieret Officium et diceretur Missa, nisi ab alio digniore impediretur ; quæque per Orationem, Secretam, et Postcommunionem Officii impediti in Missa peragitur.

Exemplum : 28 Augusti, duo occurrunt Festa, videlicet S. Augustini, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, Duplex, et S. Hermetis, Martyris, Simplex, simul celebranda. Officium et Missa est de S. Augustino, utpote Duplex, de S. Hermete vero recitatur tantum Oratio loco ipsius integri Officii et Missæ ; hæc autem Oratio vocatur Commemoratio specialis.

Q. 76. *Quæ Commemorationes speciales faciendæ sunt in Missa ? Quænam ex eis numquam omittuntur ? Quænam amittunt jus ut fieri possint, et in quibus casibus ?*

R. I. Dicta Oratione Missæ, cujus Officium in Occurrentia cum aliis prævalet, dicuntur Commemorationes speciales eorum Officiorum quæ eadem die occurrerunt, quæque possunt esse : Festum duplex minus quod non est Sancti Ecclesiæ Doctoris ; Festum semiduplex ; Festum simplex ; Dominica ; Feria major ; Vigilia ; dies infra Octavam ; dies Octava. Horum, si facta fuerit Commemoratio in Officio ad Vesperas, et Laudes, facienda quoque est Commemoratio in Missa.

Attamen, sicut hujusmodi Officia, ob præstantiam ejus quod dictum fuit integrum, jus amittere possunt ad Commemorationem in Vesperis et in Laudibus, ita quoque idem jus amittere possunt ad Commemorationem in Missa.

II. Jus illud numquam amittunt Dominica, Feria major, dies Octava, dies infra Octavam privilegiatam ; quarum semper fieri debet Commemoratio.

III. Sed, si Missa dicitur de Festo duplici 1 classis, non potest in hac Missa fieri Commemoratio Festi duplicis aut semiduplicis ad instar simplicis redacti ; neque Festi simplicis ; neque diei infra Octavam communem ; neque Vigiliæ minoris ; neque Feriæ III aut IV Rogationum.

Si Missa dicitur de Festo duplici 2 classis, non potest in ea fieri Commemoratio diei infra Octavam communem. (De Commemoratione Festi simplicis in casu dicetur Q. 78.)

Hæc omnia longius exponuntur in Tractatu de Officio divino, QQ. 163 et 164. Regulæ enim pro Missa dantur omnino eædem quam pro Officio, ita ut Rubrica generalis Missalis (Tit. VII, n. 1) simpliciter pro responso ad propositam Quæstionem dicat : « Commemorationes in Missis fiunt sicut in Officio. »

Q. 77. *Quo ordine faciendæ sunt Commemorationes speciales in Missa ?*

R. Commemorationes, si plures sunt faciendæ, in Missa etiam eodem ordine fiunt, quo dictæ fuerunt in Officio ; et servatur regula, ut de eo prius Commemoratio dicatur, de quo, secluso impedimento, Missa diceretur. Unde sequens ordo servabitur :

1° De Dominica privilegiata, seu majori secundæ classis ;

2° de die Octava ;

3° de Sancto cujus Festum, per se duplex, per accidens agitur tamquam simplex ;

4° de Dominica communi per annum ;

5° de die infra Octavam SS. Corporis Christi ;

6° de Sancto cujus Festum, per se semiduplex, per accidens agitur tamquam simplex ;

7° de die infra Octavam communem ;

8° de Feria majori ;

9° de Vigilia ;

10° de Sancto cujus Festum per se simplex est.

(Cfr. Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5, reformatæ Decreto 11 Decembris 1897.)

Facilis est usus hujus Tabellæ, in qua statim quis videre potest quo ordine disponendæ sint Commemorationes speciales, quæ plures aliquando occurrunt in Missa faciendæ. Exemplum sit sequens : Die 30 Augusti, celebratur Festum duplex minus S. Rosæ Limanæ, Virginis, et simul Festum simplex SS. Felicis et Adaucti, Martyrum ; anno 1903, dies 30 Augusti est dies Dominica, et occurrit Officium Dominicæ XIII post Pentecosten, quæ est Dominica communis per annum ; et cum hæc Dominica sit juxta computum ecclesiasticum prima Septembris, celebran-

dum venit in Archidiœcesi Mechliniensi Festum SS. Angelorum Custodum, duplex 2 classis. — Ex regulis in Tractatu de Officio divino traditis pro casu Occurrentiæ plurium Officiorum, notum est Officium et Missam dici de Festo prævalente SS. Angelorum; de reliquis Officiis occurrentibus fiet Commemoratio; et cum plura sint, ex Tabella præcedenti statim patet Commemorationes esse instituendas in Missa hoc ordine : 1ª de Festo duplici simplificato S. Rosæ; 2ª de Dominica; 3ª de Festo simplici SS. Felicis et Adaucti, Martyrum (pro hac tamen animadvertendum est id quod dicetur in sequenti Quæstione).

Q. 78. *Indica exceptiones ad regulam Commemorationum, positam Q. 76.*

R. Exceptiones ad hanc regulam sunt sequentes :

1ª Quando celebratur Festum duplex 2 classis, sicuti tunc in ejus Officio Commemoratio Festi simplicis omittitur quidem in primis Vesperis, dicitur vero in Laudibus, ita in Missa ejusmodi Festi Commemoratio Festi simplicis omittitur in omni Missa solemni aut cantata, dicitur autem in Missa privata. Ita ut Commemorationi Festi simplicis in Laudibus tantum factæ respondeat facta ejusdem Commemoratio in Missis privatis, et omissioni Commemorationis in Vesperis respondeat ejusdem omissio in Missis solemnibus et cantatis.

Animadvertendum est, quod hæc exceptio non attingat Festa duplicia vel semiduplicia quæ aguntur ad instar simplicis; etenim Rubrica Generalis Missalis innovata dicit : « De Festo duplici aut semiduplici cujus facta est Commemoratio per modum simplicis in Officio, etiam in Missa fit Commemoratio, non excepta Missa solemni in Festis duplicibus secundæ classis. » (Tit. VII, n. 1.)

Exemplum : Jam intelligitur ratio animadversionis indicatæ in solutione ad casum positum in Quæstione præcedente pro Commemoratione Festi simplicis SS. Felicis et Adaucti, Martyrum. Etenim, quia Festum SS. Angelorum Custodum, cujus dicitur Missa, est duplex 2 classis, fiet quidem Festi simplicis Commemoratio in Missis privatis, debet autem omitti in Missis solemnibus et cantatis, etiamsi ejus Commemoratio facta fuerit in Officio ad Laudes. De Festo S. Rosæ Limanæ, duplici ad instar simplicis redacto, quia non est simplex per se, fiet Commemoratio in omnibus Missis, etiam solemnibus et cantatis Festi SS. Angelorum; sicuti in Officio facta quoque fuit ejus Commemoratio non tantum in Laudibus, sed et in Vesperis.

2ª In Dominica Palmarum, et in Vigilia Pentecostes, omittitur in Missa non tantum solemni sed et in Missa quacumque, etiam privata, Commemoratio, licet facta in Officio, non tantum Festi simplicis, sed etiam Festi duplicis aut semiduplicis ad modum simplicis redacti.

3ª Fit Commemoratio in Missa, etiamsi in Officio facta non sit, de Feria III et IV Rogationum; item de Vigiliis, quando hæ cadunt in Adventu, in Quadragesima, aut in Quatuor Temporibus. — Omittuntur tamen istæ Commemorationes in Festo duplici 1 classis, uti dictum fuit Quæstione 76, ad III.

Q. 79. *Indica exceptionem ad regulam datam Q. 77, de ordine Commemorationum.*

R. In Missali Romano unica datur exceptio ad regulam positam de ordine servando in Commemorationibus; scilicet: Quemadmodum in Officio divino, ad Laudes et Vesperas, quædam Commemorationes semper dicuntur immediate post Orationem substantialem Officii, ante alias quascumque, sub altera tamen conclusione; nempe Commemorationes de S. Paulo Apostolo in Officiis Festorum S. Petri Apostoli, et de S. Petro Apostolo in Officiis Festorum S. Pauli Apostoli, prout in Rubricis specialibus horum Festorum dicitur (cfr. Proprium Sanctorum in Breviario, in Festis Cathedræ S. Petri Romæ, 18 Januarii; Cathedræ S. Petri Antiochiæ, 22 Februarii; S. Petri ad Vincula, 1 Augusti; Conversionis S. Pauli, 25 Januarii; Commemorationis S. Pauli, 30 Junii); — ita hujusmodi Commemorationes quoque in Missis horum Festorum semper dicuntur primo loco post Orationem propriam Missæ, sub altera tamen conclusione, et eis dictis, adduntur, si faciendæ occurrunt, reliquæ Commemorationes speciales. (Cfr. Rubricæ generales Missalis, Tit. VII, n. 5, reformatæ per Decretum 11 Decembris 1897.)

Nota. I. Idem dicendum est de Commemoratione S. Joseph, in Festo Desponsationis B. Mariæ V. (23 Januarii, in Appendice Breviarii et Missalis), ubi hoc Festum celebratur; etenim Commemoratio S. Joseph dicitur ante alias quascumque, primo loco post Orationem Festi Desponsationis, sub altera tamen conclusio-

ne. — Sed animadvertendum est, hanc S. Joseph Commemorationem non debere fieri vi Rubricæ, sicut supradictæ de Sanctis Petro et Paulo; imo ipsam non posse fieri in hoc Festo Desponsationis, nisi constet de speciali ejusdem Commemorationis concessione, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Tit. IX). — In nostra Diœcesi, ubi Festum jam celebratur a sæculo XVIII, Indultum pro Commemoratione S. Joseph concessum fuit 11 Martii 1875. (Cfr. Directorium anni 1876.)

Nota. II. Hæc exceptio quoad ordinem non est applicanda Commemorationi Omnium SS. Apostolorum, quæ fit in Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii), neque Commemorationi Omnium SS. Martyrum, quæ fit in Festo S. Stephani, Protomartyris (26 Decembris). — Istæ Commemorationes, de quibus in Rubricis nihil habetur, fuerunt præscriptæ, per Breve Clementis XIV, 22 Junii 1771, Archidiœcesi Mechliniensi, Austriacæ ditioni tunc temporis subjectæ, occasione abrogationis, quoad feriationem, nonnullorum Festorum SS. Apostolorum et SS. Martyrum; ut fideles aliquo modo eorum memoriam servent, ac venerentur. (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. II, pag. 507.) Idem præceptum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, 9 Aprilis 1802, pro toto territorio Reipublicæ Gallicanæ. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechliniensis, Tom. I, pag. 45.) S. Rituum Congregatio rescripsit, istas Commemorationes esse faciendas, non immediate post Orationem Festorum in quibus fiunt, sed post Commemorationes speciales occurrentes. (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 12, antiq. 5381, ad 14.) Itaque Commemoratio Omnium SS. Apostolorum fiet post Commemorationem Dominicæ, quoties Festum SS. Petri et Pauli occurrit in Dominica (ut fit anno 1902); et Commemoratio Omnium SS. Martyrum in Festo S. Stephani, Protomartyris, fiet post Commemorationem Octavæ Nativitatis Domini.

§ 2. De Orationibus ordinariis, seu Commemorationibus communibus

Q. 80. *Quis est usus Orationum ordinariarum, seu Commemorationum communium ?*

R. Cum ritus semiduplex et simplex plures in Missa requirat Orationes (cfr. Q. 72), et plerumque præter Orationem substantialem Missæ, seu Missæ propriam, alia Commemoratio specialis facienda non occurrat, oportuit assignare, quæ et quot Orationes in illo casu dicendæ sint ; utrumque docetur per integrum Tit. IX Rubricarum generalium.

Q. 81. *Quæ sunt diversæ Orationes quæ pro Commemorationibus communibus assumuntur ?*

R. Sunt sex sequentes : 1ª de B. Maria V. ; 2ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa ; 3ª *A cunctis ;* 4ª pro vivis et defunctis ; 5ª de Spiritu sancto ; 6ª Oratio ad libitum celebrantis.

Nota. Sequens tabula indicat quomodo per diversa anni ecclesiastici tempora adhibendæ sint, juxta Tit. IX Rubricarum Missalis, et quasdam Rubricas particulares.

1° **A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive** : 2ª Oratio dicitur de B. Maria V. ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa. — Ita in Missis de Dominicis et Feriis ; in Festis vero semiduplicibus 2ª Oratio dicitur de Feria ; 3ª de B. Maria V.

2° **Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem** : 2ª Oratio de B. Maria V. ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

3° **A Purificatione usque ad Feriam IV Cinerum** : 2ª Oratio *A cunctis ;* 3ª ad libitum.

4° **A Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis** : 2ª Oratio *A cunctis ;* 3ª pro vivis et defunctis. — In Festis semiduplicibus 2ª Oratio dicitur de Feria ; 3ª *A cunctis.*

5° **A Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini** : 2ª Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa ; 3ª non dicitur. — In Festis semiduplicibus 2ª Oratio dicitur de Feria ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

6° **Infra Octavam Paschatis** : 2ª Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa ; 3ª non dicitur.

7° **Ab Octava Paschatis usque ad Vigiliam Pentecostes** : 2ª Oratio de B. Maria V. ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

8° **Infra Octavam Pentecostes** : dicuntur Orationes sicut infra Octavam Paschatis, n. 6°.

9° **Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum** : 2ª Oratio *A cunctis ;* 3ª ad libitum.

10° **Infra Octavas B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum** ; item in Sabbato, quando de B. Maria V. factum est Officium : 2ª Oratio de Spiritu sancto ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

11° **Infra Octavas SS. Corporis Christi, et Sanctorum** : 2ª Oratio de B. Maria V. ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

12° **In Festis semiduplicibus infra Octavas occurrentibus** : 2ª Oratio dicitur de Octava ; 3ª illa quæ secundo loco infra Octavas ponitur.

13° **In Vigiliis quæ jejunantur** (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon Omnium Sanctorum) : 2ª Oratio de B. Maria V. ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

14° **In Vigilia Omnium Sanctorum** : 2ª Oratio de Spiritu sancto ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

15° In Missis Votivis quæ respondent Officiis Votivis per annum, Indulto 5 Julii 1883 concessis pro diversis hebdomadæ diebus (cfr. Q. 41), 2ª Oratio et 3ª erunt ut in Semiduplicibus pro diversitate temporis. (Rubrica specialis harum Missarum.)

Et quidem pro Missa de SS. Sacramento, in Feriis quintis, declaravit S. Rituum Congregatio, quod Orationes in ea dicendæ sunt, non ut infra Octavam SS. Corporis Christi (vide supra n. 11°), sed tempori congruentes. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § 1.)

Pro Missa Votiva de Immaculata Conceptione B. Mariæ V., servatur Rubrica generalis (Tit. IX, n. 15), quod in ipsa dicitur 2ª Oratio de Spiritu sancto ; 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

Q. 82. *Quænam intelligitur Oratio de B. Maria V., quæ pro diversis temporibus indicatur dicenda ?*

R. Intelligitur ea quæ reperitur in Missis Votivis de B. Maria V., in quinta parte Missalis (cfr. Q.37); dicitur itaque illa quæ assignatur secundum varietatem temporis in quo Missa celebratur ; ex. gr., ab Epiphania usque ad Purificationem erit Oratio : *Deus, qui salutis, etc. ;* a Paschate usque ad Vigiliam Pentecostes erit : *Concede nos, etc.*

Q. 83. *Quot, et quæ Orationes dicuntur in Missa ritus semiduplicis, id est, de Dominicis, Festis semiduplicibus, et diebus infra Octavas ?*

R. In Missis ritus semiduplicis tres Orationes dicuntur, quarum prima est Oratio substantialis Missæ, reliquæ duæ sunt Orationes ordinariæ, nisi faciendæ sint Commemorationes speciales.

Q. 84. *Quæ sunt Officia ritus semiduplicis, quæ in Missa tres Orationes non admittunt ?*

R. 1° Duo sunt Officia ritus semiduplicis in quorum Missis unica tantum dicitur Oratio : scilicet : Dominica in Palmis, et Vigilia Pentecostes. Et etiamsi, ut non raro fit, in Officio Dominicæ Palmarum, aut Vigiliæ Pentecostes facta fuisset in Laudibus commemoratio alicujus Festi duplicis aut semiduplicis quod ad instar simplicis agitur, de hoc nulla fieri potest in Missa his. diebus Commemoratio.

2° Dominica de Passione, et dies infra Octavas Paschatis et Pentecostes, inde a Feria IV usque ad Sabbatum, sunt Officia ritus semiduplicis, in quorum Missis duæ tantum dicuntur Orationes, ut supra (Q.81, 6° et 8°) jam notatum fuit. Et si iisdem diebus occurreret facienda Commemoratio specialis alicujus Sancti, cujus Officium per se simplex est, aut ad instar simplicis agitur, tunc dicitur in Missa secunda Oratio de Sancto ; nec ideo dicetur tertio loco Commemoratio communis *Ecclesiæ*, vel pro Papa ; sed tertia Oratio omittitur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Septembris 1736, n. 2325, antiq. 4054, ad 1.)

3° Idem notetur pro Missa Dominicæ, cujus Officium infra aliquam Octavam occurrit ; unde si alicubi celebretur Octava Festi Patroni loci aut Titularis Eccle-

siæ, et Dominica infra Octavam Officium et Missa dicantur de Dominica, modo nulla alia specialis Commemoratio quam de Octava occurrat facienda, in Missa de Dominica dicuntur tantum duæ Orationes, de Dominica scilicet et de Octava. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 10.)

Exemplum : Anno 1902, Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi occurrit 1 Junii, qua die nullum Festum aut Officium in Kalendario assignatur. Officium fit de Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi, et in Missa hujus Dominicæ fit Commemoratio specialis Octavæ SS. Corporis Christi ; et hæc tantum dicitur, nec additur tertio loco Commemoratio communis.

Idem habetur eodem hoc anno Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Aliud exemplum : Supponitur S. Georgius, Martyr (23 Aprilis), Patronus loci, aut Titularis Ecclesiæ cujusdam. Anno 1902, Dominica infra ejus Octavam (27 Aprilis), est Dominica IV post Pascha, dies libera a Festo in Kalendario generali. — In loco Patronatus S. Georgii, aut in ejus Ecclesia, dicetur quidem hac die, sicut alibi, Officium et Missa de Dominica IV post Pascha ; sed ibi in Missa fiet tantum Commemoratio Octavæ S. Georgii, et non tertio loco dicetur Commemoratio communis *Concede*, de B. Maria V. ; sed tertia Oratio omittetur, dum alibi tres Orationes in eadem Missa de Dominica dici debent.

Q. 85. *An in Missa ritus semiduplicis plures quam tres Orationes dici non possunt ?*

R. Si per Orationes intelligas Orationes ordinarias, seu Commemorationes communes, secundo et tertio loco assignatas (cfr. Q. 81), dicendum est quod in Missis ritus semiduplicis plures quam tres Orationes dici non possunt ; si vero sub hoc vocabulo etiam comprehendas Commemorationes speciales, tunc dicendum est quod sane plures quam tres Orationes in iisdem Missis dici possunt, et quidem debent ; quando nimirum tres vel quatuor occurrunt faciendæ Commemorationes speciales in Officio, tunc quatuor vel quinque habebis in Missa Orationes dicendas. Unde quando dicitur quod in Missa ritus semiduplicis tres Orationes (cfr. Q. 83), vel aliquando duæ tantum (Q. 84, 2° et 3°) recitentur, abstrahitur a Commemorationibus specialibus quæ forte occurrunt. Rarius tamen hoc fit, quod tres Commemorationes speciales sint dicendæ in Missis ritus semiduplicis.

Q. 86. *Quæ dicuntur Orationes in Missa ritus simplicis, scilicet in Missis de Festo simplici, Feria et Vigilia ?*

R. Tres Orationes quæ saltem dici debent, sunt, sicut in Missa ritus semiduplicis : prima, substantialis Oratio Missæ ; reliquæ duæ, Orationes ordinariæ, seu Commemorationes communes ; sed præter istas tres requisitas potest ad libitum suum Sacerdos alias dicere, seu addere Orationes, sed tantum usque ad quinque vel septem ; hæ autem Orationes ad libitum additæ sunt Votivæ stricte dictæ (cfr. Q. 74, 3°), de quibus infra agitur in § 3.

Unica est pro requisito numero ternario exceptio, in Missa feriali tempore Passionis, a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini ; in qua duæ tantum præscribuntur (cfr. Q. 81, 5°), nec aliæ ad libitum addi possunt. Et si iisdem diebus occurreret facienda Commemoratio specialis alicujus Sancti, cujus Officium per se simplex est, aut ad instar simplicis agitur, tunc dicitur in Missa secunda Oratio de Sancto, nec ideo dicetur tertio loco Commemoratio communis *Ecclesiæ*, aut pro Papa ; sed tertia Oratio omittitur. (Decret. S. Rituum Congregationis 4 Maji 1709, n. 2193, antiq. 3808, ad 2.)

Q. 87. *Si, cum plures Orationes ordinariæ, ex. gr., secunda* A cunctis, *tertia* Ad libitum, *dicuntur, occurrat fieri Commemorationem, ex. gr., alicujus Sancti, quid faciendum jubet Rubrica ?*

R. In tali casu hæc Commemoratio specialis ponitur secundo loco, et pro tertia Oratione ordinaria sumitur illa quæ alias secundo loco dicenda erat ; quæ vero superest Oratio ordinaria omittitur. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 16.) In casu proposito secunda Oratio erit Commemoratio Sancti, tertia *A cunctis*. Quod si duæ occurrant Commemorationes speciales, utraque omittitur Oratio ordinaria. Ex quibus colligitur hæc regula generalis : Orationes ordinariæ semper locum cedunt Commemorationibus specialibus.

Nota. Possunt in hac Orationum, seu potius Commemorationum materia occurrere casus extraordinarii, qui non expresse exponuntur in tabula Commemorationum descripta ad

Q. 81, nec in supradicto responso. Juvat unum et alterum S. Rituum Congregationis Decretum referre, quo determinatur quid in quibusdam casibus sit faciendum.

1. Dubium : « An infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., occurrente aliqua Feria, Missæ debeant dici de Feria, vel de die infra Octavam ? Et quatenus Missæ dicantur de Feria, quænam Orationes in Missis apponi debeant ? » S. Congregatio sequentem resolutionem approbavit : « Quando occurrit Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum infra Octavam Conceptionis B. Mariæ V., debet recitari Officium de die infra Octavam Conceptionis ; Missæ autem dicantur de Feria Quatuor Temporum, cum secunda Oratione de Octava, tertia vero de Spiritu sancto, quæ semper dicitur infra Octavas Festorum B. Mariæ V., juxta Tit. IX, de Orationibus, n. 7 et 9. Oratio enim, quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, in casu ponitur loco tertio. At si Feria Quatuor Temporum occurrat in die Octava Conceptionis, omnes Missæ privatæ dicantur de Octava Conceptionis, cum Commemoratione Feriæ ; Missa autem solemnis, quæ dicitur post Tertiam, erit de ipsa die Octava Conceptionis sine Commemoratione Feriæ, cum de ea cantari debeat alia Missa post Nonam sine Commemoratione Conceptionis, de qua nulla habenda est ratio. Dicendæ autem sunt Orationes assignatæ in ipsa Feria, nempe secunda : *Deus qui de Beatæ*, et tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. » (Decret. 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad Reliq. dub. n. 26, antiq. n. 30.) — Animadvertendum est in ultima parte Decreti agi de Missa conventuali, et Missas privatas ibi significare Missas non conventuales. (Cfr. Q. 12.)

2. Ad dubium : « Occurrente Festo semiduplici in Vigilia alicujus Apostoli, in Missa Festi tertia Oratio eritne *A cunctis*, vel *Concede* ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Esse recitandam Orationem *A cunctis*. » (Decret. 15 Septembris 1736, n. 2326, antiq. 4055, ad 5.) — Ex hoc Decreto jam intelligitur diversitas Orationum quæ præscribuntur, ex. gr., in Directorio seu Ordine Officiorum pro anno 1902, diebus 27 et 31 Octobris, in Missis tum Vigiliæ SS. Simonis et Judæ Apostolorum, tum Vigiliæ Omnium Sanctorum, et Missis utriusque Officii Votivi semiduplicis, tum de SS. Angelis, tum de Passione Domini, quæ iisdem diebus loco Officii utriusque Vigiliæ dici possunt anno 1902.

Q. 88. *An, cum una vel plures Commemorationes speciales occurrunt, et Celebrans in Missa Festi simplicis, Feriæ, vel Vigiliæ, aut in Votiva, plures quam tres Orationes recitare velit, tunc post Commemorationes speciales, non sunt præferendæ Commemorationes communes, quæ locum cedere debuerunt specialibus ?*

R. Auctores censent liberum Sacerdoti esse quas voluerit Orationes addere, relictis Commemorationibus

communibus, quia sicut istæ penitus omitti possunt ita et possunt aliæ sumi.

§ 3. De Orationibus Votivis

Q. 89. *Quo loco ponendæ sunt Orationes Votivæ, tum late, tum stricte dictæ ?*

R. Orationes Votivæ, tum late, tum stricte dictæ (cfr. Q. 74, 3°) ponuntur immediate post Commemorationes speciales et communes, de quibus hucusque egimus. Ex quo sequitur nullam ex his Commemorationibus, etiam communibus omitti posse ut ejus loco dicatur aliqua Oratio Votiva ; unde si Commemoratio tertio loco assignata est *A cunctis*, vel alia, etiam Oratio ad libitum Sacerdotis eligenda, non potest hæc omitti ut dicatur, ex. gr., Oratio imperata ab Episcopo, aut Oratio SS. Sacramenti, quando expositum est.

Q. 90. *Quis ordo servandus est in dicendis istis Orationibus Votivis ?*

R. Votivæ Orationes late dictæ, dicendæ vi Decretorum, aut præcepti Superioris, præcedunt Votivas stricte dictas quas Sacerdos ad libitum suum in Missa addit, et si plures sint dicendæ, ordo inter ipsas servandus est sequens : primo loco semper dicitur Oratio de SS. Sacramento, cum expositum est ; deinde Oratio in Anniversario creationis et coronationis Summi Pontificis ; vel Oratio in Anniversario electionis, consecrationis vel translationis Episcopi ; tandem Oratio imperata. De eis dicetur speciatim in sequentibus Quæstionibus 93, 97, 103.

Nec refert quod aliquando Oratio imperata dignior sit quam præcedens Votiva Oratio ; nam, ex. gr., in casu Missæ solemnis coram SS. Sacramento exposito, quo tempore Oratio de Spiritu sancto foret imperata, Oratio de SS. Sacramento est præmittenda Orationi imperatæ de Spiritu sancto. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Aprilis 1871, n. 3245, antiq. 5480, ad 1.)

Ultimo sequuntur Orationes stricte dictæ Votivæ, quas Sacerdos pro sua devotione in Missa ritus simplicis aliis superaddere potest, eo numero ut simul

cum his sumptæ surgant ad quinque vel septem ; vocantur etiam Orationes ad libitum Sacerdotis dicendæ, sed distinguendæ omnino sunt a Commemoratione communi, quæ etiam Oratio ad libitum vocatur (cfr. Q. 81).

Q. 91. *Quænam Orationes desumi possunt pro Orationibus Votivis* **stricte dictis** *?*

R. Orationes istæ desumi possunt non tantum ex serie Orationum diversarum in sexta parte Missalis (cfr. Q. 38), sed e quacumque Missa, de Communi vel Proprio, modo hæc ut Missa Votiva celebrari possit, vel ex Votivis Missis (cfr. Q. 37) ; mutatis mutandis ut explicabitur in quæstionibus de Missis Votivis.

Q. 92. *Quisnam ordo servandus est, si plures dicantur Orationes Votivæ stricte dictæ ?*

R. Si plures dicantur Orationes Votivæ, servandus est ordo dignitatis Orationum, ita ut dicantur Orationes Votivæ de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Sacramento, de Cruce, ante Votivas de Beata ; et de Angelis, de S. Joanne-Baptista, de S. Joseph, ante Apostolos ; de Apostolis ante reliquos Sanctos ; et sic deinceps juxta ordinem Litaniarum. (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 5.)

Pro aliis Votivis quæ ex serie Orationum diversarum in sexta parte Missalis eliguntur (cfr. Q. 38), servetur ordo juxta quem ibidem ponuntur.

APPENDIX DE ORATIONIBUS VOTIVIS LATE DICTIS

§ 1. De Oratione SS. Sacramenti expositi

Q. 93. *Da regulas de dicenda vel omittenda Oratione SS. Sacramenti in Missa, ratione Expositionis SS. Sacramenti.*

R. Prænotatur quod duæ diversæ Expositiones SS. Sacramenti veniunt distinguendæ :

A) Prior Expositio, solemnissima, ea est quæ fit in Oratione Quadraginta Horarum, secundum regulas, et sub conditionibus quæ speciatim pro ea præscriptæ sunt ; quibus servatis magna habet privilegia. — In nostra Diœcesi tamquam solemnissima etiam reputa-

tur Expositio in die Adorationis perpetuæ, quæ dies ab auctoritate Diœcesana pro singulis Ecclesiis et Oratoriis Diœcesis per annum assignata est ; hæc Adoratio perpetua locum tenet Orationis XL Horarum, vi specialis Indulti 11 Decembris 1862. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 187.) — De ipsa Missa Votiva de SS. Sacramento in Adoratione perpetua dicetur postea, QQ. 278-281 ; hic dicendum est de Commemoratione SS. Sacramenti occasione Adorationis perpetuæ facienda in aliis Missis.

B) Altera Expositio, ordinaria, ea est quæ publice fit in diversis circumstantiis ; scilicet : Expositio triduana, quæ fit, ad instar Orationis XL Horarum, in Dominica Quinquagesimæ et sequentibus Feriis II et III, vel in aliis occasionibus ; — Expositio quæ fit in variis Ecclesiis et Oratoriis singulis mensibus, vel singulis hebdomadibus, per magnam diei partem ; — Expositio quæ fit in quibusdam Festis, etiam per magnam diei partem ; — Expositio quæ fit tempore celebrationis Missæ tantum, etc. ; verbo, quæcumque Expositio quæ publice fit extra Orationem XL Horarum, vel Adorationem perpetuam stricte dictam. — In Expositione hujusmodi ordinaria communiter et plerumque exponitur SS. Sacramentum in Ostensorio ; attamen aliquando concedi potest, pro publica causa, ut exponatur patenter, sed tantum in Pyxide ; et in hoc casu eadem observanda sunt quam pro Expositione in Ostensorio. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Maji 1746, n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 9.)

Pro duabus Expositionibus descriptis dantur sequentes regulæ de dicenda vel omittenda Oratione SS. Sacramenti in Missa, ratione Expositionis :

A) In Oratione Quadraginta Horarum, seu in die Adorationis perpetuæ :

1° Dici non potest Oratio SS. Sacramenti in Missis privatis ad quodcumque Altare Ecclesiæ, etiam ad Altare Expositionis celebratis, neque in Missis solemnibus aut cantatis ad aliud Altare Ecclesiæ quam Altare Expositionis celebratis, si occurrat Festum duplex 1 vel 2 classis, vel Dominica Palmarum, vel Vigilia Nativitatis Domini, vel Vigilia Pentecostes.

2° Dici **debet** extra casus supra prædictos in **omnibus Missis** ad quodcumque Altare Ecclesiæ, sive **solemniter, sive privatim celebratis.**

(Cfr. Instructio Clementis XI pro Oratione XL Horarum, § XVII, et Commentaria Gardellini ad hanc Instructionem.)

B) **In omnibus aliis Expositionibus:**

1° Dici **non potest** Oratio SS. Sacramenti in Missis privatis ad quodcumque Altare Ecclesiæ, etiam ad Altare Expositionis celebratis, neque in Missis solemnibus aut cantatis ad aliud Altare Ecclesiæ quam Altare Expositionis celebratis, si occurrat Festum duplex 1 vel 2 classis, vel Dominica Palmarum, vel Vigilia Nativitatis Domini, vel Vigilia Pentecostes, vel si celebretur Missa Votiva solemnis. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Augusti 1880, n. 3517, antiq. 5811.)

2° Dici **debet,** in omni Missa, vel solemni vel cantata, celebrata ad Altare Expositionis, quodcumque sit Festum aut Officium occurrens.

3° Dici **potest, sed non debet,** extra casus supra ad A prædictos, in Missis privatis tempore Expositionis ad quodcumque Altare, etiam ad Altare Expositionis celebratis, et in Missis solemnibus aut cantatis ad aliud Altare quam Altare Expositionis celebratis. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Maji 1746, n. 2390, ad 5, antiq. 4181, ad 10.)

Has regulas breviter refert Directorium nostræ Diœcesis quotannis in Prænotandis, ubi sequenti modo proponuntur:

Oratio SS. Sacramenti publice expositi: 1° in Missa cantata ad Altare Expositionis semper *dici debet;* 2° in Missa cantata ad aliud Altare, et in Missa privata ad quodcumque Altare, etiam Expositionis, *dici nequit,* in omni Festo duplici 1 vel 2 classis, in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; — præter quos casus, *dici debet* in Oratione XL Horarum seu annua Adoratione perpetua, *dici potest* in aliis Expositionibus.

Sequenti schemate memoria in præfatis regulis retinendis juvari potest:

Oratio SS. Sacramenti
- *A.* in Missa cantata ad Altare Expositionis: dici semper debet.
- *B.* in Missa cantata ad aliud Altare, et in Missa privata ad quodcumque Altare:
  - 1° dici nequit in Festo duplici 1 et 2 classis; in Dominica Palmarum; in Vigilia Nativitatis Domini; in Vigilia Pentecostes;
  - 2° dici **debet**, præter 4 casus qui supra, in Oratione XL Horarum;
  - 3° dici **potest**, extra Orationem XL Horarum.

Q. 94. *Quo loco, et quo modo dicenda est hæc Oratio SS. Sacramenti?*

R. I. Oratio SS. Sacramenti dici debet post omnes Orationes, et Commemorationes, tum speciales, tum communes, quæ a Rubricis pro Missis præscribuntur; et speciatim notatur, quod non licet ipsam dicere pro illa Commemoratione communi quæ tertio loco dicenda ad libitum Celebrantis eligenda relinquitur (Cfr. Q. 89), sed post hanc dici debet. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Februarii 1737, n. 2327, ad 1, antiq. 4056, ad 8. — Sed Oratio SS. Sacramenti dici debet semper ante omnes Orationes Votivas late dictas, puta imperatas, etiamsi hæ præstantioris forent objecti, necnon ante omnes Orationes Votivas stricte dictas, quæ a Sacerdote pro arbitrio adjunguntur (Cfr. Q. 90). (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Martii 1874, n. 3328, antiq. 5581, ad 2; et 18 Septembris 1877, n. 3436, antiq. 5713, ad 3.)

II. Oratio SS. Sacramenti dicitur regulariter sub distincta, vel potius sub altera conclusione. Itaque:

1° Si in Missa Festi duplicis unica tantum dicitur Oratio, quæ est Oratio substantialis Missæ, hæc concluditur, dein, dicto iterum *Oremus*, dicitur Oratio SS. Sacramenti, et hæc etiam concluditur distincta conclusione.

2° Si in Missa Festi duplicis dicenda est Commemoratio aliqua specialis, dicta Oratione substantiali Missæ cum sua conclusione, et dicta, post alterum *Oremus*, hujusmodi speciali Commemoratione, hæc

non concluditur, sed statim ipsi adjungitur Oratio SS. Sacramenti, et tunc dicitur hujus conclusio ; ita ut in casu pluralitatis Orationum Missæ, numquam pro Oratione Sacramenti tertio dicendum sit *Oremus*, aut tertia conclusio sit dicenda, etenim dicitur ipsa tunc conjunctim cum Commemorationibus sub altera conclusione.

3° Si in Missa Festi semiduplicis, præter Orationem substantialem Missæ plures dicuntur Commemorationes, vel speciales, vel communes, puta duæ, dicta cum sua conclusione Oratione substantiali Missæ, et repetito *Oremus*, dicuntur secunda et tertia Oratio hujus Missæ : quæ tertia quidem non concluditur, sed statim sine *Oremus* adjungitur quarto loco Oratio SS. Sacramenti, cujus tunc dicitur conclusio.

4° Si in Missa ritus simplicis, nempe de Festo simplici, aut de Feria, aut in Missa Votiva privata, Sacerdos velit, ultra omnes, puta tres Orationes a Rubrica præscriptas, addere aliam Orationem Votivam stricte dictam ad suum libitum eligendam (cfr. QQ. 89-92) ; tunc, dictis sub altero *Oremus* secunda et tertia Oratione hujus Missæ, non potest statim quarto loco addere Orationem Votivam ad suum libitum electam, sed quarto loco dicere debet Orationem SS. Sacramenti, et quinto loco dicet Orationem suam Votivam, cui adjunget conclusionem.

5° Quod si dicenda sit Oratio imperata ab Episcopo (cfr. Q. 103), ex. gr., Oratio de Spiritu sancto, tunc in supradictis casibus omnibus 1°, 2° et 3°, non concluditur Oratio SS. Sacramenti, sed hac dicta, adjungitur Oratio imperata, et tunc dicitur hujus conclusio. In casu 4° vero, post dictam quarto loco Orationem SS. Sacramenti, dicitur quinto loco Oratio imperata ; et tunc Sacerdos addere poterit sexto loco suam Orationem Votivam ad libitum ; ast animadvertendum tunc venit, in casu requiri numerum Orationum imparem (cfr. QQ. 72, 73) ; ideo Sacerdos præter suam Orationem Votivam jam electam, quæ sexto loco dicitur, eligere debet et aliam Orationem, item ad suum libitum, qua numerus impar perficiatur. Et ita in casu sub altero *Oremus*, dicentur successive Orationes sex, quarum ultima tantum dicitur cum sua conclusione.

Nota. I. Dictum fuit in responso quod Oratio SS. Sacramenti regulariter dicitur sub distincta conclusione ; ad hanc regulam datur sequens exceptio :

In Festo duplici 1 vel 2 classis, item in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Missa Votiva solemni, in quibus tantum dicitur unica Oratio substantialis Missæ,—iisdem itaque diebus in quibus Oratio SS. Sacramenti nequit dici in Missa privata (cfr. Q. 93, B, 1°),—in Missa solemni vel cantata ad Altare Expositionis, Oratio SS. Sacramenti adjungitur Orationi substantiali Missæ sub unica conclusione, et non potest cantari sub altero *Oremus*, et cum altera conclusione.

Attamen, si in Missa alicujus Festi duplicis 1 vel 2 classis aliqua Commemoratio specialis occurrit facienda sub distincta conclusione, tunc Oratio SS. Sacramenti adjungitur, non Orationi substantiali Missæ, sed ultimæ huic Orationi seu Commemorationi speciali, sub altero *Oremus* dictæ, et cum sua conclusione.

Exempla : Supponitur quod in Festo Assumptionis B. Mariæ V., Missa solemnis celebratur cum Expositione SS. Sacramenti ; unica tantum dicenda est Oratio substantialis Missæ Festi Assumptionis ; hæc dicta non concluditur, sed statim ipsi adjungitur Oratio SS. Sacramenti, et tunc dicitur hujus conclusio.

Sed si hoc Festum occurrerit in Dominica, cujus Commemoratio specialis in Missa Festi Assumptionis semper est facienda (cfr. Q. 76, II), tunc primo cantatur Oratio Festi Assumptionis B. M. V., et concluditur ; repetito *Oremus*, cantatur tunc Oratio Dominicæ, et huic adjungitur Oratio SS. Sacramenti, cum sua conclusione.

Item in Festo S. Joseph, quando celebratur in Quadragesima, semper dicenda est Commemoratio specialis Feriæ majoris ; si Missa solemnis celebratur cum Expositione SS. Sacramenti, hujus Oratio cantatur immediate post Commemorationem specialem Feriæ.

Nota. II. Responsio data refertur ad omnes Missas quæ coram SS. Sacramento exposito celebrantur, sive in Expositionibus ordinariis, sive in Oratione XL Horarum, vel Adoratione perpetua, præter unicam Missam solemnem privilegiatam, quæ celebratur in Oratione XL Horarum, vel in Adoratione perpetua. Nam, quando hæc non potest esse Votiva de SS. Sacramento, et

celebranda est Missa diei currentis præstantioris, tunc cantatur Oratio Missæ cum sola Oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione. Quod si Festum duplex 1 vel 2 classis occurrat in Dominica, tunc post has duas Orationes sub priori conclusione simul dictas, secundo loco, id est, sub altero *Oremus*, et cum sua conclusione dicitur Commemoratio Dominicæ. — Sufficiat pro momento hæc de hoc singulari casu dixisse ; longius exponetur in Appendice ubi agitur de hac Missa Votiva privilegiata in Adoratione perpetua. (Cfr. QQ. 278-281.) Animadvertatur solum hanc solutionem non posse applicari cæteris Missis in die Adorationis perpetuæ celebratis, pro quibus responsum supra datum omnino applicandum remanet.

Q. 95. *In quibus Missis, coram SS. Sacramento exposito celebratis, omittenda est Oratio SS. Sacramenti, ratione identitatis Mysterii ?*

R. Quia solemne in Rubricis est quod de eodem non bis fit in eadem Missa, multum olim dubitatum et disputatum fuit in quibus Missis Festorum Domini dicenda esset vel omittenda Oratio SS. Sacramenti expositi.

Omne jam tulit dubium responsio data a S. Rituum Congregatione, die 3 Julii 1896. (Decret. n. 3924, ad 4.)

Dubium propositum erat sequens : « Commemoratio SSmi Sacramenti facienda in Missa coram SSmo exposito, servatis Rubricis, non excluditur in Festis Domini, juxta Decreta, dummodo non versetur in eodem Mysterio. Hinc quæritur : An prædicta Commemoratio omittenda sit in Festis et infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Circumcisionis et Transfigurationis Domini ; itemque in Festis SS. Nominis Jesu, SS. Redemptoris et Passionis Domini, prouti ex Decretis omittitur in Festis SS. Cordis Jesu, et Pretiosissimi Sanguinis ? »

Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Commemorationem SSmi Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solummodo omittendam esse in Festis Passionis, Crucis, SSmi Redemptoris, SSmi Cordis Jesu, et Pretiosissimi Sanguinis. »

Unde omittenda est tantum in sequentibus Missis quæ reperiuntur in Missali: SS. Cordis Jesu, Inventionis S. Crucis, Pretiosissimi Sanguinis D.N., Exaltationis S. Crucis, Orationis D.N. in Monte Oliveti, Passionis D. N., Sacræ Spineæ Coronæ D. N., SS. Lanceæ et Clavorum, SS. Sindonis, SS. Quinque Vulnerum, SS. Redemptoris, et Triumphi S.Crucis.

Q. 96. *An Oratio SS. Sacramenti dicenda est in Missa solemni in qua consecratur, præter hostiam pro Sacrificio, altera hostia pro Expositione facienda?*

R. Si immediate post hanc Missam SS. Hostia consecrata collocatur in Throno Expositionis, vel etiam processionaliter circumfertur, in Missa præfata dicenda est Oratio SS. Sacramenti, juxta Decretum S. Rituum Congregationis (diei 15 Maji 1819, n. 2598, antiq. 4561, ad 2).

(Cfr. Adnotationes super Decreto n. 2598. in Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 190, ad 2.)

Si SS. Hostia consecrata pro Expositione non immediate est exponenda in Throno, nec processionaliter circumferenda, sed in Tabernaculo reconditur, non erit dicenda SS. Sacramenti Oratio.

§ 2. De Oratione in Anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis; necnon in Anniversario Electionis et Consecrationis, vel Translationis Episcopi Ordinarii

Q. 97. *Pauca notatu digna refer de Commemoratione quotannis instituenda Anniversarii, tum Creationis et Coronationis Summi Pontificis; tum Electionis, Consecrationis, vel Translationis Episcopi Ordinarii in sua Diœcesi.*

R. Antiquissima consuetudo est, et quæ refertur in vetustis Romanæ Ecclesiæ Sacramentariis, ut hujusmodi Anniversarii quotannis memoria solemnis recolatur.

Inde instituta fuisse dicunt auctores Festa Cathedræ S. Petri, tum Antiochiæ (22 Februarii), tum Romæ (18 Januarii).

Eapropter quorumdam Summorum Pontificum et Episcoporum dies Ordinationis in vetustis Martyrologiis sæpius, et etiam hodiedum in Romano Martyrologio

memoratur, ex. gr., S. Gregorii Magni, 3 Septembris ; S. Zenonis, Episcopi Veronensis, 8 Decembris; et quidem pro Festo quorumdam quotannis recolendo, relicta die natalitia, statuta fuit anniversaria dies ipsorum Ordinationis ad Episcopatum, uti fit pro S. Ambrosio, 7 Decembris ; pro S. Basilio Magno, 14 Junii.

Hæc consuetudo firmata reperitur tum Rubricis Missalis Romani, et Cæremonialis Episcoporum, tum Decretis S. Rituum Congregationis.

Eo modo jam ex mente Ecclesiæ observantur ea, quæ referuntur in Concilio provinciali Mediolanensi IV, a S. Carolo Borromæo habito (in Parte 2) : « Ut Consecratio Episcopi a Sacerdotibus etiam Sacrificiis, et a reliquo Clero piis precibus recolatur, in Kalendario anniversario suo die notetur ; tum populo etiam, ut moris est, denuntietur, ut is quoque sanctius illum diem veneretur : tum pro charitatis officio, quo erga Episcopum et Patrem esse debet, excitetur, ad preces pro illo pie adhibendas. »

Q. 98. *Quomodo instituitur quotannis memoria hujus Anniversarii pro Summo Pontifice regnante ?*

R. In utroque Anniversario, scilicet Electionis, seu, ut ordinarie vocatur, Creationis, seu Assumptionis ad Summum Pontificatum ; et dein Coronationis Summi Pontificis :

1° Romæ in Patriarchalibus Basilicis cantatur Missa solemnis, ut in Festo Cathedræ S. Petri Romæ, cum Oratione *Deus omnium fidelium*, omissis Orationibus SS. Petri et Pauli. (Cfr. Rubrica Missalis post Missam pro eligendo Summo Pontifice.)

In Palatio Apostolico habetur Capella Papalis, et celebratur Missa ab Emo Dño Cardinali qui secundus a Sanctitate Sua creatus est, in Anniversario Electionis; et ab illo qui primus creatus est, in Anniversario Coronationis.

2° In universa Ecclesia, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*, dicenda est Oratio pro Papa ; hæc adnumeratur inter Orationes Votivas late dictas.

Ad dubium : « Utrum in toto Orbe Catholico sit præceptiva

Commemoratio pro Summo Pontifice regnante, in omnibus Missis cantatis et lectis, in die Anniversaria tam Creationis quam Coronationis ejusdem ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 14 Augusti 1858, n. 3078, antiq. 5274, ad 7.)

Q. 99. *Quomodo instituitur quotannis memoria hujus Anniversarii pro Episcopo Ordinario in sua Diœcesi ?*

R. Pro Anniversario Episcopi Ordinarii in sua Diœcesi, duæ indicantur in Rubricis recolendæ dies : prior Electionis ad sedem quam occupat, altera Consecrationis Episcopalis.

Dies Electionis in casu intelligitur illa qua Episcopus fuit in Consistorio proclamatus, etiamsi forte jam antea fuisset designatus ; constat ex pluribus S. Rituum Congregationis Decretis.

Si quis Episcopus, post suam ad aliquam Ecclesiam electionem, ad alteram fuerit translatus, Anniversarium Electionis recolendum est tantum « in Ecclesia cui fuit ultimo loco præpositus, recurrente die quo Papa eum tali Ecclesiæ præfecit. Exemplum habetur in Electione Summi Pontificis ; et Festum hujusmodi erit annuntiandum cum termino *Translationis.* » (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1741, n. 2365, ad 6, antiq. 4119, ad 11.)

Notandum denique, præceptivum esse utrumque Anniversarium « accedente mandato Episcopi » (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Augusti 1858, n. 3078, antiq. 5274, ad 1) ; et ad libitum relinqui Episcopi unam tantum ex his diebus recolendam seligere.

In utroque Anniversario, vel in alterutro :

1° In Cathedrali Ecclesia celebranda est Missa Votiva privilegiata ; de qua dicetur postea, in altera Tractatus Sectione (QQ. 285-288).

2° Ab universo clero tam regulari quam sæculari totius Diœcesis, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*, dicenda est Oratio pro Episcopo ; hæc desumitur ex Missa inscripta : *in Anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi*, quæ in Missalis parte quinta (cfr. Q. 37) ponitur inter Votivas.

Tenor hujus Orationis est : *Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N.* (prænomen Episcopi),

quem pastorem Ecclesiæ N. (nomen Ecclesiæ) *præesse voluisti, etc.*

Hæc Oratio pro Episcopo etiam adnumeratur inter Orationes Votivas late dictas. (Cfr. Q. 74, 3°, et Q. 90.)

Q. 100. *Quænam sunt dies in quibus Orationes pro Papa, et pro Episcopo, in suis Anniversariis prohibentur ?*

R. 1° Festa omnia duplicia 1 classis.

2° Dies quæ privilegio unius Orationis in Missa gaudent, scilicet : Dominica Palmarum ; Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ ; Vigilia Nativitatis Domini ; Vigilia Pentecostes.

In his diebus omittitur Oratio de Anniversario, et de hoc nulla fit in Missis Commemoratio.

Nota. Si Anniversarium hujusmodi accidentaliter impeditur Festo mobili ritus duplicis 1 classis, tunc, ut dictum est, eo anno omittitur Oratio Anniversarii. Si autem quotannis impediretur Festo duplici 1 classis quod diei est affixum, ex. gr., si Consecratio Episcopi facta fuisset 24 Junii, in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, in tali casu reponendum est Anniversarium in primam sequentem diem non impeditam. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Decembris 1891, n. 3762, ad 1 et 2 ; et 30 Augusti 1892, n. 3792, ad 2.)

Q. 101. *Quo ordine, et quo modo dicitur Oratio pro Papa, et pro Episcopo, in hujusmodi Anniversariis ?*

R. 1° In Festis duplicibus 2 classis, in quibus unica Oratio tantum est dicenda, conjungitur Oratio Anniversarii Orationi principali Missæ, sub unica conclusione ; si autem alia Commemoratio specialis in hac Missa occurrit facienda, quæ fit sub altero *Oremus*, tunc Oratio Anniversarii conjungitur, non Orationi principali, sed Commemorationi speciali.

2° In diebus inferioris ritus et classis, Oratio Anniversarii numquam conjungitur Orationi principali Missæ, sed semper dicitur, altero *Oremus* præmisso, sub altera conclusione, et si plures Orationes sunt dicendæ, ipsa dicitur post omnes Commemorationes speciales et communes præscriptas; et etiam post Orationem SS. Sacramenti, si ratione Expositionis hæc sit dicen-

da ; sed ante alias Orationes ab Ordinario imperatas, et Orationes Votivas stricte dictas, quas Celebrans ad libitum suum adderet.

Q. 102. *Quid faciendum est, si eadem die qua occurrit hujusmodi Anniversarium, Oratio pro Papa esset dicenda ?*

R. 1° Si Oratio pro Papa jam præscripta foret tamquam imperata, in eo casu hæc omittitur, et dicitur tantum, vel Oratio pro Papa, ratione Anniversarii ejus, vel Oratio pro Episcopo, in ipsius Anniversario. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1870, n. 3213, antiq. 5445, ad 1.)

2° Casu quo Anniversarium Summi Pontificis et Anniversarium Episcopi occurrerent eadem die, tunc de Anniversario Papæ fit in propria die, de Anniversario Episcopi autem agendum est die sequenti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Decembris 1864, n. 3132, antiq. 5344.)

§ 3. De Oratione imperata

Q. 103. *Quæ Oratio inter Votivas late dictas vocatur « imperata » ? Qua de causa Oratio imperata præscribi potest ? Quinam possunt Orationes imperare, seu præscribere ? Quinam obligantur Orationes imperatas in Missa dicere ? Quamdiu dici debet Oratio imperata ?*

R. I. Oratio imperata vocatur illa quæ, nullam habens relationem cum Officio diei, non vi Rubricarum, sed ex præcepto speciali Ordinarii, in Missis per aliquod tempus addenda præscribitur, ex causa rationabili, ut secundum rerum adjuncta bono alicui communi provideatur.

In Decretis frequentius vocatur *Collecta* (cfr. Q. 66, 3°).

II. Oratio specialis præscribitur in aliqua necessitate, aut ex causa rationabili, nempe pro bono suscipiendo, aut pro malo avertendo. Episcopi seu Ordinarii est eligere Orationem, quæ meliori modo respondeat necessitati, aut rerum adjunctis. — De Oratione imperata pro defunctis dicetur Q. 131.

III. Orationes imperare facultatem habet tantum Ordinarius, scilicet, Summus Pontifex, ubicumque voluerit, et Episcopus Ordinarius, in sua Diœcesi.

A lege determinatum non est, quot numero Orationes possit Ordinarius imperare ; praxis tamen fere universalis est, Roma exemplum dante, ut Ordinarii fere semper unam, et identidem duas Orationes imperent, prout bonum commune postulat. (Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 611.)

Prælati regulares non possunt præscribere Orationem imperatam dicendam a subditis suis, tam pro necessitatibus Ordinis quam pro necessitate communi, sine licentia Episcopi Ordinarii loci. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Martii 1779, n. 2514, ad 6, antiq. 4393, ad 16.)

Ex his satis intelligitur, quod nullus Sacerdos propria sua auctoritate valeat Orationem aliquam in Missa addere, ut plenius satisfaciat intentioni ejus qui stipendium pro Missa dedit, ex. gr., in honorem alicujus Sancti, vel pro aliqua necessitate ; hoc non potest facere nisi quando ritus Missæ permitteret Orationes stricte dictas Votivas (cfr. Q. 74, 3°, b ; et QQ. 89-92), aut quando tertia Oratio a Rubricis præscripta esset ad libitum ipsius relicta. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Septembris 1850, n. 2981, antiq. 5146, ad 3.)

IV. Orationem imperatam dicere obligantur omnes Sacerdotes qui Missam celebrant in loco, in Diœcesi, in qua est imperata ab Ordinario.

In Ecclesiis Regularium, aliisque Ecclesiis exemptis, recitandæ sunt Collectæ ab Ordinario loci præscriptæ, et non licet Clero earumdem Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id jusserit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Aprilis 1821, n. 2613, antiq. 4578, ad 1 et 2.)

Sacerdotes alienæ Diœcesis obligantur etiam ad dicendam Orationem præscriptam ab Episcopo loci ubi celebrant, et non sunt liberi ab hac Oratione imperata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1898, n. 3985.) Negligenda est in casu Oratio imperata ab Ordinario Sacerdotis celebrantis. (Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 285.)

V. Oratio imperata debet in Missa tamdiu dici, quamdiu id jusserit Ordinarius ; nec ulli licet ab ea recitanda cessare pro libitu. — Communiter in mandato Ordinarii exacte definitur tempus quo durante Oratio imperata dici debet.

Attamen in quibusdam circumstantiis generaliter determinari tempus ægre potest. Ita, ex. gr., fere quotannis præscribenda venit Oratio imperata in nostra Diœcesi, tum uno anno ad postulandam aëris serenitatem, tum alio anno ad petendam pluviam. In utroque casu præscribitur dicenda, aut quamdiu necessitas durabit, aut donec sufficiens pluvia obtenta fuerit. — Uniuscujusque loci rectori relinquitur in casu judicare de necessitatis duratione in loco ; quia in nostra Diœcesi Mechliniensi necessitates sub respectu siccitatis et pluviæ ita diversæ sunt, ut cum in una parte siccitas desideratur, in alia parte opportunum remanet pluviæ congruentis auxilium.

Nota. Juvat referre pro casu speciali sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Quum occasione mortis alicujus Episcopi præscribat Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. 38, n. 27), quod ipso sepulto, preces pro opportuna electione Deo fundantur ; quæritur : Utrum hæc Collecta pro eligendo Episcopo continuari debeat usque ad diem Consecrationis, an electionis tantum ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Collectam continuari debere usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti. » (Decret. 19 Decembris 1829, n. 2672, antiq. 4651, ad 3.)

Q. 104. *In quibus Missis dicenda est Oratio imperata ? In quibus casibus omittitur ?*

R. I. Oratio imperata dici debet in omnibus Missis, tum privatis, tum cantatis, tum etiam solemnibus (cfr. Q. 6) ; ita ut numquam ratione solemnitatis tantum extrinsecæ omitti possit.

Dicitur in omnibus hujusmodi Missis quæ non sunt de *Requiem ;* nisi Oratio imperata præscripta fuerit dicenda pro defuncto, defuncta, vel defunctis, in quo casu etiam dicitur in iis Missis de *Requiem*, quæ plures Orationes admittunt. (De hac imperata pro defunctis dicetur infra, Q. 131.)

II. Oratio imperata omittitur : 1° in omnibus Missis Festorum duplicium I classis.

2° In Missis Festorum duplicium 2 classis solemnibus et cantatis. In Missis privatis vero ad arbitrium Celebrantis dici vel omitti potest. (Cfr. Decr. S. Rituum Congregationis, 15 Maji 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad 2 ; et Adnotationes super hoc Decreto, in Vol IV. Collectionis, pag. 188, ad 2.)

3° In Missis omnibus Dominicæ Palmarum, Feriæ V in Cœna Domini, Sabbati Sancti, Vigiliæ Nativitatis Domini, et Vigiliæ Pentecostes. (Cfr. Decr. S. Rituum Congregationis, 3 Martii 1761, n. 2461, ad 2, antiq. 4299, ad 5 ; 20 Aprilis 1822, n. 2618, antiq. 4586, ad 2 ; et Adnotationes super Decreto 2618, in Vol. IV Collectionis, pag. 220.)

4° In Missis Votivis solemnibus. (Pro Missis Votivis privilegiatis indicabitur, quando de eis agitur in altera Sectione Tractatus, in quibus debeat omitti.)

5° Omittitur etiam Oratio imperata, si sit eadem ac Oratio a Rubricis jam pro Missa præscripta. Itaque si imperata est Oratio de Spiritu sancto, omittitur infra Octavam Pentecostes, in Missis Votivis de Spiritu sancto, necnon in iis Missis in quibus Oratio de Spiritu sancto dicenda est tamquam Commemoratio communis. (De hac omissione dicetur postea, Q. 117.)

Q. 105. *Quo loco, et quo modo dici debet Oratio imperata ?*

R. I. Oratio imperata dicitur semper post omnes Commemorationes speciales et communes a Rubricis præscriptas, quarum nulla umquam propter eam potest omitti ; et speciatim notatur quod non licet ipsam dicere pro illa Commemoratione communi, quæ tertio loco dicenda ad libitum Celebrantis eligenda relinquitur (cfr. Q. 89), sed post hanc dici debet per modum præcepti et obligationis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Augusti 1709, n. 2198, ad 2, antiq. 3814, ad 3.) — Oratio imperata dicitur etiam post Orationes Votivas late dictas de SS. Sacramento (cfr. Q. 94), et de Anniversariis Summi Pontificis et Episcopi (cfr. Q. 101). — Sed Oratio imperata semper dicitur ante Orationes Votivas stricte dictas, quas Celebrans ad libitum suum adjungere potest (cfr. Q. 90).

II. Oratio imperata semper dicitur sub altera con-

clusione, et numquam conjungitur cum Oratione substantiali Missæ ; ita ut si unica tantum dicenda sit Oratio in Missis ritus duplicis, hac cum sua conclusione dicta, præmisso iterum *Oremus*, dicatur Oratio imperata cum sua conclusione ; si plures Orationes sunt dicendæ, ipsa dicatur suo loco ut supra, et cum sua conclusione, nisi Orationes Votivæ stricte dictæ adjungantur. (Cfr. dicta Q. 94, 5°.)

Nota. Regula de numero impari Orationum (cfr. Q. 72) non debet observari in casu quo Oratio imperata ab Ordinario sit præscripta ; unde si tres a Rubrica præscribuntur Orationes in Missa ritus simplicis, et quarta Oratio sit adjungenda ex præscripto Ordinarii, in hoc casu non est addenda quinta Oratio : regula enim numeri imparis non valet nisi pro Orationibus a Celebrante ad suum libitum additis.

Q. 106. *Si plures Orationes simul imperentur, quo ordine ipsæ tunc sunt dicendæ ?*

R. Si Ordinarius duas vel plures Orationes imperatas præscribit, dicuntur, non ordine temporis quo præscriptæ sunt, sed ordine dignitatis (cfr. Q. 92), vel eo ordine quo in Missali referuntur (cfr. Q. 38).

Unde si imperata sit Oratio, ex. gr., pro Papa, et postea insuper præscribatur Oratio imperata de Spiritu sancto, hæc tamquam dignior dicenda erit ante Orationem pro Papa.

Nota. I. Regulæ supra datæ observandæ sunt pro Oratione imperata, qualiter ordinarie præscribitur.

Sed potest aliquando præscribi Oratio pro re gravi ; ita Summus Pontifex Pius IX, 11 Aprilis 1869, pro Concilio Vaticano præscripsit Orationem de Spiritu sancto, dicendam etiam in Festis duplicibus 1 classis ; ita potest Episcopus itidem pro re gravi Orationem imperare ; etenim ad dubium : « Episcopus potestne præcipere ut Collecta pro re gravi, v. g. pro Papa, recitetur etiam in duplici primæ classis sub unica conclusione ? » S. Rituum Congregatio declaravit : « Affirmative ; si revera sit pro re gravi. » (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 3.)

Stante mandato Orationis imperatæ quæ declarata

fuerit pro re gravi, ea servanda sunt quæ præscribuntur, et quo modo præscribuntur : in tali casu Oratio imperata dicitur etiam in omni Festo duplici 1 et 2 classis ; in Missa Festi duplicis 1 classis adjungitur Orationi substantiali Missæ sub unica conclusione, juxta Decretum supra citatum, nisi alia Commemoratio specialis sit facienda ; in Missis Festorum duplicium 2 classis, et inferioris classis et ritus, dicitur sub altera conclusione, et, si sint faciendæ, post Commemorationes speciales.

Quoad Orationem de Spiritu sancto tempore Concilii Vaticani, pro casu quo Missa solemnis celebretur coram SS. Sacramento exposito, declaravit S. Rituum Congregatio : 1° Commemorationem SS. Sacramenti esse præmittendam Orationi de Spiritu sancto ; 2° in Festis duplicibus 1 classis, in casu Orationem SS. Sacramenti conjungendam esse cum Oratione Festi (cfr. Q. 94, Nota I) ; Orationem vero de Spiritu sancto dicendam esse sub distincta conclusione. (Decret. 22 Aprilis 1871, n. 3245, antiq. 5480, ad 1 et 2.)

Nota. II. Quotannis in Directorio præscribitur, quod durante solemni secessu, qui instituitur a Sacerdotibus Diœcesis in decursu mensium Augusti et Septembris, omnes Sacerdotes per Diœcesim in Missæ Sacrificio addant Orationem imperatam *de Spiritu sancto*, quotiescumque non obstabunt Rubricæ. Aliquando dubitatur quandonam incipienda sit hujus Orationis imperatæ recitatio ; mens præscribentis et praxis est, ut recitetur tantum in Missis quæ celebrantur *durante secessu ;* hic autem incipit die Dominica ad vesperam, et terminatur Feria sexta meridie ; itaque, in singulis ex quatuor hebdomadibus in quibus secessus instituitur, dicetur hæc imperata a Feria II usque ad Feriam VI inclusive, modo non adsint impedimenta posita supra in Q. 104, II ; non autem in Missis Dominicæ neque Sabbati, utpote quæ non celebrantur durante secessu. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1888, Q. IV ex Liturgia.)

Nota. III. Regulæ datæ pro omissione Orationis imperatæ in Missis, usuveniunt etiam pro Oratione quæ diebus Dominicis post Missam parochialem cantatur pro Rege ; omittitur ergo hæc Oratio pro Rege in iis

Dominicis, in quibus occurrunt celebranda Festa duplicia 1 et 2 classis, et etiam in Dominica Palmarum, et in Dominica IV Adventus, si in ea occurrerit Vigilia Nativitatis Domini. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1888, Q. III ex Liturgia.)

ARTICULUS IV

DE ORATIONUM CONCLUSIONE

Q. 107. *Quid est Orationis conclusio? Quæ conclusiones Orationum distinguuntur in Officiis ecclesiasticis, et in quibus Officiis usuveniunt?*

R. I. Conclusio Orationis ea est formula qua absolvitur, et quæ constituit quartam Orationis partem, seu obsecrationem (cfr. Q. 69). Quas in præcedentibus Orationis partibus diximus gratiarum actiones, et flagitavimus postulationes, in conclusione præsentamus per Jesum Christum, qui unus est mediator Dei et hominum, per quem solum accessum habemus ad Patrem. Sed et totam Sanctissimam Trinitatem intendit Ecclesia quasi indesinenter conglorificare per continuum usum hujus formulæ, quæ Doxologiam continet.

II. Distinguuntur conclusiones Orationum, primo ratione Personæ SS. Trinitatis ad quam aliqua Oratio dirigitur; et alia est conclusio Orationis quæ ad Patrem, alia Orationis quæ ad Filium dirigitur (cfr. Q. 70).

Sed insuper in diversis Officiis ecclesiasticis distinguuntur Orationum conclusiones, ratione formulæ vel longioris vel brevioris qua conclusio constat; utraque describetur in sequentibus Quæstionibus.

Longiores conclusiones usuveniunt tantum in Missa pro Orationibus ante Epistolam, pro Secretis, et pro Postcommunionibus; et in Officio divino pro Orationibus quæ dicuntur in fine Horarum Canonicarum.

Breviores conclusiones adhibentur pro reliquis Orationibus, tum in Missa, tum in Horis Canonicis, tum in aliis ecclesiasticis functionibus, ex. gr., in Benedictionibus, in Absolutionibus; nisi aliter in Missali, in Breviario, in Rituali, in Pontificali, aut peculiari aliqua lege sit dispositum.

Q. 108. *Da tres diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Patrem.*

R. 1° Orationum quæ ad Deum Patrem diriguntur (cfr. Q. 70), regularis conclusio est : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus : per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exempla habentur in pluribus Missis.

2° Quando in principio, vel in medio hujusmodi Orationis mentio fit Filii, tunc in conclusione dicitur : *Per* eumdem *Dominum nostrum, etc.*

Exempla : Oratio *A cunctis,* in qua occurrit : *Virgine* Dei *Genitrice Maria ;* Oratio in Festo Paschatis, quæ incipit : *Deus, qui hodierna die per* Unigenitum tuum ; et aliæ, in quibus hujusmodi mentio exigit ut addatur in conclusione verbum *eumdem,* modo prædicto.

3° Quod si mentio Filii fiat in fine Orationis, in conclusione omittuntur verba *Per Dominum... Filium tuum,* et conclusio erit : *Qui tecum vivit et regnat, etc.*

Exemplum sit Oratio Missæ votivæ B. Mariæ V. a Nativitate Domini usque ad Purificationem : *Deus, qui salutis æternæ, etc.*, quæ terminatur verbis : *per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum J. C. Filium tuum ;* hæc concluditur statim verbis : *Qui tecum vivit, etc. ;* item conclusio Orationis in Festo S. Ludovici, Regis, dicenda est : *Qui tecum vivit etc.* (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1673, n. 1490, antiq. 2656, ad 5.)

Etiamsi Filii mentio non ita expressa habeatur, qualis in exemplo ponitur, si tamen in ultimis verbis Orationis de Filio, aut de mysterio quod Filium spectat dicitur, eodem modo incipiet conclusio a verbis : *Qui tecum vivit, etc.*

Tales sunt, ex. gr., Oratio ad primam Missam in Nativitate Domini ; Oratio in Festo Assumptionis B. Mariæ V., et aliæ.

Q. 109. *Da duas diversas conclusiones longiores Orationum quæ diriguntur ad Deum Filium.*

R. 1° Regularis conclusio Orationum quæ ad Deum Filium diriguntur est sequens : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Exemplum habetur in Oratione SS.

Sacramenti : *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, etc.*

2° Si in Oratione quæ ad Filium dirigitur, Deus Pater commemoretur, ejusdem mentio fit etiam in conclusione, dicendo : *cum eodem Deo Patre.*

Rariores sunt in Missali Romano Orationes ad Filium directæ in quibus Pater commemoratur. — Singularis occurrit hujusmodi Orationis conclusio, quæ non est tamen qualis supra datur, nempe in Secreta Missæ in Festo S. Antonii de Padua, die 13 Junii ; tenor illius est : *Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Q. 110. *Quomodo concluduntur Orationes in quibus mentio fit Spiritus sancti ?*

R. Dictum fuit in præcedentibus (cfr. Q. 70), nullam ex Orationibus dirigi ad tertiam SS. Trinitatis Personam ; attamen nonnumquam in Orationibus quæ diriguntur sive ad Patrem, sive ad Filium, fit mentio Spiritus sancti ; in eo casu, in diversis conclusionibus supra enumeratis, post verba *in unitate*, dicitur : *ejusdem Spiritus sancti etc.*

Exempla sunt : Oratio in Festo Pentecostes : *Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, etc.*, aliæque in diversis Missis per Octavam Pentecostes ; Oratio in Festo Præsentationis B. Mariæ V., 21 Novembris ; etc.

Notandum est, in variis Orationibus verbum *Spiritus* non significare directe tertiam SS. Trinitatis Personam, ideoque in his nullo modo addi posse verbum *ejusdem* in conclusione ; ex. gr., in Postcommunione Dominicæ Resurrectionis Domini, quæ incipit : *Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, etc. ;* patet ibi non directe indicari Spiritum sanctum, et non esse addendum *ejusdem.*

Ad dubium : « In aliquibus Breviariis et Missalibus Oratio Sancti Juliani et S. Fidelis a Sigmaringa, Martyris ; Postcommunio Sancti Joannis Nepomuceni, S. Bernardini, S. Hieronymi Æmiliani, Sanctæ Joannæ Franciscæ, Sancti Januarii, Octavæ Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Feriæ IV post Dominicam secundam Quadragesimæ in Vesperis concluduntur : *in unitate Spiritus sancti.* Quæritur : An nomen *Spiritus* quod in iis Orationibus legitur indicet revera Spiritum sanctum ; et

ideo quomodo sint concludendæ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; ideoque quoad secundam: More solito concludendæ. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 45, antiq. 4669, ad 49.)

Q. 111. *Da conclusiones breviores Orationum.*

R. 1° Si Oratio dirigitur ad Patrem, conclusio est : *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

2° Si in Oratione ad Patrem fit mentio Filii, conclusio erit : *Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

3° Si ad Filium Oratio dirigitur, conclusio est : *Qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen ;* vel : *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.*

Si tamen præter istas communiter assignatas, alia brevis conclusio in libris liturgicis aliquando tamquam propria adnotaretur, hæc servanda foret.

Q. 112. *Quando plures dicuntur Orationes, quænam terminantur sua conclusione, et quibusnam præponitur « Oremus » ?*

R. « Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum, et ultima cum sua conclusione terminantur ; et ante primam, et secundam Orationem tantum dicitur : *Oremus ;* ante primam dicitur etiam : *Dominus vobiscum.* » (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 7.)

Igitur, præmissa semel pro omnibus quotquot sunt dicendæ Orationibus salutatione : *Dominus vobiscum* (cfr. Q. 67), ante primam Orationem semper dicitur : *Oremus ;* et hæc prima Oratio etiam semper sua propria, seu convenienti conclusione terminatur ; dein repetitur : *Oremus,* et tunc dicitur secunda Oratio ; quæ, si alia insuper non est dicenda, etiam sua conclusione terminatur ; sed si plures sunt dicendæ, secundæ non dicitur conclusio, nec ante tertiam repetitur : *Oremus,* sed tertia statim adjungitur secundæ, et ita successive adjunguntur quotquot sunt dicendæ, sine *Oremus,* sine conclusione ; ultima tantum dicta Oratio sua propria, seu convenienti conclusione terminatur.

Nota. I. Hæc dicta intelligenda sunt de Orationibus ante Epistolam, et de Postcommunionibus. Pro Secretis vero animadvertendum est, quod non præponitur : *Dominus vobiscum,* et quod absolute dicuntur

sine *Oremus;* prima tamen et ultima sua conclusione terminantur.

Nota. II. Dicitur in responso, quod prima tantum, et ultima Oratio terminantur *sua* conclusione ; etenim conclusio semper talis est, qualem ultima Oratio cui immediate adnectitur requirit, nulla habita ratione præcedentium Orationum. Ideo, ex. gr., si plures dicerentur Orationes sub unica conclusione, et in prima vel secunda, non autem in ultima nominaretur Spiritus sanctus, non deberet dici in conclusione : *in unitate* ejusdem *Spiritus ;* item non diceretur : *Per* eumdem *Dominum,* quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex præcedentibus sub una conclusione dicendis tantum fuisset nominatus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maji 1835, n. 2724, antiq. 4747, ad 1 et 2.)

Nota. III. In Quadragesima, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadæ, in Missis de Feria, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, remanens in eodem loco statim dicit : *Oremus. Humiliate capita vestra Deo,* caput inclinans ; et extensis manibus subjungit eadem voce Orationem « super populum » ibidem positam. (Ritus celebrandi Missam, Tit. XI, n. 2 ; cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 259, Nota.)

Hæc Oratio seu Collecta super populum antiqui moris jejunii quadragesimalis vestigium est. In remotis Ecclesiæ sæculis una dumtaxat refectio in diebus jejuniorum sumebatur, quæ in jejuniis extra Quadragesimam differebatur usque post Nonam, in Quadragesima vero usque post Vesperas, quæ labente sole dicebantur. Post Nonam, hoc est circa nostram decimam quintam, seu tertiam horam vespertinam, dicebatur Missa, et in Missa post Communionem dicebantur Vesperæ , loco Postcommunionis ; ad instar praxis quam servat hodiedum Ecclesia in Sabbato sancto ; ne scilicet comederetur, nisi post horam vespertinam ; at quando Officium Vesperarum a Missa separatum fuit, retenta tamen fuit Oratio, ut benedictioni super populum inserviret : plerumque enim eadem est hæc Oratio

Vesperarum in Quadragesima. (Cfr. Cavalieri, *Opera liturgica*, Tom. II, Pars II, Cap. 38.)

Placet significare explicationem hujus Orationis, quam hodie dant quidam Liturgici : Locum tenet hæc Oratio primævæ formulæ Benedictionis, in fine Missæ ab Episcopo super populum datæ, pro qua Diaconus invitabat fideles ut humiliarent capita sua. Benedictione data, Diaconus dimittebat populum. Formula Benedictionis postea ad sola verba quæ hodie in usu sunt restricta fuit. (Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, 1 vol. in 12°, Paris, 1900, page 116.) — Revera Oratio super populum, retenta hodie in Missis Feriarum Quadragesimæ, rationem habere videtur, non gratiarum actionis sicut Postcommunio, sed potius petitionis gratiarum super populum.

Q. 113. *In quibus casibus primæ Orationi Missæ adjungitur statim alia Oratio ?*

R. Dictum fuit in præcedenti responso, quod prima Oratio semper terminatur sua conclusione. Quidam tamen sunt casus extraordinarii, in quibus alia Oratio statim adjungitur Orationi primæ seu substantiali Missæ, ita ut sub primo *Oremus* duæ dicantur Orationes, et ultima harum tantum concludatur.

1° Quando Missa de die substituitur Missæ Votivæ solemni pro re gravi : tunc enim Oratio Missæ Votivæ impeditæ unitur cum Oratione Missæ de die impedienti sub unica conclusione ; deinde, si una vel plures Commemorationes speciales aut communes in Missa de die sunt faciendæ, hæ sub altero *Oremus*, et cum altera dicuntur conclusione.

Hic casus rarus est, et sufficit eum hic indicasse ; longius de eo dicetur, quando in altera Tractatus Sectione exponentur leges de Missa Votiva solemni (Q. 260).

2° Quando in die Adorationis perpetuæ Missa Votiva privilegiata de SS. Sacramento non permittitur cantari, Orationi substantiali Missæ de die impedienti adjungitur sub unica conclusione Oratio SS. Sacramenti. (Cfr. Q. 94, Nota II ; et Q. 281.)

3° In Expositionibus ordinariis SS. Sacramenti, in Missa solemni vel cantata ad Altare Expositionis, in

Festo duplici 1 vel 2 classis, item in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes, et in Missa Votiva solemni, modo unica tantum sit dicenda in Missa horum dierum Oratio, etiam adjungitur Orationi substantiali Missæ Oratio SS. Sacramenti sub unica conclusione. (Cfr. Q. 94, Nota I.)

Præterea dari possunt aliqui et rariores casus particulares, in quibus agendum est non secundum regulas, sed ex dispositione speciali Rubricæ particularis, vel per Indultum concessa. De his non est hic dicendum.

Placet tamen unum exemplum proponere : In collatione Ordinum, Oratio pro Ordinatis dicitur cum Oratione diei sub unica conclusione.

ARTICULUS V

DE ORATIONUM MUTATIONE

Q. 114. *Accidit quandoque ut duæ Orationes in eadem Missa dicendæ sint eædem aut fere eædem : expone diversos casus qui se offerre possunt in dijudicanda identitate duarum Orationum, quoad textum.*

R. 1° Si in duabus Orationibus unius aut alterius tantum vocis datur variatio, Orationes censentur eædem.

Exemplum : Oratio Missæ S. Liborii, Episcopi et Confessoris, 23 Julii, et Oratio Missæ in Vigilia S. Jacobi, Apostoli, 24 Julii. Oratio S. Liborii, desumpta ex Missa *Statuit*, 1ª de Communi Confessoris Pontificis, sequens est : *Da, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Liborii, Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem.* Oratio in Vigilia S. Jacobi, desumpta ex Missa in Vigilia unius Apostoli, est sequens : *Da, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Jacobi, Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem.*

2° Si postulatio utriusque Orationis iisdem verbis constat, licet in reliquis partibus aliquid varium sit, censentur Orationes eædem.

Exemplum : Oratio Missæ S. Joseph, 19 Martii, et Oratio Missæ S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ, 21 Septembris. Oratio S. Joseph sequens est : *Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur : ut, quod possibilitas*

nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Oratio vero S. Matthæi est sequentis tenoris : *Beati Apostoli et Evangelistæ Matthæi, Domine, precibus adjuvemur : ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.*

3° Si postulatio utriusque Orationis eadem est, et reliqua totaliter differunt, Orationes communiter censentur diversæ.

Exemplum : Declaravit S. Rituum Congregatio, 29 Martii 1851 (Decr. n. 2986, antiq. 5152, ad 2), quod Orationes *A cunctis,* et *Ecclesiæ* possunt simul dici, et consequenter censendæ sunt diversæ, licet hæc circa finem in verbis cum prima pene concordet ; etenim in utraque habetur sequens postulatio : *ut destructis adversitatibus et erroribus universis, (Ecclesia tua) secura tibi serviat libertate.*

4° Si postulatio utriusque Orationis diversa est, licet reliqua essent eadem, censentur Orationes diversæ.

Exemplum : Orationes Missæ secundæ de Communi unius Martyris Pontificis *Sacerdotes Dei,* et Missæ primæ de Communi Confessoris non Pontificis *Os justi.* Pro Martyre dicitur Oratio : *Deus, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas : concede propitius ; ut, cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus.* Pro Confessore vero : *Deus, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate lætificas : concede propitius ; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur.*

Q. 115. *Quid faciendum jubet Rubrica, quando duæ Orationes simul dicendæ sunt eædem quoad textum ?*

R. « Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet, quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis, et Orationibus post Communionem. » (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 8.) — Verba hujus Rubricæ « illa quæ eadem est » designant Orationem quæ dicenda est pro Commemoratione (cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 17, antiq. 4526, ad 31) ; itaque hæc, et non Oratio Missæ commutari debet. Et si duæ Commemorationes sunt eædem, tunc commutatur, non prior, sed altera quæ eadem est.

In Missali Romano rarius dantur exempla commutationis faciendæ ; exponentur in sequenti Quæstione.

Sed notandum est, quod commutatio hujusmodi nonnumquam etiam facienda est in Missis Votivis, quæ dicuntur de aliquo Sancto Martyre, aut Confessore, aut de Sancta, et sumendæ sunt e Communi Sanctorum, quando eodem die Missa conformis Officio esset eadem de eodem Communi ; aut instituenda Commemoratio specialis desumenda esset ex eadem Missa ejusdem Communis. In casu pro Commemoratione facienda in Missa votiva, sumerentur Oratio ante Epistolam, et Secreta, et Postcommunio ex alia Missa de eodem Communi.

Exempla : 1° Die 26 Octobris occurrit Festum simplex S. Evaristi, Papæ et Martyris ; indicatur ejus Missa in Missali prima de Communi unius Martyris Pontificis *Statuit*. Si dicenda esset ea die Missa Votiva de S. Livino, Episcopo et Martyre, aut de S. Nicasio, Episcopo et Martyre, pro quibus eadem Missa de Communi indicatur in Proprio Diœcesis Mechliniensis, pro Commemoratione S. Evaristi sumendæ forent Oratio, et Secreta et Postcommunio, ex secunda Missa *Sacerdotes Dei*, de eodem Communi.

2° Die 29 Julii occurrit Festum S. Marthæ Virginis, semiduplex ; in Missali indicatur Missa *Dilexisti*, de Communi Virginis, cum Oratione, Secreta et Postcommunione hujus Missæ. Eadem Missa indicatur, cum iisdem Oratione, Secreta et Postcommunione pro variis Sanctis Virginibus, ex. gr., pro Sanctis Gudula, Lutgardi, Ermelindi, Wivina, in Proprio Archidiœcesis Mechliniensis. Si in Festo S. Marthæ dicenda est Missa Votiva de una harum Sanctarum Virginum, pro Commemoratione S. Marthæ sumi debent Oratio, Secreta et Postcommunio ex alia Missa de Communi Virginum, nempe ex Missa *Me exspectaverunt*, pro Virgine et Martyre, omissa qualitate Martyris. — Quod si Orationes diversæ sint, sed Secretæ et Postcommuniones eædem, possunt pro Commemoratione Virginis Secreta et Postcommunio desumi ex Missa *Loquebar*, pro Virgine et Martyre, omittendo verba *et Martyris* in Secreta, ac *et Martyre* in Postcommunione. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1840, n. 3822, antiq. 4909, ad 1.)

Q. 116. *Ad quas Missæ Orationes se extendit hujus regulæ applicatio ?*

R. Ad illas tantum quæ eædem sunt ; unde, si identitas detur tantum in Orationibus ante Epistolam, non autem in Secretis aut Postcommunionibus, mutanda

erit tantum Oratio, non autem Secreta, neque Postcommunio, et vicissim.

Exempla : 1° Die 23 Julii occurrit Festum simplex S. Liborii, Episcopi et Confessoris, cujus Commemoratio fit in Missa Festi duplicis S. Apollinaris ; die 24 Julii occurrit Vigilia S. Jacobi, Apostoli, cujus Oratio, ut supra Q. 114 ad 1^um^ dictum fuit, exceptis nomine et qualitate Sancti, eadem est quam S. Liborii. — Si Festum S. Jacobi, 25 Julii, venerit in Feria secunda, de ejus Vigilia fiet Commemoratio in Sabbato (quia Vigiliæ Officium, occurrente Dominica, anticipatur, ut explicatum fuit in Tractatu de Rubricis Breviarii Romani), in Missa S. Apollinaris, ante Commemorationem S. Liborii ; verum, quia Orationes Vigiliæ S. Jacobi et S. Liborii identicæ sunt, notat Missale in Rubrica ad hanc diem, quod pro S. Liborio, loco Orationis *Da, quæsumus*, dicenda erit Oratio *Exaudi, quæsumus*, desumpta ex altera Missa de Communi Confessoris Pontificis *Sacerdotes*. Secretæ vero et Postcommuniones utriusque Missæ, Vigiliæ S. Jacobi et S. Liborii, non sunt eædem, proinde nulla mutatio pro S. Liborio in his erit facienda.

2° In Festo S. Martini, Episcopi et Confessoris, 11 Novembris, Secreta sequens est : *Da, misericors Deus : ut hæc salutaris oblatio et a propriis nos reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur adversis*. Aliquando Festum S. Martini incidit in Dominicam XXII post Pentecosten, cujus Missa eamdem habet Secretam. In hoc casu Secreta Missæ S. Martini dicetur, Secreta Dominicæ vero sumetur ex Missa sequentis Dominicæ XXIII ; Oratio autem et Postcommunio Dominicæ XXII, cum sint diversæ ab Oratione et Postcommunione S. Martini, dicentur e Missa hujus Dominicæ XXII.

3° Quando Dominica in Septuagesima, ut non raro obtingit, occurrit ante Festum Purificationis B. M. V., si Commemoratio communis dicenda est de B. Maria V., animadvertitur quod tenor Secretæ hujus Commemorationis idem est ac tenor Secretæ Missæ de Dominica : *Muneribus nostris, etc.* ; ideo jubet Missale ut in casu Secreta Commemorationis communis de B. Maria V. sumatur ex Missa Votiva B. Mariæ a Purificatione ad Pascha, scilicet : *Tua, Domine, etc.* Oratio autem B. Mariæ ante Epistolam, et Postcommunio, quæ diversi tenoris sunt, non sunt commutandæ.

Nota. Animadvertere hic juvat, quod in non paucis Orationibus occurrant verba *hunc diem*, vel *hodiernum diem*, vel *præsentem diem* ; fieri potest quod aliquod Officium transferendum sit a proprio suo die ad alium diem, sive per accidens, sive etiam perpetuo. In tali casu translationis Officii, nulla mutatio seu variatio fieri potest in Oratione propria auctoritate ; etenim

S. Rituum Congregatio, ad propositum super hoc translationis Officii casu dubium, censuit respondendum : « Nihil immutandum, inconsulta Sacra Congregatione. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 10, antiq. 4526, ad 21.)

Q. 117. *Solemne est inter auctores :* **De eodem bis non fit in eadem Missa** ; *da hujus regulæ sensum.*

R. In Quæstionibus 114-116 agitur de Orationibus quæ eædem quidem sunt quoad textum, sed ad diversum tamen finem dicuntur ; hic agitur de Orationibus quæ eædem semper non sunt, si tenorem inspicias, sed quæ de eodem objecto dicendæ veniunt, quæ scilicet de eodem Mysterio aut de eodem Sancto substantialiter dicerentur. — Pro iis exstat regula : **De eodem non fit in Missa bis, per modum principalis, sive sit Festum, sive sit Votivum, et per modum simul Commemorationis.** — Hujus regulæ sensus est, quod in eadem Missa non possit fieri Commemoratio in sensu formali, nempe specialis vel communis illius Mysterii, illius Sancti de quo Missa celebratur ; ex quo deducendum etiam est, quod non dici possit Oratio imperata, si de eodem objecto jam dicta fuit Oratio substantialis Missæ, aut facta Commemoratio.

In tali casu duplex solutio datur : vel 1° Oratio posterius dicenda mutatur, seu dicitur de alio objecto ; quæ mutatio fit pro Commemorationibus communibus, et determinatur ab ipsis Rubricis Missalis, aut a Decretis ; — vel 2° Oratio posterius dicenda omittitur ; quæ solutio etiam valet pro late dictis Orationibus Votivis, ex. gr., pro Oratione imperata, nisi imperans in casu ipsam mutandam, seu ipsius loco aliam dicendam præscribat, aut præscribere censeatur.

Exempla : 1° **Pro Commemorationibus communibus.** Supponitur dicenda Missa Votiva de SS. Apostolis Petro et Paulo ; fieri posset ut, secundum regulas de Missis Votivis, tertio loco occurreret dicenda Oratio *A cunctis,* in qua nominantur SS. Apostoli Petrus et Paulus ; ne bis fiat de SS. Apostolis, præscribit Rubrica generalis (Tit. IX, n. 15) ut loco Orationis *A cunctis* dicatur Oratio de S. Maria : *Concede nos famulos tuos, etc.*

Eadem de causa, quando in Missa de S. Joseph dicenda est Oratio *A cunctis,* omittitur in ista ejus nomen. (Cfr. Q. 121.)

Item præscribitur generatim quod in Missis votivis de B. Maria V., quando plures Orationes sunt dicendæ, tertia Oratio, si est Commemoratio communis, dicenda sit *de Spiritu sancto,* et non *A cunctis,* ut evitetur duplex mentio B. Mariæ V. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15.)

Item declaravit S. Rituum Congregatio, quod Oratio « pro congregatione et familia », quæ reperitur inter Orationes diversas in sexta parte Missalis, n. 8 (cfr. Q. 38), in qua dicitur : *Defende, quæsumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, etc.,* non potest eligi pro Commemoratione communi ad libitum, seu tertia Oratione, quando pro secunda dicta fuerit Oratio *A cunctis.* (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 24.)

2° **Pro Orationibus Votivis.** Si coram SS. Sacramento exposito celebraretur Missa de SS. Corde Jesu, vel de Pretiosissimo Sanguine D. N. J. C., vel de Passione D. N. J. C., etc., omittenda erit Commemoratio SS. Sacramenti expositi, in qua Mysterium Passionis specialiter exprimitur. (Cfr. Q. 95.)

Similiter, si in Missa præscriberetur Oratio *de Spiritu sancto* inter Commemorationes communes, ex. gr., in die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., et simul imperata esset Oratio *de Spiritu sancto,* aut Oratio ad postulandam gratiam Spiritus sancti, hæc imperata omittetur, ne bis dicatur de Spiritu sancto. (Cfr. Q. 104, II, 5°.)

Exemplum mutationis Orationis imperatæ sequens datur : Imperata supponitur Oratio pro quacumque necessitate : *Deus refugium nostrum et virtus, etc.,* quæ reperitur inter diversas Orationes in sexta parte Missalis, n. 12 (cfr. Q. 38) ; Missa Dominicæ XXII post Pentecosten habet easdem Orationem, Secretam, et Postcommunionem ; in Missis hac Dominica celebratis dicentur pro Dominica Oratio *Deus refugium,* et Secreta et Postcommunio ; pro imperata vero dicentur Oratio, Secreta et Postcommunio ex numero sequenti Orationum diversarum (n. 13) : *Ne despicias, etc.,* quæ inscribitur : *Pro quacumque tribulatione.*

Idem fieret, pro Secreta tantum, in Missa S. Martini, Episcopi et Confessoris, 11 Novembris, cujus Secreta eadem est quam Secreta Orationis *Deus refugium.*

Nota. Animadvertendum æstimat Gavantus (*Thesaurus sacrorum Rituum,* Romæ, 1737, pag. 1300), in suis adnotationibus ad Orationes diversas (Tit. XVII, n. 27), quod præfata regula, stricta pro Orationibus quæ dicuntur per modum principalis, et per modum simul Commemorationis, locum non habeat pro Orationibus Votivis stricte dictis, quas Sacerdos aliquando pro libitu suo addere potest in Missis ritus simplicis, nempe si in eis mentio fieret, quasi accidentaliter tantum, de Mysterio aut de Sancto, de quo jam in præcedentibus Missæ Orationibus fuisset dictum.

Exemplum : Etiamsi in aliqua Missa dicta fuerit Oratio *A cunctis,* vel dicatur Missa, ex. gr., de Spiritu sancto, vel de B. Maria V., vel de SS. Apostolis Petro et Paulo, poterunt, juxta Gavantum, dici tamquam Orationes stricte Votivæ, Oratio *pro congregatione et familia* (cfr. Q. 38, n. 8), in qua fit tantum mentio B. Mariæ V., Oratio *ad postulandam continentiam* (n. 26), in qua solum nominatur Spiritus sanctus, Oratio *pro constituto in carcere* (n. 32), in qua nominatur tantum S. Petrus. — Accidentaliter enim, et non per modum Commemorationis in his Orationibus mentio fit de B. Maria V., de Spiritu sancto, de S. Petro ; quod si in casibus dictis omittendæ forent istæ Orationes, ait Gavantus, essent frustra positæ in Missali, quod non debet dici.

Decretum 13 Februarii 1892, supra ad exempla sub 1° citatum, non contradicit sententiæ Gavanti ; agitur enim ibi de Oratione *pro congregatione et familia* assumenda tamquam Commemoratione communi, tamquam Oratione tertia vi Rubricæ dicenda.

Quidquid sit de hac Gavanti sententia super citatis Orationibus, certo tamen tenendum est, quod non potest admitti pro Oratione Votiva stricte dicta Oratio quæ ad idem Mysterium pertinet, aut ad eosdem Sanctos principaliter seu substantialiter dirigitur, de quibus præcedens Oratio jam dicta fuit, aut memoria facta fuit ; ex. gr., pro stricte Votiva non posset dici Oratio de B. Maria V., aut de S. Joseph, aut de SS. Apostolis Petro et Paulo, in Missa in qua Oratio *A cunctis* diceretur.

ARTICULUS VI

DE ORATIONIBUS QUIBUSDAM DETERMINATIS

§ 1. Oratio « A cunctis »

Q. 118. *Quæ est Oratio* **A cunctis**, *et quis est ejus tenor ?*

R. Est Oratio inscripta « ad poscenda Suffragia Sanctorum », inter Orationes diversas in sexta parte Missalis ordine secunda (cfr. Q. 38, n. 2), pluries per annum dicenda in Missis tamquam Commemoratio communis, correspondens Suffragiis seu Commemorationibus communibus, quæ fiunt in Officio divino ad Laudes et ad Vesperas ; de quibus enim Sanctis dicuntur Suffragia, nempe de B. Maria V., de S. Joseph, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de Sancto Titulari Ecclesiæ, de eisdem mentio fit in hac Oratione ; et iis anni ecclesiastici temporibus, quibus in Officio divino Suffragia

non dicuntur, iisdem quoque numquam præscribitur hæc Oratio tamquam Commemoratio communis. (Cfr. Q. 81, in tabula Commemorationum communium.)

Tenor hujus Orationis sequens est : *A cunctis nos, quæsumus Domine, mentis et corporis defende periculis : et, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem ; ut, destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eumdem Dominum.*

Notandum quod mentio S. Joseph addita fuit huic Orationi inde ab anno 1871 tantum, quando per Apostolicas Litteras 7 Julii ejusdem anni, quæ incipiunt : *Inclytum Patriarcham*, Summus Pontifex Pius IX Sanctum Joseph Ecclesiæ Catholicæ Patronum proclamatum, nominare præscripsit per hæc verba : *cum beato Joseph.* (Cfr. Litteræ inter Decreta S. Rituum Congregationis, n. 3252, antiq. 5487.) — Ad hoc attendendum est, quando Missa legitur in Missali ante annum 1871 impresso, ne ex inadvertentia vel omittatur nomen S. Joseph, vel non suo loco et modo debito dicatur.

Quæ in sequentibus Quæstionibus dicuntur de Oratione *A cunctis*, applicanda quoque sunt Postcommunioni ejusdem Orationis, in qua eadem Sanctorum nomina occurrunt.

Q. 119. *Cujus Sancti memoria recolenda est ad litteram N. ?*

R. In Oratione *A cunctis* ad litteram N. recolitur memoria et exprimitur nomen Sancti Titularis Ecclesiæ, in qua (vel Oratorii publici solemniter benedicti, in quo) Missa celebratur. — Si plures sint Sancti Titulares, omnes nominandi sunt, modo sint æque principales, alias solius principalioris fit mentio.

Nullum aliud nomen Sancti huic Sancti Titularis nomini adjici potest ; neque nomen Patroni civitatis aut loci, neque nomen cappellæ Ecclesiæ, neque nomen Titularis altaris in quo Missa celebratur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Septembris 1837,

n. 2769, ad 7, antiq. 4815, ad 10.) Attamen S. Rituum Congregatio declaravit, quod Regulares possunt nominare proprium Sanctum Fundatorem, dummodo non omittant nomen Titularis Ecclesiæ. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3758.)

Nota. Placet referre ea quæ S. Rituum Congregatio de Ecclesiis non consecratis declaravit. (Decret. 28 Novembris 1891, n. 3752, ad 1 et 2.)

Ad dubium : « Num privilegia liturgica Titulorum Ecclesiarum, videlicet Officium duplex primæ classis cum Octava, Commemoratio in Suffragiis Sanctorum,et in Oratione *A cunctis,* attribuenda sit Titularibus earum Ecclesiarum, quæ non consecratæ sunt, sed tantum solemniter benedictæ ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; juxta Decreta alias edita. »

Ad dubium : « Num hoc dicendum sit de omni Sacello præcipuo alicujus loci cui adscribitur Missionarius, etiamsi istud Sacellum sit valde pauper, parvum, modo fragili extructum et ad tempus tantum cultui divino destinatum ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. »

Q. 120. *Quid faciendum est, 1° si Ecclesia Titularem habeat Sanctum in hac Oratione jam nominandum ; 2° si dedicata sit alicui Mysterio ; 3° si Missa celebretur in Oratorio privato vel Titulum non habente ?*

R. 1° Ubi Ecclesia Titularem habet Sanctum in hac Oratione jam nominandum, nempe vel beatissimam Virginem Mariam, vel sanctum Joseph, vel sanctos Apostolos Petrum et Paulum, non fit iterata ejus nominatio, et omittitur mentio de *beato N.*

Idem dicendum est de Ecclesiis quæ Titularem habent Sanctam Familiam ; jam enim nomina B. Mariæ V., et S. Joseph memorata habentur.

2° Si Ecclesia dedicata est alicui Mysterio, puta SS. Trinitatis, S. Crucis, etc., tunc nominatur Patronus civitatis aut loci.

3° Si Missa celebratur in aliquo sacello et oratorio privato, qua denominatione intelligunt auctores in casu quodcumque oratorium non solemniter benedictum ; rescripsit S. Rituum Congregatio, ad litteram N. exprimendum esse, — non nomen Titularis Ecclesiæ parochialis intra cujus limites situm est oratorium, neque nomen Titularis Ecclesiæ cui Sacerdos in oratorio cele-

brans forsan adscriptus est, — sed nomen Patroni civitatis aut loci. (Decret. 12 Septembris 1840, n. 2814, ad 1, antiq. 4897, ad 2.)

Nota. Placet describere sequentem S. Rituum Congregationis declarationem : Ad dubium : « Quum Ecclesia præfati Seminarii (Racholensis) Titularem habeat S. Ignatium de Loyola, debet ne ejusdem Sancti nomen commemorari in Oratione *A cunctis*, in Missis quæ celebrantur in Oratorio interiori Seminarii, loco nominis Sancti Patroni loci ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « In Oratorio privato Seminarii Racholensis, in Oratione *A cunctis* exprimendum est nomen Sancti Titularis Ecclesiæ ejusdem Seminarii. » (Decret. 16 Junii 1893, n. 3804, ad 8.) Adeo ut Titularis Ecclesiæ quæ domui religiosæ annexa est, sit vel censeatur Titularis etiam Oratorii privati quod in hujusmodi domo existit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 102.)

Q. 121. *Quomodo agendum, si in Missa celebrata in honorem Sanctorum qui nominantur in Oratione* **A cunctis**, *addenda est hæc Oratio* **A cunctis** *?*

R. Cum de eodem bis facere commemorationem vetitum sit, et non possit simul in eadem Missa dici et Oratio substantialis de B. Maria V., aut de S. Joseph, aut de SS. Apostolis Petro et Paulo, aut de S. Titulari, et Oratio *A cunctis* (Cfr. Q. 117), pro diversis casibus agendum erit sequenti modo :

1° Quoad mentionem B. Mariæ V., nulla potest esse difficultas, cum in ejus Missis numquam occurrat dicenda Oratio *A cunctis*. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15.)

In Missa tamen Votiva *pro sponso et sponsa* quæ celebratur in aliquo Festo duplici B. Mariæ V., quo tempore anni pro tertia Oratione dicenda est Oratio *A cunctis*, hæc juxta quosdam auctores dicitur, sed omissa mentione B. Mariæ V., et solum dicitur : *intercedente beato Joseph, cum beatis etc.* (Cfr. Q. 306.)

2° Si Missa votiva celebratur de S. Joseph, in Oratione *A cunctis* omittitur mentio S. Joseph. Ita notat Rubrica particularis in Missa de S. Joseph, quæ ponitur in Missali inter Missas Votivas per annum pro Feria IV. (Cfr. Q. 41.)

3° Si Missa dicitur de SS. Apostolis Petro et Paulo, pro Oratione *A cunctis* dicitur Oratio B. Mariæ V.

Concede nos famulos. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15. Cfr. Q. 117.)

4° Si Missa dicitur de Titulari aut Patrono Ecclesiæ, tunc vel omittitur ejus mentio in Oratione *A cunctis*, vel pro hac Oratione dicitur Oratio *Concede, quæsumus*, quæ prima est inter Orationes diversas in fine Missalis descriptas, et etiam inscribitur « ad poscenda suffragia Sanctorum » (cfr. Q. 38, n. 1) ; hæc nullum speciale nomen continet. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Maji 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad III. Cfr. Adnotationes super hoc Decreto, in IV Vol. Collectionis, pag. 188, ad III.)

Q. 122. *Quare nomina SS. Angelorum, Joannis Baptistæ atque Joseph, in hac Oratione præponenda sunt nominibus SS. Apostolorum ?*

R. Cum inter diversos Sanctos collective enumeratos, semper servandus sit ordo dignitatis, quemadmodum traditur in Litaniis majoribus, ideo observandum erit in Oratione *A cunctis*, quod SS. Angeli, aut S. Joannes Baptista, nominandi tamquam Titulares Ecclesiæ, ponantur ante Sanctum Joseph, sicuti et hic positus habetur ante SS. Apostolos Petrum et Paulum. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Aprilis 1871, n. 3249, antiq. 5484, ad 3.)

Q. 123. *Describe tenorem hujus Orationis, pro singulis casibus in quibus varianda est ?*

R. Præ oculis habendæ sunt in singulis casibus regulæ duæ, tum pro omissione nominationis in casu iteratæ mentionis, de qua supra Q. 120 dictum fuit ; tum pro ordine diversorum Sanctorum nominum, qui servatur, ut notatum fuit Q. 122, juxta ordinem dignitatis, quo Sancti recensentur in Litaniis majoribus. Itaque pro diversis casibus tenor erit sequens :

1° Si Ecclesiæ Titulares sunt, aut B. V. Maria, aut S. Joseph, aut Sancti Petrus et Paulus, aut S. Petrus, aut S. Paulus, aut Sancta Familia : *A cunctis... genitrice Maria, cum beato Joseph, atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, etc.*

2° Si Ecclesia Titulum habet S Archangelum Michae-

lem, aut alium Archangelum, Sanctos Angelos, S. Joannem Baptistam : *A cunctis... genitrice Maria, — cum beato Michaele, Raphaele, Gabriele,* vel *cum beatis Angelis,* vel *cum beato Joanne Baptista, — beato Joseph, atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, etc.*

3° Sit exemplum casus specialis, si Titulares æque principales sunt SS. Joannes Baptista et Joannes Evangelista : *A cunctis... genitrice Maria, cum beato Joanne Baptista, beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato Joanne, et omnibus Sanctis, etc.*

4° Sit aliud exemplum casus specialis, si Titularis est S. Joseph, et Missa celebratur Votiva de S. Joseph, quo tempore dicenda est in Missa Oratio *A cunctis.* Hoc in casu primo omittenda venit mentio de *beato N.*, cum S. Joseph Titularis jam nominetur in Oratione ; sed insuper omitti debet ipsa mentio de *beato Joseph,* cum de Sancto Joseph celebretur Missa et dicatur prima Oratio, et vetitum sit de eodem bis facere commemorationem. (Cfr. Q. 121.) His præmissis, proponitur sequens tenor : *A cunctis... genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis.* (Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1884, Q. 2 ex Liturgia.)

§ 2. Oratio « ad libitum »

Q. 124. *Aliquando tertio loco præscribitur dicenda, tamquam Commemoratio communis, Oratio* **ad libitum** *; quare ita vocatur, et quid præcipue quoad illam notandum ?*

R. I. Oratio **ad libitum,** quæ diversis anni ecclesiastici temporibus præscribitur dicenda tertio loco tamquam Commemoratio communis, nempe a Purificatione B. Mariæ V. usque ad Feriam IV Cinerum, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (cfr. Q. 81, nn. 3° et 9° tabulæ), ita vocatur, non ideo quod pro libitu suo possit Sacerdos illam dicere vel omittere, sed quia penes ipsum est ejus electio.

II. 1° Eligi quidem potest Oratio, vel de Sancto cujus Missa reperitur in Missali, vel de SS. Sacramento (cum restrictione tamen quæ ponitur in Quæstione sequenti), vel de Patrono, de Passione, de Cruce, etc. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1841, n. 2365, ad 2, antiq. 4119, ad 6) ; verbo, quæcumque Oratio Missalis, quæ reperitur inter diversas Orationes

in fine Missalis descriptas, aut quæ habetur in iis Missis quæ tamquam Votivæ recitari possunt.

2° Eligi non potest Oratio ex iis Missis quæ tamquam Votivæ dici non possunt, quales sunt Orationes de aliqua Dominica, aut Feria, de Beato ; Orationes de Nativitate Domini, Epiphania, Paschate, Ascensione, etc. ; de Nativitate, Assumptione B. M. V., etc.

Neque eligi potest Oratio seu Collecta pro defunctis (cfr. Q. 130).

3° Cum autem Oratio *ad libitum* sit Commemoratio communis, eligi quoque non poterit talis in qua iterum mentio fieret ejus, de quo jam in præcedentibus facta mentio fuit ; ideoque, cum Oratio *A cunctis* semper secundo loco dicenda ponitur quando tertia est ad libitum (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 2), pro hac sumi non poterit neque Oratio de B. Maria V., neque de S. Joseph, neque de SS. Apostolis Petro et Paulo, neque de Titulari Ecclesiæ ; horum omnium mentio enim jam facta fuit in Oratione *A cunctis ;* neque sumi poterit, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 24), Oratio « pro congregatione et familia », quæ reperitur n. 8 inter diversas in sexta parte Missalis (cfr. Q. 38), quia in ipsa mentio fit B. Mariæ Virginis. (Cfr. dicta Q. 117.)

4° Notatur insuper, valde convenire Orationem *pro seipso Sacerdote*, quæ ponitur in fine Missalis inter Orationes diversas ; non tamen in Missa solemni in præsentia Prælati, vel Cleri in Choro congregati : potius tunc ea sumatur quæ Superiori vel Communitati convenit, habita ratione temporum et necessitatum.

Q. 125. *An, quando tertia Oratio est* **ad libitum**, *et dici debet aut Oratio imperata, aut Oratio SS. Sacramenti publice expositi, hæc imperata vel Oratio potest dici tertio loco ?*

R. 1° Quoad Orationem imperatam, negative ; etenim in casu per modum præcepti et obligationis dicenda est tertia Oratio *ad libitum* seu devotionis, tamquam a Rubrica præscripta, et quarto loco dici debet ea quæ ab Episcopo extra ordinem Officii fuit imperata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Augusti 1709, n. 2198, ad 2, antiq. 3814, ad 3.)

2° Quoad Orationem SS. Sacramenti publice expositi:

A. In iis Missis in quibus, sicut in Quæstione ponitur, fieri debet Commemoratio SS. Sacramenti (cfr. Q. 93), tamquam Oratio ad libitum dici non potest, sed pro Oratione ad libitum eligetur alia, et quarto loco adjungetur Oratio SS. Sacramenti.

B. In iis Missis in quibus SS. Sacramenti Commemoratio fieri potest, sed non debet, nihil obstare videtur, ut pro Oratione ad libitum tertio loco dicenda, sumatur Oratio SS. Sacramenti ; si magis placeat Sacerdoti, aliam Orationem dicere ad libitum, profecto dicere aliam poterit ; et etiam pro libitu suo, vel quarto loco adjunget Orationem SS. Sacramenti, vel eam omittet, prout Quæstione 93 dispositum fuit.

§ 3. Oratio de B. Maria Virgine

Q. 126. *Quænam intelligitur Oratio B. Mariæ Virginis, quæ sæpius tamquam Commemoratio communis secundo vel tertio loco dicenda præscribitur ?*

R. Intelligitur illa Oratio B. Mariæ V., quæ tamquam Commemoratio communis præscripta, secundum tempus anni ecclesiastici sumitur ex una de Missis Votivis B. Mariæ V., quæ describuntur in quinta Missalis parte (cfr. Q. 37).

1° A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis exclusive (cfr. Q. 81, n. 1 Tabulæ), dicitur Oratio : *Deus, qui de Beatæ, etc.*, ex prima Missa Votiva B. Mariæ V., assignata pro Adventu (cfr. Q. 37, n. 8).

2° A Nativitate Domini usque ad Purificationem (Q. 81, n. 2), dicitur Oratio : *Deus, qui salutis æternæ, etc.*, ex secunda Missa Votiva B. Mariæ V., a Nativitate Domini usque ad Purificationem (Q. 37, n. 9).

3° Ab Octava Paschatis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive (Q. 81, n. 7), dicitur Oratio : *Concede nos famulos etc.*, ex quarta Missa Votiva B. Mariæ V., a Pascha usque ad Pentecosten (Q. 37, n. 11).

4° Infra Octavas SS. Corporis Christi, et Sanctorum præter B. Mariam V. (Q. 81, n. 11), dicitur Oratio : *Concede nos famulos etc.*, ex quarta vel quinta Missa Votiva B. Mariæ V., quarum Orationes sunt eædem (Q. 37, nn. 11, 12).

Nota. In Kalendariis seu Directoriis, pro casibus qui sub 3° et 4° describuntur, non raro indicatur vel secunda vel tertia Oratio *Concede;* animadvertendum est eam esse Orationem de B. Maria V. supra indicatam, non autem Orationem *Concede,* ad poscenda suffragia Sanctorum, quæ inter Orationes diversas primo loco (cfr. Q. 38) ponitur.

§ 4. Oratio « Ecclesiæ » vel pro Papa

Q. 127. *Quænam notari possunt quoad Commemorationes communes « Ecclesiæ », vel pro Papa?*

R. Per varia anni ecclesiastici tempora, et infra Octavas, pro Commemoratione communi præscribitur, secundo vel tertio loco, Oratio *Ecclesiæ,* quæ habetur inter Orationes Votivas in sexta parte Missalis sub titulo: *Contra persecutores Ecclesiæ* (cfr. Q. 38, n. 11); sed liberum relinquitur Celebranti ejus loco dicere Orationem pro Papa (n. 4).

1° Plena libertas datur alterutram Orationem dicendi, et nullibi in Missali indicatur aliqua convenientiæ ratio alternis vicibus has Orationes dicendi: editiones typicæ Missalis enim eodem semper ordine utramque assignant.

2° Vacante Sede Pontificia, necessario sola singulis vicibus dicitur Oratio *Ecclesiæ,* et non licet loco Orationis pro Papa dicere Orationem pro Summo Pontifice eligendo (Q. 37, in altera serie Missarum, n. 1).

3° Si forte, quando a Rubricis alterutra præscribitur, una ex eis imperata simul est ab Episcopo, tunc nulla amplius relinquitur libertas, neque pro Orationis electione, neque pro ordine; sed, quæ non imperata est dicitur semper prior, tamquam Commemoratio communis, ut ita satisfiat præcepto Rubricæ; quæ vero imperata est, semper dicitur, tamquam imperata, post Commemorationes communes, ut ea satisfiat præcepto Episcopi; et nullo modo per solam imperatam satisfieri posset duplici præcepto Rubricæ et Episcopi. Itaque in casu semper dicenda est utraque, et quidem eo ordine, ut Oratio imperata semper ultimo loco dicatur.

Hanc regulam confirmavit S. Rituum Congregatio

sequenti Decreto : Ad dubium : « Utrum circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit, ut, si altera vi Rubricæ, altera ex præcepto Ordinarii præscribatur, utraque, prouti de more, in Missa dici debeat ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 24 Maji 1901, ad 1. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 399.)

Nota. De plerisque Commemorationibus communibus quæ recensentur Q. 81, jam dictum fuit in hoc Articulo ; remanent ex eis duæ, de quibus sufficiet indicare ubi in Missali reperiri possunt : una, Oratio *de Spiritu sancto*, est Oratio Missæ Votivæ de Spiritu sancto : *Deus, qui corda fidelium, etc.*, quæ in quinta Missalis parte inter Missas Votivas ponitur (cfr. Q. 37, n. 4) ; altera : *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, inscripta « Pro vivis et defunctis », est ultima inter Orationes diversas, quæ habentur in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38, n. 35) ; dicitur hæc tamquam Commemoratio communis infra Quadragesimam, et ordinarie describitur in quibusdam Missis hujus temporis anni ecclesiastici.

§ 5. Orationes « Fidelium » et aliæ pro Defunctis

Q. 128. *Quandonam in Missis quæ non sunt de* Requiem *addi debet Oratio pro Defunctis* « Fidelium » *tamquam Commemoratio ?*

R. Juxta Rubricam generalem Missalis (Tit. V, n. 1 et 2), *a*) prima die cujusque mensis, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale ; *b*) et insuper singulis Feriis secundis per annum, extra Quadragesimam et Tempus Paschale (animadvertatur diversitas præscriptionis pro Adventu) ; — quando his temporibus anni Officium non est duplex vel semiduplex, (igitur in Missis propriis de Feria, vel de Vigilia communi, vel de Festo simplici, vel quando resumitur in hebdomada Missa Dominicæ præcedentis) ; — in omni Missa de die addi debet Oratio *Fidelium*, pro Fidelibus defunctis.

Si, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale, prima dies libera pro dicenda Oratione est Feria secunda, satisfit hac die utrique præcepto, tum primæ

diei mensis liberæ, tum Feriæ secundæ hebdomadæ.

Hanc Rubricam esse de præcepto servandam in prædictis Missis, declaravit S. Rituum Congregatio. (Decreta 13 Augusti 1701, n. 2077, antiq. 3595; et 25 Augusti 1882, n. 3553, antiq. 5848, ad 3.)

Nota. I. Vide miram Sanctæ Matris Ecclesiæ pro Defunctis sollicitudinem, quæ initio mensis et hebdomadæ pro iisdem orat; quinimo eos purgantes honorat Feria secunda post diem Dominicum, quo Ecclesiæ triumphanti tributa jam solvit, sequentibus diebus militantem juvat. (Gavantus, *Thesaurus sacrorum rituum*. Pars I, Tit. V, n. 2.)

Nota. II. Ecclesia igitur admittit ut in Missis quibusdam determinatis, quæ non sunt de *Requiem*, Commemoratio fieri possit Defunctorum. « In Missis autem Defunctorum nulla fit commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis et defunctis. » (Rubricæ generales, Tit. VII, n. 6.)

Q. 129. *Quo loco in tali casu dicitur hæc Oratio?*

R. Rubrica generalis Missalis (Tit. VII, n. 6) dicit : « Si facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper ponitur penultimo loco. » Itaque Oratio *Fidelium*, dicenda ex præscripto Rubricæ, ponenda est penultimo loco inter Commemorationes speciales vel communes; si tres in Missa dicendæ erunt ex præscripto Rubricæ Orationes, Oratio *Fidelium* dicetur secunda; si quatuor aliquando (quod rarissimum est), dicetur tertia.

Quæ Commemoratio specialis aut communis alias diceretur secundo loco, dicitur in casu tertio loco, et si nulla ulterius Commemoratio specialis occurrit dicenda, omittitur quæ alias dicenda fuisset Commemoratio communis.

Exempla : Ex eo quod tot jam in Kalendario assignantur Festa Sanctorum duplicia et semiduplicia, et præsertim ex quo diebus liberis jam fere semper dici possunt Officia Votiva per annum (cfr. Q. 41), rarius occurrunt dies in quibus hæc Defunctorum Commemoratio dici potest.

In Kalendario seu Directorio Mechliniensi, pro anno 1902, sequentia dantur exempla : — *a*) Pro prima die mensis libera : 9 Augusti, Sabbato, fit Officium de Vigilia S. Laurentii, Martyris; in Missali indicatur dicenda in Missa Vigiliæ secunda Ora-

tio S. Romani, Martyris (Commemoratio specialis), et tertia Oratio de S. Maria, *Concede* (Commemoratio communis); sed quia hæc dies, 9 Augusti, est prima mensis Augusti, in qua observari possit præscriptio Orationis *Fidelium,* ideo in Directorio indicatur dicenda, in Missa Vigiliæ, secunda Oratio *Fidelium,* tertia vero S. Romani, et Commemoratio communis *Concede,* de S. Maria, omittitur, quia tres Orationes requisitæ in hac Missa dictæ habentur.

b) Pro Feria secunda: 27 Octobris, Feria II, fit Officium de Vigilia SS. Simonis et Judæ, Apostolorum; in Missali indicantur dicendæ, in Missa Vigiliæ, Oratio secunda de S. Maria, *Concede,* et tertia *Ecclesiæ,* vel pro Papa (Commemorationes communes); sed quia hæc dies, 27 Octobris, anno 1902 est Feria secunda, in qua observari possit præscriptio Orationis *Fidelium,* ideo in Directorio indicatur dicenda, in Missa Vigiliæ, secunda Oratio *Fidelium,* et tertia *Concede,* de S. Maria, et Commemoratio communis *Ecclesiæ,* vel pro Papa, omittitur.

Sed si etiam dicenda est Oratio imperata ab Episcopo, an tunc hæc Commemoratio pro Defunctis remanere debet suo loco, et obtinere, vel potius retinere inter Orationes vi Rubricarum dicendas locum penultimum; vel an forsan ponenda erit immediate ante Orationem imperatam, ut revera dicatur inter omnes dicendas in globo sumptas penultimo loco? Mens Rubricæ est, quod Oratio *Fidelium* semper remaneat penultimo loco inter Orationes a Rubricis præscriptas, et post istas suo ordine dictas dicatur Oratio imperata. Itaque, si in Missa de die Commemoratio *Fidelium* præscripta sit penultimo, puta secundo loco, et simul dicenda sit Oratio imperata, ex. gr., pro Papa, Oratio *Fidelium* ponetur secundo, altera Commemoratio specialis aut communis, tertio, et Oratio imperata pro Papa quarto loco.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, V, 1891, pag. 137, et sqq., 1ª Hypothesis.)

Q. 130. *An Celebrans, quando pro Commemoratione communi præscribitur Oratio « ad libitum », pro hac eligere potest Orationem pro Defunctis?*

R. Ex quibusdam S. Rituum Congregationis Decretis antiquis videbatur licitum Commemorationem pro Defunctis dicere etiam in Missis ritus semiduplicis; unde concludebant auctores, Celebrantem posse Ora-

tionem pro defuncto, pro defuncta, vel pro defunctis, eligere pro Commemoratione communi *ad libitum*, in his Missis aliquando tertio loco præscripta (cfr. Q. 124). Sed hæc Decreta e novissima Collectionis Decretorum editione, anni 1898, fuerunt expuncta ; retentum autem fuit Decretum, quo S. Congregatio declarat quod Collecta pro Defunctis in Missa privata (intellige hic in Missa non conventuali) non admittitur, nisi in Missis Festorum simplicium, et in Ferialibus. (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 8, antiq. 2345, ad 9.)

Unde concludendum est, certo non posse in Missis ritus semiduplicis, pro Commemoratione communi *ad libitum*, tertio loco dicenda, eligi Orationem pro Defunctis.

Quoad Missas ritus simplicis, dicendum est, quod, si Celebrans Orationem pro Defunctis licite possit in his Missis dicere, eam tamen addere potest tantum ut Orationem votivam stricte dictam (Cfr. Q. 132), et non pro Commemoratione communi *ad libitum*, tertio loco dicenda.

Q. 131. *An Episcopus, seu Ordinarius imperare potest Orationem pro Defunctis ? In quibus Missis non admittitur hæc Oratio imperata, in quibus admittitur, et quo loco tunc dicenda est ?*

R. I. Auctores communiter admittunt, posse Episcopum, seu Ordinarium imperare Orationem pro Defunctis, vel pro particulari Defuncto, ex. gr., pro Papa, pro Episcopo defuncto, dicendam in Missis quotidianis de *Requiem*. Sed si quæstio ponitur pro Missis quæ non sunt de *Requiem*, etiamsi admittendum sit Episcopum Orationem imperatam posse præscribere pro Defunctis, numerus Missarum in quibus admittitur hujusmodi Collecta ita arctatus est, ut potius dicere liceat Episcopum, seu Ordinarium non posse, nisi in paucissimis Missis, Orationem pro Defunctis imperare. Quod ex sequentibus dicendis patebit.

II. Distinguendum est ;

A) In Missis de *Requiem :*

1° In iis Missis de *Requiem*, in quibus una tantum dicitur Oratio, numquam dici potest Oratio imperata pro Defunctis.

2° In Missis de *Requiem* quæ plures admittunt Orationes, dici potest Oratio imperata.

3° In casu saltem quatuor dici debent Orationes nam pro imperata nulla ex tribus a Rubrica præscriptis omitti potest ; Oratio imperata tunc dicitur tertio loco ; ultimo loco dicitur Oratio *Fidelium*, quæ, ut postea exponetur, semper ultimum locum occupare debet, quando plures dicuntur Orationes in Missis de *Requiem*. (Cfr. Q. 372.)

In illo casu numerus impar Orationum, alias præscriptus, non debet observari, et sufficiet, si Celebranti placet, quatuor tantum Orationes dicere. (Cfr. Q. 105, Nota, et Q. 325, Nota.)

B) In Missis quæ non sunt de *Requiem :*

Expunctis jam e novissima Decretorum S. Rituum Congregationis editione, anni 1898, Decretis, in quibus quæstio erat de Collecta pro Defunctis, in Missis omnibus quæ plures, aut saltem duas Orationes ex se admittunt ; et stante Decreto, quo S. Congregatio declarat quod « Collectæ pro Defunctis non admittuntur nisi in Missis Festorum simplicium et in Ferialibus (Decret. 31 Julii 1665, n. 1332, ad 8, antiq. 2345, ad 9), dicendum remanet :

1° In Missis cujuscumque ritus et classis, in quibus juxta Rubricas unica tantum Oratio dici potest, numquam admittitur Oratio imperata pro Defunctis. Item in Missis ritus duplicis et semiduplicis, in quibus plures Orationes sunt dicendæ, nempe Commemorationes speciales aut communes, non admittitur Oratio imperata pro Defunctis.

2° In Missis ritus simplicis, nempe Festorum simplicium, aut de Feria, aut de Vigilia communi, aut quando infra hebdomadam in Feria resumitur Missa de Dominica, quæ Missæ omnes per se admittunt plures Orationes a Rubricis assignatas, dici potest Oratio imperata pro Defunctis.

3° Cum juxta Rubricam generalem jam pluries citatam (Tit. VII, n. 6), Oratio pro Defunctis, in Missis quæ non sunt de *Requiem*, ponenda sit penultimo loco, dicitur Oratio imperata ante ultimam Commemorationem specialem vel communem ; intervertitur in casu

ordo consuetus Orationum, cum Oratio Votiva, qualis est imperata, ponatur ante Commemorationem a Rubrica præscriptam ; igitur, si tres Orationes in Missa a Rubrica assignatæ sunt, Oratio imperata pro Defunctis dicitur tertio loco, quarto autem loco additur Commemoratio specialis vel communis quæ alias tertio loco dicta fuisset, ita volente, contra regulas de loco Orationis imperatæ, Rubrica citata de loco penultimo Orationis pro Defunctis.

In illo casu non est observanda regula de numero impari Orationum ; et sufficit, si Celebranti placet, dicere Orationes quatuor tantum.

Attamen si, quando fieri potest, placeret Celebranti in his Missis addere Orationem Votivam stricte dictam ad suum libitum, ita ut diceret in toto Orationes quinque, tunc, vi regulæ de penultimo loco Orationis pro Defunctis, ordo Commemorationum non deberet interverti ; et Celebrans diceret Commemorationes speciales aut communes secundo et tertio loco, Orationem imperatam pro Defunctis quarto loco, et Orationem Votivam stricte dictam quinto loco.

Q. 132. *An celebrans potest, in Missis quæ non sunt de* **Requiem,** *dicere Orationem pro Defunctis tamquam Votivam stricte dictam ? Quo loco dicenda est hæc Oratio ?*

R. I. In Missis Festorum simplicium, et in Missis Ferialibus admittuntur Orationes pro Defunctis, ut declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 8, antiq. 2345, n. 9 ; et 25 Augusti 1882, n. 3553, antiq. 5848, ad 2). Itaque in Missis in quibus Celebrans, ultra Commemorationes a Rubricis præscriptas, ad libitum suum addere potest Orationes Votivas stricte dictas, scilicet in Missis de Festo simplici, de Feria, et de Vigilia communi, aut quando iterum in hebdomada dicenda est Missa Dominicæ præcedentis (cfr. Q. 86), pro Oratione stricte Votiva dicere potest Orationem pro Defuncto, vel Defuncta, vel Defunctis.

II. Orationes stricte Votivæ dici debentpost omnes Orationes in Missa præscriptas ; et eo quidem modo, ut cum his simul sumptæ surgant ad numerum impa-

rem quinque vel septem (cfr. Q. 90) ; sed hic animadvertenda est quoque regula de penultimo loco Orationis pro Defunctis dictæ (cfr. Q. 129). Itaque Celebrans post Commemorationes Missæ volens addere quartam Orationem Votivam stricte dictam pro Defunctis, adjungere quartæ huic debebit aliam quintam, quæ de Defunctis non erit.

Si autem alia Oratio imperata, ex. gr., pro Papa esset præscripta, non perperam dicet quarto loco suam Orationem pro Defunctis, et quinto loco Orationem imperatam pro Papa. Ita salvo meliori judicio.

CAPUT V

DE EPISTOLA, — DE GRADUALI, ALLELUJA, TRACTU ET SEQUENTIA, — DE EVANGELIO

Q. 133. *Quænam Lectiones sacræ olim usuveniebant, et adhuc hodiedum usuveniunt in Missæ Sacrificio ?*

R. A primis Ecclesiæ sæculis fideles Lectionibus e Sacra Scriptura, currenti tempori anni, vel Festis accommodatis, instruebantur et ad Sacrificium præparabantur ; Lectiones erant præcipua pars Missæ Catechumenorum.

Lectiones in Missa plures usuveniebant : principalior ex Sacris Evangeliis ; — alia ex aliis Libris Sacræ Scripturæ, sed plerumque ex Epistolis, præsertim S. Pauli desumpta, et ideo vocata *Lectio Apostolica*, *Apostolus*, sed sæpius, ut et hodie, *Epistola ;* — tertia, *Prophetica* nuncupata, plerumque ex Prophetis, aut aliis Veteris Testamenti Libris.

Hodie remanent in Missa duæ Lectiones, Epistola nempe et Evangelium.

Prophetica Lectio vero currente sæculo V in Romana Liturgia suppressa fuit, ejusque usus retentus fuit, et hodie adhuc remanet quibusdam tantum diebus, scilicet, Feriis quartis et Sabbatis in Quatuor Temporibus, et tempore Quadragesimæ Feria quarta Hebdomadæ quartæ, et Feriâ quarta Hebdomadæ majoris.

Istæ Lectiones Propheticæ, præfatis diebus retentæ, videntur debere referri ad Ordinationes sacras, cum Feriis quartis ante Ordinationes sequentium Sabbatorum, locum habebant Scrutinia, seu examina Ordinandorum, et in ipsis Sabbatis Ordinationes sacræ. (Cfr. Pontificale Romanum, Tit. *De Ordinibus conferendis*, Rubr. 1.)

Seriem Epistolarum et Evangeliorum per anni curriculum, qualem hodie adhuc habemus pro Missis de Tempore, aliisque Festorum antiquiorum, ordinasse dicunt plures eruditi S. Hieronymum, auctoritate et mandato S. Damasi, Papæ († 384).

Q. 134. *Quænam notanda sunt de ritu Epistolæ ?*

R. I. Primo ævo Lectoris munus erat in Missa legere Epistolam, cui ideo in Ordinatione tradebatur Codex Lectionum ; a sæculo IX tantum alicubi id facere cœperunt Subdiaconi, et ante sæculum XIII non reperitur in Pontificali formula, qua in Ordinatione Subdiaconi ipsi potestas traditur legendi. Hodie Rubrica præscribit ut in Missa solemni Subdiaconus cantet Epistolam ; sed addit : « Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VI, n. 8. — Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 276, 4.)

II. Epistola nomen habet Lectionis, quia antiquitus consuevit non cani sed tantum legi ; Rubrica Missalis tamen identidem loquitur de cantu Epistolæ, sed juxta Directorium Chori, et Recitatorium Romanum cantus iste reducitur ad tonum recitationis in voce æquali, servato tantum tono interrogationis, si in loco puncti occurrerit interrogativum. (Cfr. Cæremoniale, Appendix II, n. VI.)

III. 1. Ante Epistolam semper annuntiatur Titulus Libri Sacræ Scripturæ ex quo desumitur :

Si est de Epistola S. Pauli, dicitur : *Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos,... ad Corinthios,... ad Hebræos, etc.*

Si est de Epistola alterius Apostoli : *Lectio Epistolæ Beati N. Apostoli.*

Pro aliis Libris dicitur : *Lectio Libri Genesis, Exodi,... Regum ; — Lectio Isaiæ Prophetæ, Jeremiæ Prophetæ ;... Lectio Actuum Apostolorum : — Lectio Libri Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.*

Epistolæ depromptæ ex sequentibus Libris : Proverbiorum, Ecclesiastes, Sapientiæ, Cantici Canticorum, et Ecclesiastici, leguntur sub Titulo : *Lectio Libri Sapientiæ.*

2. Deinde dicuntur variæ formulæ inchoationis :

Si legitur ex Epistola S. Pauli, præponitur : *Fratres,* aut, respectu Epistolarum ad Titum et ad Timotheum : *Carissime.*

Si ex Epistola alterius Apostoli : *Carissimi.*

Si narrativus est sermo : *In diebus illis.*

Si prima verba sunt Dei loquentis : *Hæc dicit Dominus.*

Omittitur hæc formula inchoationis :

Si legitur alicujus Epistolæ, aut alterius Libri initium (ex. gr., in Missa Vigiliæ Nativitatis Domini, in tertia Missa Festi Nativitatis Domini).

Si in initio Epistolæ mentio fit temporis quo narrata acciderunt (ex. gr., in Festo Pentecostes).

Si textus incipit per exclamationem (in Festo SS. Trinitatis), aut per apostrophen (in Festo Epiphaniæ).

3. In fine Epistolæ, sicuti regulariter etiam fit in Officio Divino pro Lectionibus, respondetur : *Deo gratias,* ut gratus significetur animus pro salutari instructione accepta.

In Missa solemni Subdiaconus accipit benedictionem a Celebrante, hujusque manum osculatur ; hæc tamen signa reverentiæ et solemnitatis omittuntur in Missis de *Requiem.*

Q. 135. *Quid est* **Graduale,** *et unde nomen habet ?*

R. Epistolam inter et Evangelium, tamquam connexionem duarum ex sacris Bibliis Lectionum, jubet Ecclesia **Responsorium** poni, quod generatim appellatur **Graduale,** ut distinguatur a Responsoriis quæ dicenda sunt in Officio divino ; antiquitus integer Psalmus dicebatur, sed hodie Graduale constat regulariter duobus Versibus, quorum prior Gradualis nomine inscri-

bitur, alter huic cohærens et adnexus tamquam Versus indicatur.

Dicitur **Graduale**, vel a loco in quo olim cantabatur : quia cantor illud intonans stabat in gradu Ambonis, vel Altaris ; vel ex eo quod olim cantabatur eo tempore, quo Diaconus cum suo comitatu gradus conscendebat Ambonis, ut ibi decantaret Evangelium, ne tempus quo Diaconus ab Altari in Ambonem ascendebat, sine aliquo cantu laberetur. **Responsorium** vocatur, vel ex modo quo canebatur, quia nempe uno canente chorus consonando, nempe finalem versus modulationem repetendo respondebat.

Nota. Graduale a primis Ecclesiæ sæculis tamquam e præstantioribus Sacrificii cantibus habitus fuit, quem, ante S. Gregorium Magnum, Diaconorum munus erat modulari. Inde etiam Liber qui omnes Missæ cantus continet, a præcipua hac parte nomen obtinuit **Gradualis**.

Patet ergo perperam regulariter Gradualis cantum omitti, et ejus loco quid aliud cantari, aut solum organum pulsari. Ideo non semel declaravit S. Rituum Congregatio, quod cantus Gradualis nequit omitti in Missa solemni aut cantata, etiam infra hebdomadam ; et quod consuetudo illius cantum omittendi repugnat Rubricis, ac veluti abusus prorsus eliminanda est. (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 7 ; et 29 Decembris 1884, n. 3624, ad 11, antiq. 5929, ad 12.) — Tolerat tamen eadem S. Congregatio omissionem cantus in quibusdam specialibus rerum adjunctis, ut est vocum defectus. (Cfr. Ordinatio quoad sacram Musicen, 25 Septembris 1884.)

Q. 136. *In quibus Missis dicitur Graduale ?*

R. Graduale dicitur in omnibus Missis per totum annum ; exceptis Sabbato sancto, et Tempore Paschali, inde a Sabbato in Albis usque ad Sabbatum in hebdomada Pentecostes.

Graduale ab auctoribus signatur tamquam cantus exprimens mœstitiam et laborem in hac valle peregrinantium ; quæ cum non pertineant ad tempus quo Paschalia gaudia celebrantur, intelligitur eo tempore Gra-

duale omitti. Quod si per hebdomadam Paschatis Graduale Missæ additum reperiatur, hoc fieri dicunt propter neobaptizatos, quibus ita significabatur gaudium ipsorum nondum esse plenum, donec educat Dominus electos suos in exsultatione et lætitia æternæ in cœlis vitæ. (Cfr. Introitus Sabbati in Albis.)

Q. 137. *Quid loco Gradualis dicitur Tempore Paschali ?*

R. In Sabbato sancto, et toto Tempore Paschali stricte dicto ut supra indicatur, loco Gradualis dicitur **Magnum Alleluja**, quod constat : 1° duobus *Alleluja ;* 2° duobus Versibus, quibus singulis unum additur *Alleluja*.

Prolixe eo lætitiæ tempore Ecclesia omni cantui adjungit *Alleluja*, quæ vox vehementem sonat affectum acclamantis præ gaudio, et ex laude Dei exsultantis atque in jubilum vocemque lætitiæ erumpentis. Vox enim hebraica *Alleluja* significat : *Laudate Deum ;* præponitur plurimis Psalmis (inde a CIV°), et S. Joannes in Apocalypsi (Cap. XIX, ℣. 1) refert se audivisse in cœlo choros Angelorum concinentes *Alleluja*, ut adeo merito dicamus pulcherrimum hoc canticum e cœlis descendisse.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ : *Alleluja*. Specimen biblicum, historicum, liturgicum. Auctore Ignatio Salvatori. XIII, 1899, pag. 390 et seqq.; XIV, 1900, pag. 107 et seqq.)

Q. 138. *Quænam ordinarie dicuntur simul cum Graduali ?*

R. In multis Feriis Quadragesimæ, Feriis Adventus, aliisque quibusdam, Graduale duorum Versuum solum dicitur ; alias vero, ordinarie ei adjungitur Appendix, vel læta, vel tristis, juxta affectum in Missa celebrata expressum.

Appendix læta est **Versus Allelujaticus** (etiam vocatus **parvum Alleluja**, ut distinguatur a majori Temporis Paschalis), qui constat : 1° duobus *Alleluja ;* 2° Versu cui unum additur *Alleluja*. Dicitur generatim in Dominicis et Festis per annum, excepto tempore a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 4.)

Non sicut Graduale mœstitiam ac laborem, sed ple-

rumque hic Versus collaudationem eloquitur ac gratulationem, et magis concrete indicat objectum Festi aut Missæ ; unde, dum Gradualis Versus regulariter e Psalmis desumpti reperiuntur, majori cum libertate pro Versu Allelujatico Ecclesia desumit textus ex aliis Scripturæ locis ; sed et reperiuntur plures textus e Scriptura non desumpti, ex. gr., in Festis Assumptionis B. Mariæ V., S. Laurentii, S. Francisci Assisiatis ; non raro respondet etiam textui Evangelii, aut constat verbis ex Evangelio sequenti desumptis, ita ut revera hæc Missæ pars dicatur et sit transitus, et connexio Epistolam inter et Evangelium.

Appendix tristis est **Tractus**, qui constat quibusdam Psalmorum versibus, et aliquando integro Psalmo. Dicitur generatim tempore pœnitentiæ et luctus, a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum, in Dominicis, in Festis, et in quibusdam Feriis. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. X, n. 5.)

Character hujus Tractus diversus omnino est a Versu Allelujatico ; etenim loco jubili et lætantium carminis dicuntur aliquot Versus, quorum cantus sæpe pœnitudinem, fletum et tristitiam, in humilitate sonorum, et gravi ac modesto succentu denuntiat. Vox *Tractus*, a *trahendo*, spectat non tam textum Versuum, quam modum quo cantantur ; etenim omnes ejus Versus ab uno cantore, uno tractu, id est absque responso chori, et tractim, id est graviter et notarum prolixo decursu cantantur. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis anni 1887. De Liturgia, Q. III.)

Q. 139. *Quid est* **Sequentia** *? Quot dantur in Missali Romano Sequentiæ ?*

R. I. **Sequentia** est rhythmica quædam Oratio laudem continens, quæ canitur post Versum Allelujaticum, aut Tractum, aut *Magnum Alleluja*.

Vocatur, si principaliter textus spectatur, **Prosa**, quia in ea carminis lex aut mensura non stricte semper servatur, ut in Prosa *Victimæ Paschali*, cujus antiquioris denominatio remansit, etiamsi posteriores Prosæ magis carminum regulis subjectæ reperiantur. —

Nonnullis minus placet hæc explicatio hucusque tamen communiter accepta, et hodie auctores quidam originem denominationis quæsierunt in quadam abbreviatione, medio ævo usitata, quasi Prosa primitus scriptum *Pro sa*, esset legendum *pro sequentia*.

Si vero melodia seu cantus spectatur, præfertur denominatio **Sequentiæ**. Primitus Sequentiæ nomen fuit tributum notis musicis, quibus tamquam longo pneumate protrahebatur ultimus Versus, et quæ sunt quædam veluti modulationis prosecutio, quæ sine verbis post ipsum sequitur ; vocabatur talis cantus seu melodia **jubilus**, sonus quidam lætitiæ sine verbis ; vocabatur etiam **Sequentia**, seu successio ordine constituta diversorum tonorum. Quia vero rhythmica Oratio seu Prosa divinam laudem continens, præconiaque Dei aut Sanctorum expromens, loco Sequentiæ seu prædictarum notarum cani cepit, inde ipsa Sequentia vocata fuit ; nomen ipsius melodiæ subscripto postea textui datum fuit.

II. Multæ medio ævo reperiebantur in Missalibus Sequentiæ, et ante Pianam Romani Missalis reformationem nonnulla Missalia continebant ultra centum diversas Sequentias (cfr. dicta Q. 26) ; quamplurimas reperire est in Germania et in Gallia, perpaucas autem in Italia, et præsertim Romæ ; unde explicari potest, quare ex his omnibus quatuor tantum in Missali Romano retinuit S. Pius V, anni 1570, quibus postea quinta adjuncta fuit : *Stabat mater*, quando Festum Septem Dolorum B. Mariæ V., anno 1727, in Kalendario introductum fuit. Quinque Sequentiæ sunt sequentes :

I. Victimæ Paschali ; quæ est canticum dramaticum, id est, diversis inductis personis, in modum dialogi interlocutorium ; et dicitur in Festo, et in diebus infra Octavam Paschatis. — Est hæc antiquissima ex iis quæ in Missali remanserunt Sequentia, cujus mentio reperitur in documento medii sæculi undecimi, in quo tribuitur Sacerdoti Wipo, qui circa annum 1050 in aula Imperatorum Germaniæ Conradis II et Henrici III vivebat.

II. Veni sancte Spiritus ; dicitur in Festo, et in diebus infra Octavam Pentecostes. — Nonnulli Regem

Galliæ Robertum, filium Hugonis Capet († 1031) ; alii Innocentium III († 1216) auctorem ejus opinantur ; ex recentioribus investigationibus quidam eam adscribunt Archiepiscopo Cantuariensi, Cardinali Stephano Langthon († 1228).

Genus dicendi videtur esse sæculi in quo maxime floruit liturgica poësis, nempe decimi tertii. « Crediderim facile (ait Clichtoveus, in Elucidatorio ecclesiastico), auctorem ipsum, quisquis is fuerit, cum hanc contexuit orationem, cœlesti quadam dulcedine fuisse perfusum interius, qua Spiritu sancto auctore tantam eructavit verbis adeo succinctis suavitatem. »

III. Lauda Sion ; dicitur in Festo, et infra Octavam SS. Corporis Christi (numquam vero in Missis votivis, nequidem in Oratione XL Horarum). — S. Thomam Aquinatem auctorem habet.

IV. Stabat mater dolorosa ; dicitur in Missis Festivis (non vero in votivis) Septem Dolorum B. Mariæ V. — Tribuitur Jacopono (Jacobo de Benedictis), discipulo Ordinis S. Francisci Assisiatis († circa 1306).

V. Dies iræ ; dicitur in Missis de *Requiem*. — Communius adscribitur Thomæ de Celano, discipulo Ordinis S. Francisci Assisiatis († 1255). Alii tamen ex recentioribus eam tribuunt discipulo Ordinis S. Dominici, cui nomen Fra Latino, vel, qui forsan idem est, Cardinali Frangipani, ejusdem Ordinis S. Dominici († 1294).

Harum Sequentiarum explicationes plures ediderunt ; pulcherrimæ dantur in libris sequentibus :

J. Kayser. Beitrage zur Geschichte und Erklärung der alten Kirchenhymnen. Zweiter Band : die Sequenzen des Römischen Missale. Munster. 1886. 1 vol. 8°.

N. Ghir. Die Sequenzen des Römischen Messbuches dogmatisch und ascetisch erklärt. Freiburg. 1887. 1 vol. 8°.

Nota. Valde placuisse nostratibus videtur quædam Sequentia *Lauda Sion etc.*, pro Missa Festi SS. Nominis Jesu ; quæ hodiedum adhuc legitur ex peculiari concessione apud Franciscanos.

Supplicante Emo ac Rmo Dño Cardinali Thoma Philippo de Alsatia de Boussu, Archiepiscopo Mechliniensi : « An Sequentia in Missa de SS. Nomine Jesu dicenda vel omittenda sit in

ipsius Festo? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Sequentiam esse omittendam. » (Decret. 16 Februarii 1737, n. 2327, ad 2, antiq. 4056, ad 9.)

Ideo in Directoriis Mechliniensibus sæculi XVIII, imo usque ad annum 1838 inclusive, studiose adnotatum reperitur Missam in hoc Festo dicendam esse sine Sequentia. Ab hoc anno 1838 vero, quo a S. Rituum Congregatione concessa fuere Officia propria Archidiœcesis Mechliniensis, in quibus nihil habetur de Sequentia prædicta, inutile visum fuit apponere mentionem, per integrum sæculum jam notatam, de omittenda Sequentia.

Q. 140. *Quænam notanda sunt de ritu Evangelii?*

R. I. Altera ex Lectionibus Sacræ Scripturæ in Missa est Lectio Sancti Evangelii, quæ constituit partem præcipuam et solemniorem Missæ Catechumenorum.

Munus legendi Evangelium, etiamsi videatur primitus fuisse Lectorum, tamen mox, ut constat ex variis testimoniis, inter alia S. Hieronymi, ob ejus præstantiam, et ob reverentiam demandatum fuit Diaconis, utpote præcipuis in Sacrificio post Sacerdotes Ministris. Attamen, a sæculo circiter IX tantum, reperitur in Pontificalibus quibusdam traditio Libri Evangeliorum, cum formula potestatis traditæ, in Ordinatione Diaconorum.

II. Lectio Evangelii non solum inservit ad fidelium instructionem, sed est actus cultus, per quem debitus datur Verbo Dei honor; unde habemus plures cæremonias significationis plenas, quibuscum hæc Boni Nuntii Lectio peragitur.

Ante Lectionem, Liber Evangeliorum super Altare primum ponitur, et dein de Altari sumitur, ad significandum in Evangelio contineri verba, et narrari facta Christi, cujus figuram Altare gerit; — qui Evangelium lecturus est se præparat, suppliciter petens munditiem cordis, et oris seu labiorum, et specialem accipit benedictionem; — idem honor tribuitur Libro Evangeliorum, qui Cruci, imo SS. Corpori Christi, honoratur enim lumine et incenso; — Lectionem præcedit solemnis salutatio: *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo;* — indicata Lectione adstantes acclamant: *Gloria tibi, Domine;* — Cruce signatur textus, Cruce se signant omnes in fronte, ore et pectore; — stant omnes detecti; — Lectio peragitur proprio solemniori præ aliis

Lectionibus tono ; — perfecta Lectione gratiæ aguntur verbis : *Laus tibi, Christe ;* — Celebrans osculatur sacrum textum, dicens : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Hæc omnia signa sunt profundæ venerationis, gaudii et gratitudinis, quam provocat Lectio Boni Nuntii.

III. Quoad formulam notari possunt præter supra dicta :

1. In initio indicatur ex qua parte Sancti Evangelii sacra Lectio erit :

Si a principio unius e quatuor Evangeliis, dicitur : *Initium sancti Evangelii secundum N.*

Si e corpore Evangelii, dicitur : *Sequentia sancti etc. ;* hæc vox *Sequentia* non est hic singularis, sed pluralis numeri, significatque ea quæ sequuntur ex textu Evangelistæ.

2. Incipit Evangelium ab his verbis : *In illo tempore,* nimirum quo Christus Dominus vivebat in terra, aut prædicabat.

Si textus initium tempus exprimit quo narrata evenerunt, omittitur *In illo tempore* (ex. gr., in Evangelio Dominicæ IV Adventus, Festi Epiphaniæ).

Nota. In Missis de *Requiem*, quia minor solemnitas convenit, non deferuntur lumina, neque incensum, non petitur Benedictio, omittitur osculum textus post Lectionem, et non dicitur : *Per Evangelica dicta etc.*

Q. 141. *Quænam locum habebant post Lectiones in Missa?*

R. Post Sancti Evangelii Lectionem habebatur, non tamen regulariter, Sermo ad populum, seu Homilia, seu Tractatus, unde habemus plures quas in Matutino legimus Homilias Sanctorum Patrum, inter alias Sancti Leonis Magni, Sancti Gregorii Magni.

Sermoni adjungebantur in pluribus locis variæ commendationes, necnon diversæ preces, quarum omnium usus adhuc hodie viget in Missis parochialibus et aliis ; Gallice nomen datur *Prone*, quæ vox derivatur a græca πρόναος, qua significatur illa templi pars, quæ ab ejus limine ad chorum protenta laicos continebat.

II. Peracto autem Sermone, « fit missa (dimissio) catechumenis », ait S. Augustinus. Formulæ dimissionis

erant : *Catechumeni recedant ; Si quis Catechumenus est, recedat ; — Catechumeni exeant foras*, vel pro Pœnitentibus, aliisque : *Si quis non communicat, det locum.*

Jam a sæculo VIII, defectu Catechumenorum, et mutata disciplina Catechumenatus et Pœnitentium, dimissiones regulariter fuerunt omissæ.

CAPUT VI

DE SYMBOLO

Q. 142. *Quonam Symbolo utitur Ecclesia Romana in Missa ? A quo tempore dicitur Symbolum in Missa ? Quid notandum est pro cantu Symboli ?*

R. I. In Missa utitur Ecclesia Romana Symbolo Nicæno-Constantinopolitano (annorum 325 et 381), quod a Symbolo Apostolico non discrepat, nisi quatenus uberius explicat ea quæ in Symbolo Apostolico ab Arianis de Filio, et a Macedonianis de Spiritu sancto oppugnabantur. — In versu de Spiritu sancto : « qui ex Patre Filioque procedit », additio « Filioque » facta fuit sæculo V in Hispania, unde in reliquo Occidente assumpta fuit ; a Græcis vero hæc additio numquam fuit admissa.

II. Primum in Oriente, ab initio sæculi sexti, in Missis dictum fuit Symbolum, forte ob multas in his regionibus grassantes hæreses.

In Occidente primum in Hispania, exeunte sæculo sexto, deinde sæculo octavo in Gallia et Germania assumptum fuit Symbolum tamquam pars Missæ.

In Ecclesia Romana ante nonum sæculum recitatum fuisse Symbolum constat ex diversis Ordinibus Romanis ; non tamen communiter ; et speciatim non in Missa a Summo Pontifice celebrata, nisi sæculo undecimo id factum, constat ex testimonio Bernonis, Abbatis in Reichenau ; refert hic enim, Sanctum Henricum II, Imperatorem, cum 14 Februarii 1014, die Dominica, benedictionem et coronationem Romæ acciperet a Summo Pontifice Benedicto VIII in Basilica Vaticana, animadvertisse in Missa Pontificis non fuisse

cantatum Symbolum ; certioremque factum id ideo omitti, quia nempe Romana Ecclesia non fuit aliquando hæreseos labe infecta, persuasisse Summo Pontifici, ut ad ædificationem fidelium ex toto orbe Romam adventantium, etiam Romani in publicis seu solemnibus Missis Symbolum decantarent. Ex quo ritus recitandi Symbolum ubique inductus fuit, ea ratione tamen, ut non quotidie, sed certis tantum solemnioribus diebus ac Festis diceretur.

III. Pro cantu Symboli notanda veniunt sequentia :

1° Dum aliæ partes Missæ, ex. gr., *Kyrie, Gloria, Sanctus, etc.*, non debent per integrum cantari, sed possunt alternatim alii earum versus cantari, alii tantum clara voce legi sub organi modulatione, Symbolum semper per integrum, nullo illius versu seu articulo omisso, debet omnino cantari, et numquam potest sub organo alternatim modulari. Quod sæpius declaravit, et servari mandavit S. Rituum Congregatio ; sufficiat indicare Decretum generale 22 Maji 1894 (n. 3827, ad 2).

2° Pluries declaravit S. Rituum Congregatio, quod cantus Symboli non potest omitti, etiam infra hebdomadam, aut ob diuturnitatem Missæ ; et quod consuetudo illius cantum omittendi veluti abusus prorsus eliminanda est. (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, ad 11, antiq. 5929, ad 12.)

Q. 143. *Quænam rationes præ aliis recensentur, ob quas in Missa Symbolum certis diebus recitatur ?*

R. Generatim dici potest, Symbolum in Missa recitari ob tres rationes, nempe **Mysterii**, **Doctrinæ** aut **Solemnitatis**.

Q. 144. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione* **Mysterii** *?*

R. Ratione **Mysterii** dicitur Symbolum in Missis dierum aut Festorum, quorum mentio explicite vel implicite fit in Symbolo ; unde dicitur :

a) Omnibus diebus Dominicis per annum ; etiamsi in eis Missa dicatur non de Dominica, sed de Festo in quo alias Symbolum non diceretur (Rubricæ generales, Tit. XI) ; ob memoriam Creationis, Resurrectionis,

missionis Spiritus sancti, in honorem SS. Trinitatis, quæ omnia Dominica die coluntur.

b) In omnibus Festis Domini primariis, ex. gr., Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, etc.; et etiam in Festis Domini secundariis, ex. gr., SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, Inventionis et Exaltationis S. Crucis, SS. Vulnerum, etc.; — item in Festo SS. Trinitatis, in Festo Pentecostes; ob eorum Festorum Mysteria, quæ in Symbolo memorantur aut innuuntur.

c) In omnibus Festis B. Mariæ Virginis primariis, ex. gr., Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, etc.; et etiam in Festis ejusdem B. Mariæ V. secundariis, ex. gr., Septem Dolorum, Præsentationis, de Monte Carmelo, Desponsationis, etc.; ob partes quas ipsa in Mysteriis Christi Domini Filii sui habuit, et quia ipsa etiam cunctas hæreses interemit in universo mundo.

d) In omnibus Festis SS. Angelorum; vel quia Angeli implicite memorantur in verbis Symboli; *Creatorem* Cœli *et terræ, visibilium omnium et* invisibilium; vel quia in variis Mysteriis in Symbolo enuntiatis Angeli missione divina functi sunt.

e) In Festo Omnium Sanctorum; membra enim sunt Ecclesiæ quam in Symbolo *unam, sanctam, catholicam et apostolicam* proclamamus; insuper Festum hoc est Omnium Sanctorum, inter quos ii etiam celebrantur, qui et in propriis suis Festis privilegium Symboli habent.

f) In Dedicatione, et Anniversario Dedicationis Ecclesiarum; materialis enim ecclesia seu domus Dei symbolica figura est Ecclesiæ unius, sanctæ, catholicæ et apostolicæ, tum militantis in terris, tum triumphantis in cœlis.

Nota. Dicitur Symbolum in Festis supradictis, non tantum in ipsis Festis, sed etiam, quando cum Octava celebrantur, infra eorum Octavas; etiamsi per Octavas celebrarentur Festa Sanctorum, quæ per se Symbolum non admittunt.

Q. 145. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione* Doctrinæ *?*

R. Ratione Doctrinæ dicitur Symbolum in Missis,

tum in Festo, tum per Octavam, illorum Sanctorum, qui fidem catholicam verbo aut scripto præclare propugnaverunt et illustraverunt ; quales sunt Apostoli ac Evangelistæ, et Ecclesiæ Doctores. Dicitur etiam in Festis secundariis horum Sanctorum, si celebrantur ritu duplici, non autem si sunt ritus semiduplicis aut simplicis.

Reliqui autem Sancti, etiamsi eorum Festum esset per se duplex 1 aut 2 classis, non habent privilegium Symboli ; ex. gr., S. Joannes Baptista, S. Laurentius, Martyr, S. Anna, Mater B. Mariæ V.

Una excipitur S. Maria Magdalena, in cujus Festo, 22 Julii (et per Octavam ubi cum Octava celebratur), præscribitur dicendum Symbolum ; ratio hujus datur eminens S. Mariæ Magdalenæ fides, cum ipsa omnium prima (post B. Mariam V., ut pie creditur) Christum Dominum post Resurrectionem meruit videre, et statim credidit, ac « Apostolorum apostola » discipulis nuntiavit Christum viventem et resurgentis gloriam.

Unde memoriæ juvandæ gratia dicitur : DA credit, **MVC** (muc) per se non credit : per DA intelliguntur Doctores Ecclesiæ, et Apostoli cum Evangelistis ; in **MVC** autem, **M** designat Martyres, **V** Virgines et reliquas Sanctas, **C** Confessores, etiam Pontifices.

Q. 146. *In quibus Missis dicitur Symbolum ratione* **Solemnitatis** *seu celebritatis ?*

R. Ratione Solemnitatis Symbolum dicitur :

1° In Festo et per Octavam, tum principalis Patroni cujusque loci, intra limites sui Patronatus, tum Titularis cujusque Ecclesiæ, in ipsa Ecclesia ; etiamsi Patronus aut Titularis per se, id est, qualitate, ex. gr., Angeli, aut Apostoli, aut Doctoris non gaudentes, Symboli privilegium non habeant. — Per Patronum loci hic intelligitur Patronus, aut parochiæ, aut civitatis, aut diœcesis, aut provinciæ, aut regionis, etc. ; qua de causa dicitur, ex. gr., in Festo S. Joseph, universalis Ecclesiæ Patroni. — Dicitur etiam Symbolum in eorum Festis secundariis, modo celebrentur ritu duplici. Conferantur quæ ulterius de hac Symboli præscriptione dicuntur in Q. 148.

Nota. Non potest dici Symbolum in Festo Sancti Titularis alicujus Cappellæ, aut Altaris Ecclesiæ. (Rubricæ generales, Tit. XI.)

2° Dicitur Symbolum in Festo Sancti, cujus in illa Ecclesia in qua Missa celebratur, asservatur Reliquia insignis, modo ritu duplici Officium illius Sancti recitari permittatur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 14, antiq 2363, ad 16 ; et 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 5, antiq. 3301, ad 8.) — Quænam autem Reliquia sit insignis, indicatur in Tractatu de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus (Q. 363).

Nota. In nostra Diœcesi celebratur quotannis, Dominica ultima mensis Octobris, Festum Sacrarum Reliquiarum, sive Sanctorum, quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur. Aliquando hoc Festum transfertur, ex Indulto 22 Maji 1841, in diem hebdomadæ (uti factum fuit anno 1900). S. Rituum Congregatio rescripsit, quod in hoc Festo « Missa cum *Credo* celebranda est in solis Ecclesiis Diœceseos in quibus asservantur Reliquiæ insignes, in aliis vero sine *Credo*. » (Decret. 11 Martii 1871, n. 3238, antiq. 5473.)

3° Dicitur Symbolum in Missis votivis solemnibus pro re gravi (iis exceptis quæ cantantur in colore violaceo extra diem dominicam) ; et etiam in Missis votivis privilegiatis (excepta Missa pro Sponso et Sponsa), de quibus dicetur in Capite I Sectionis II.

Q. 147. *An Symbolum recitari debet in Missis quæ vocantur « Votivæ per annum » ?*

R. In Missis Votivis per annum, quæ correspondent Officiis Votivis, quæ recitari possunt diebus liberis assignatis per Indultum Apostolicum et Decretum S. Rituum Congregationis, diei 5 Julii 1883 (cfr. Q. 41), etiamsi secundum regulas in superioribus Quæstionibus traditas, in omnibus Missis Festivis de Mysteriis Christi Domini, de B. Maria Virgine, de SS. Angelis, de S. Joseph, de SS. Apostolis, dici debeat Symbolum, notat Rubrica specialis his Missis præposita, in omnibus eis omittendum esse Symbolum.

Q. 148. *Resolve diversos casus qui obviam haberi pos-*

sunt, pro recitatione Symboli, in Festo et per Octavam tum Patroni loci, tum Titularis Ecclesiæ ?

R. Prænotatur : 1° Claritatis gratia supponitur in solutione, quod Patronus loci, aut Titularis Ecclesiæ talis est, qui gaudet privilegio Symboli non per se, sed solummodo ob qualitatem particularem Patroni, aut Titularis ; tales sunt, ex. gr., S. Martinus, Episcopus et Confessor (11 Novembris), S. Catharina, Virgo et Martyr (25 Novembris).

2° Dicetur in solutione : 1° quid sit observandum, tum in loco intra cujus limites se extendit Patronatus Patroni, tum in Ecclesia cujus Titulare Festum celebratur ; — 2° ad quid teneantur Sacerdotes, tum extranei qui locum Patronatus non incolunt, sed ad celebrandum in Ecclesia loci accedunt ; tum qui Ecclesiæ cujus Titulus celebratur, adscripti non sunt, sed in ea Missam celebrant ; pro Sacerdotibus extraneis etenim hodiedum usuvenit regula præscripta a S. Rituum Congregatione per Decretum 9 Julii-9 Decembris 1895 (n. 3862), de conformitate Missæ cum Officio Ecclesiæ in qua celebratur (de qua conformitate dicetur in altera Sectione Tractatus, QQ. 383-389) ; — 3° quid sit observandum a Sacerdotibus, tum loci Patronatus incolis, tum Ecclesiæ Titularis adscriptis, quando in Festo et per Octavam Patroni, aut Titularis celebrant Missam tum extra locum Patronatus, tum extra Ecclesiam propriam.

3° Non inutile erit in memoriam revocare, quæ de celebratione Patroni loci, et Titularis Ecclesiæ exponuntur in Tractatu de Officio divino, QQ. 219-228.

Respondetur : I. Pro Patroni loci.

A) In Festo Patroni loci.

1° In qualicumque Ecclesia vel Oratorio totius loci, ab omnibus Sacerdotibus, tum Regularibus, tum sæcularibus, qui in loco habitant, ibique Missam celebrant, dicendum est Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, qui locum non incolunt, sed qui ad celebrandum in Ecclesia vel Oratorio loci accedunt, dicere debent Symbolum.

3° Sacerdotes loci Patronatus incolæ, qui dicunt Missam extra limites Patronatus, debent se conformare

Officio Ecclesiæ in qua celebrant ; et si quidem ipsis liceret dicere Missam de Patrono, non possunt tamen dicere Symbolum ratione Patroni loci sui ; unde Sacerdos incola loci cujus, ex. gr., S. Martinus est Patronus, celebrans Missam S. Martini in Ecclesia loci vicini, cujus S. Martinus non est Patronus, non potest dicere in Missa sui Patroni Symbolum. — Etenim S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Symbolum addere non licet in Missa quæ celebratur in aliena Ecclesia, eo quod Officium proprium Sacerdotis celebrantis id requirit. » (Cfr. Index generalis Decretorum, pag. 479, ad Articulum *Symbolum* ; ibi talis determinatur sensus Decreti 3 Julii 1896, n. 3924, ad 3.)

B) Infra Octavam Patroni loci.

1° Eadem observanda est regula sicut in Festo, pro Missis celebratis intra limites loci Patronatus. — Sed animadvertendum est, quod Regulares, qui proprium suum habent Kalendarium, etsi teneantur ad celebrationem Festi Patroni loci quem incolunt, non tamen tenentur ad celebrandum hoc Festum cum Octava (cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 228) ; Regularium Ecclesiæ in loco itaque sunt pro celebratione Octavæ quasi extra limites Patronatus, et cum in eis Octava non celebretur, in ipsis etiam non est dicendum Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, *a*) quando se conformare debent Officio Ecclesiæ loci Patronatus in qua celebrant, dicere debent Symbolum.

b) Quando se non conformare debent huic Officio, quando scilicet in loco celebratur Festum semiduplex, aut dies infra Octavam Patroni : — si tunc in Ecclesia loci Patronatus dicunt Missam conformem Officio Ecclesiæ, dicere debent Symbolum ; — si dicunt aliam Missam in qua Symbolum per se non requiritur, non dicunt Symbolum.

3° Sacerdotes loci Patronatus incolæ, qui dicunt Missam extra limites Patronatus, non dicent Symbolum, nequidem cum celebrarent Missam Officio suo conformem.

II. Pro Titulari Ecclesiæ.

A) In Festo Titularis Ecclesiæ.

1° Ab omnibus Sacerdotibus, sintne stricte adscripti vel non, qui in Ecclesia Missam celebrant, dici debet Symbolum.

2° Sacerdotes extranei, ad Ecclesiam accedentes pro Missa celebranda, dicere debent Symbolum.

3° Sacerdotes huic Ecclesiæ adscripti, ut parochus, vicarius, si dicunt Missam extra Ecclesiam, non possunt dicere Symbolum, nequidem cum dicerent Missam de Titulari in aliquo Oratorio in ipsa parochia sito.

B) Infra Octavam Titularis Ecclesiæ.

1° Ab omnibus Sacerdotibus Ecclesiæ adscriptis et in Ecclesia celebrantibus, certo dici debet Symbolum.

Sed quid observandum est a Sacerdotibus, qui Ecclesiæ stricte non adscripti, tamen regulariter in hac Ecclesia Missam celebrant, quales sunt, ex. gr., Professores, Sacerdotes emeriti, etc. ? Hucusque aliqui auctores docuerunt tales posse, sed non debere recitare Symbolum ; sed post Decretum in Prænotato 2° citatum, 9 Julii-9 Decembris 1895, idem ab ipsis observandum est quod a Sacerdotibus extraneis.

2° Sacerdotes extranei, et etiam, juxta ea quæ modo dicta fuerunt, Sacerdotes Ecclesiæ non stricte adscripti, *a*) quando se conformare debent Officio Ecclesiæ, uti in Festo duplici, dicere debent Symbolum.

b) Quando se non conformare debent, uti in Festo semiduplici, aut in die infra Octavam Titularis : — si tunc dicunt Missam conformem Officio Ecclesiæ, dicere debent Symbolum ; — si dicunt aliam Missam in qua Symbolum per se non requiritur, non debent dicere Symbolum.

3° Sacerdotes Ecclesiæ adscripti, dicentes Missam extra Ecclesiam, non possunt dicere Symbolum, sicuti supra dictum fuit pro die Festo Titularis.

Nota. Suppositum fuit, sicut dicitur in Prænotato 1°, quod Patronus loci, aut Titularis Ecclesiæ talis sit, qui per se non habet jus ad Symbolum ; si autem Patronus aut Titularis esset B. Maria Virgo, Angelus, Apostolus, Doctor, S. Maria Magdalena, qui per se requirunt Symbolum, in tali casu Sacerdotes incolæ loci cujus Patronus colitur, aut adscripti Ecclesiæ cujus

Titulus celebratur, quando in Festo, vel per Octavam ipsis licet extra locum, vel in alia Ecclesia, de Patrono, aut Titulari Missam dicere, addere debent in Missa Patroni, aut Titularis, Symbolum.

Exemplum : Sacerdos, incola loci cujus S. Maria Magdalena est Patrona, aut adscriptus Ecclesiæ cujus eadem Sancta est Titularis, si die 29 Julii, in Festo semiduplici S. Marthæ Virginis, accedit ad Ecclesiam alienam, ubi de hoc Festo semiduplici fit, poterit dicere ibi Missam, Officio suo conformem, de die Octava S. Mariæ Magdalenæ, et profecto in ea recitare debet Symbolum, ad quod hæc Sancta, non solum ut Patrona, aut Titularis, sed per se jus habet.

CAPUT VII

DE OFFERTORIO, ET QUÆ SEQUUNTUR, USQUE AD SECRETAS INCLUSIVE

Q. 149. *Quæ notari possunt de Offertorio, quod dicitur ante oblationem panis et vini ?*

R. I. « Post Symbolum, vel, si non sit dicendum, post Evangelium, dicitur : *Dominus vobiscum. Oremus ;* deinde Offertorium. » (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 1.)

Singularis est hæc populi salutatio et ad orandum invitatio, quas sequitur, non Oratio, sed recitatio seu cantus alicujus sententiæ plerumque ex Psalmis desumptæ.

Autumant quidam auctores hic haberi hiatum, et a primis sæculis dictas fuisse ad initium Missæ Fidelium preces, seu Orationes pro necessitatibus Ecclesiæ ejusque membrorum, ad instar earum quæ adhuc hodiedum habentur in Officio Feriæ VI in Parasceve : etenim, in plerisque antiquis Liturgiis hic loci hujusmodi preces reperiuntur ; in Romana Liturgia vero, jam ante sæculum octavum, omissæ fuerunt Orationes, ast remansit salutatio et ad orandum invitatio.

Alii explicant hanc invitationem ad orandum, quasi spectaret non solum ad Offertorium quod recitatur, sed ad omnia quæ cum oblatione sequente conjunguntur usque ad Orationes Secretas inclusive.

II. Antiquitus in principio Missæ Fidelium, seu Sacrificii, clerus et populus oblationes suas panis et vini deferebant ad Altare, unde tantum ad consecrandum assumebatur, quantum ad Communionem satis erat ; interea autem canebatur aliquis Psalmus, cum repetitione versuum, instar Psalmi Responsorii, qui cantus nomen accepit *Offertorium*. Postquam autem, a sæculo circiter decimo, oblationes populi in Missa desierunt, Offertorium ad unum vel alterum Psalmi versum, vel ad brevem aliquam sententiam, Festo vel Missæ congruentem, redactum fuit.

Toto tempore Paschali ad versum Offertorii unum additur, nisi jam habeatur, *Alleluja*, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*.

Nota. I. Oblationis panis et vini locum hodie tenet oblatio pecuniaria, quæ Missæ stipendium, seu eleemosyna vocatur. Antiquæ consuetudinis offerendi panem et vinum, necnon alias aliquando res, ex. gr., candelas, vestigia hodie remanent in Consecratione Episcopi, et in Benedictione Abbatis, qui offerunt ad Offertorium duo intorticia accensa, duos panes, duo barilia vini ; necnon in Ordinationibus, in Benedictione et Consecratione Virginum, in quibus offeruntur candelæ ; ad eam refertur quoque usus, in quibusdam regionibus vigens, offerendi in quibusdam Missis, ex. gr., in Missis exsequialibus de *Requiem*, candelas. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 306, 5.)

Nota. II. Antiquam Responsorii formam hodiedum retinet Offertorium quod dicitur in Missis de *Requiem*, ad cujus intelligentiam sequentia juvat notare.

In eo oratur ut animæ fidelium defunctorum liberentur « *de pœnis inferni, et de profundo lacu,... de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* » ; per quas voces intelligitur, juxta quosdam, non infernus, in quo nulla est redemptio, sed Purgatorium, quod ratione pœnarum infernus et profundus lacus dici potest; sed violentia videtur in hac explicatione inferri verbis.

Quare juxta alios, Ecclesia in illa Oratione non considerat statum animarum, in quo de præsenti sunt, sed repræsentat momentum exitus animæ e corpore, mo-

mentum agoniæ ultimæ, et quasi tunc sisteretur ante tribunal Dei, precatur ut anima liberetur a pœnis inferni, ne damnetur, sed perducatur in Paradisum ; et cum pro animabus in Purgatorio detentis liberatio ab inferno jam nunc sit facta, ordinatur hæc Oratio ad obtinendum alterum petitum, ut liberatæ a Purgatorii pœnis, repræsententur in lucem sanctam, et transire possint ad vitam Paradisi.

Q. 150. *Quæ notanda sunt de Orationibus, quæ dicuntur ad oblationem panis et vini ?*

R. Mirum nobis satis videbitur, quod generatim ante sæculum XII, oblationes panis et vini, et reliqua quæ fiunt usque ad Orationem quæ Secreta nuncupatur, sub silentio peragebantur, id est, nulla addita speciali Oratione ad singulas quæ fiebant actiones ; vidimus ad Quæstionem præcedentem, interea dum cantabatur Offertorium afferri ad Altare oblationes a populo, et a Ministris disponi ; immediate post, Celebrans lavabat manus, et ad Altare accedens, dicebat Orationes super oblata, seu Secretas.

Sensim tamen quædam Orationes ad diversas actiones hujus Missæ partis dici cœperunt : sæculo XI jam reperitur hic dicta Oratio *Veni sanctificator, etc.*, in quibusdam Ecclesiis ; et auctor ejusdem sæculi, cui nomen datur Micrologus, testatur Orationem *Suscipe sancta Trinitas, etc.*, suo tempore jam dictam fuisse, non ex aliquo ordine, sed ex ecclesiastica consuetudine.

Romæ, tempore Innocentii III († 1216), sub silentio adhuc omnia fiebant, ut ipse dicit in Libro II Tractatus *de Sacro Altaris Mysterio*. Porro, ut oblatio panis et vini separatim fieret, ac rationes, quibus ejusmodi oblatio perficitur, Sacerdotibus expressim innotescerent, variæ Orationes Ordini Missæ insertæ fuerunt, et quas hodie habemus, Romæ tempore Clementis VI († 1352) jam in usu erant ; omnesque varietates diversarum Ecclesiarum abstulit S. Pius V, in reformatione Missalis Romani.

De singulis pauca dicenda sunt.

I. Ad oblationem panis, seu Hostiæ, Sacerdos dicit Orationem : *Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne*

Deus, etc. ; eamque offert pro peccatis propriis, et pro omnibus circumstantibus et universis fidelibus christianis; debet enim Sacerdos, juxta præceptum S. Pauli in Epistola ad Hebræos (Cap. VII, ℣. 27), « prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi » ; petitque ut omnibus proficiat ad salutem in vitam æternam.

II. Mixtio aquæ cum vino fit ex perpetua Ecclesiæ traditione, vel quia ita peregit Dominus secundum morem Orientalem in ultima Cœna ; vel ex ratione mystica, quia de latere ejus in Cruce pendentis sanguis exivit et aqua ; vel quia per vinum Christus, et per aquam populus adumbratur, repræsentando ita unionem Verbi divini cum humanitate per Incarnationem, atque unionem cum fidelibus per gratiam. Et ideo aqua fidelem populum repræsentans benedicitur ; hæc autem aquæ benedictio non fit in Missis de *Requiem*, in quarum fine etiam populus non benedicitur ; eo modo Ecclesia in his Missis magis intenta videtur saluti defunctorum.

Ad hanc aquæ mixtionem Sacerdos dicit Orationem : *Deus, qui humanæ substantiæ etc. ;* hæc antiquissima est, et reperitur, intersertis tantummodo verbis : « *per hujus aquæ et vini mysterium* », in Libro Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui vocatur Sacramentarium Gelasianum (cfr. Q. 23, II, 1°), inter Orationes de Natali Domini.

III. Ad oblationem vini, seu Calicis, Sacerdos dicit Orationem : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, etc. ;* notandum est quod ibi numerus pluralis, *Offerimus*, adhibetur, quia in Missa solemni eam Diaconus etiam recitat, qui vinum in Calicem infudit, et divinum Sanguinem olim populo administrabat ; formulæ autem pro Missa solemni institutæ, in privata Missa nequaquam mutantur.

IV. Oratio : *In spiritu humilitatis, etc.*, desumpta ex Libro Danielis Prophetæ (Cap. III, ℣℣. 39, 40), ea est quam Azarias dixit stans cum duobus sociis in medio flammæ camini ignis, et exprimit spiritus humilitatem ac cordis contritionem, quibuscum Sacerdos et populus seipsos quoque offerre debent, ut Sacrificium etiam ex parte nostri Deo possit placere.

V. Sequitur invocatio Spiritus sancti, per Orationem : *Veni sanctificator omnipotens etc.* Unica hæc est in Missæ Sacrificio Oratio quæ ad Spiritum sanctum dirigitur. (Cfr. quæ de ea jam dicta fuerunt Q. 70.)

De incensatione dicetur speciatim in sequenti Quæstione.

VI. Manuum lotio ab antiquissimis temporibus in usu fuit : postquam, sub cantu Offertorii, clerus et populus detulerant suas oblationes, et ad Altare omnia jam erant disposita, Pontifex, ante accessum ad Altare pro Sacrificio, — hucusque enim omnia peracta fuerant ab ipso ad cathedram (cfr. Q. 50), — lavabat manus ; quod et hodiedum observatur in Missa Pontificali, lecto ab Episcopo Offertorio.

A Celebrante fit nunc manuum lotio post oblationes panis et vini, dicta Oratione *Veni sanctificator etc.*, et facta incensatione ; non omittitur tamen ab Episcopis in Missa Pontificali lotio ante accessum ad Altare, ut supra dicitur.

Causa lotionis duplex datur : — naturalis, scilicet perfecta mundities manuum quæ mox Christi Corpus immaculatum contrecturæ sunt ; — mystica vero, ut ita denotetur animam Celebrantis ab levissimis peccatis et maculis debere esse emundatam, et ideo quidem præscribitur ut lavet « extremitates digitorum pollicis et indicis » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 6). In Missa solemni tamen, ratione incensationis factæ, ob causam naturalem lavat manus integras, ut omnino mundentur a pulvere et fumo in incensatione contractis.

Recitat Celebrans interea partem Psalmi XXV, a sexto versu initium ducens : *Lavabo inter innocentes etc.* ; qui Psalmus huic actioni aptissime convenit. In fine Psalmi dicitur ℣. *Gloria Patri, etc.* ; qui tamen « prætermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore, a Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusive. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 6.)

VII. Oratio *Suscipe sancta Trinitas, etc.*, quam supra vidimus alicubi jam sæculo XI dictam, quasi complementum est oblationis, qua panis et vinum, in præcedentibus separatim Deo Patri oblata, nunc conjunctim offeruntur toti Sanctæ Trinitati, et commendantur,

expresso simul fine ob quem offeruntur, et expressa relatione quæ existit Sacrificium Eucharisticum inter et Mysteria Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Christi Domini, necnon Sanctos qui in cœlo sunt.

Fratres Prædicatores, qui suum antiquum Missale retinere potuerunt (cfr. Q. 28), præparant oblata in initio Missæ, et post dictum Offertorium, panem et vinum conjunctim offerunt, sub unica Oratione : *Suscipe sancta Trinitas, etc.*

Q. 151. *Pauca refer de usu incensi in solemni Sacrificio Missæ.*

R. I. De materia incensi, quod etiam vocatur thus, thymiama, dictum fuit in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii (Q. 92).

II. Quo tempore diversæ incensationes quæ fiunt in Missæ Sacrificio fuerint introductæ certum non est.

Concilium Tridentinum refert thymiamata inter ea quæ a pia matre Ecclesia ex Apostolica disciplina et traditione fuerunt adhibita, ad majestatem Sacrificii commendandam.

Sæculo IV jam incensabatur Altare in Oriente ; S. Ambrosius († 397) testatur etiam suo tempore id fieri, dicens : « Utinam nobis adolentibus Altaria, Sacrificium deferentibus assistat Angelus » (in Caput I S. Lucæ). Romæ vero, usque ad sæculum IX, portatum fuisse in thuribulis incensum videtur, non in ipso Sacrificio, sed tantum in processione, cum clerus ad Altare accedebat pro Sacrificio.

A sæculo XII factam fuisse Altaris incensationem in principio Sacrificii, certis testimoniis constat ; ritus hodiernus vero diversarum incensationum tempore Sacrificii medio ævo stabilitus fuit.

III. In Missa solemni quater fit incensatio :

1° In initio Missæ Catechumenorum, antequam dicatur Introitus, incensatur Altare ; ob reverentiam debitam loco Sacrificii, et præparationem proximam ipsius ad solemne Sacrificium : sicut enim Altare in sua consecratione pluries circumquaque incensatum fuit, ita denuo quasi, pro Sacrificio mox super illud immolando, præparatur.

2° Ad præcipuam partem Missæ Catechumenorum, nempe ad cantum solemnem Evangelii; ob reverentiam Evangelio, in quo referuntur dicta et facta Christi Domini, debitam, incensatur sacer Codex Evangelii.

Ad utramque hanc incensationem, incensatur etiam Celebrans, quia in Sacrificio vices gerit Christi Sacerdotis, qui per Altare repræsentatur, et cujus verba et facta narrantur in Evangelio.

Utraque hæc incensatio omittitur in Missis de *Requiem*, in quibus minor solemnitas convenit.

3° Solemnior incensatio fit in initio Missæ Fidelium, facta nempe Oblatione ; in ea incensantur oblata, Altare, denique Celebrans, et clerus ac populus.

a) Offertur Deo incensum a Deo benedictum, et ad Deum ascendens, tamquam symbolum sacrificii interioris animæ, et nostræ orationis, ut hæc, Deo placens, ascendat et dirigatur sicut incensum in conspectu ejus, in odorem suavitatis.

b) Simul ita benedicuntur panis et vinum quæ sunt materia Sacrificii, et denuo præparatur ad Sacrificium Altare in quo offertur.

c) Petitur, nam hæc incensatio fit cum adjunctis precibus, ut, quemadmodum diffunditur et spargitur bonus et suavis odor cremati incensi, ita descendat super nos Dei misericordia et bonus odor gratiæ, quibus accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam æternæ charitatis ; et ideo, occasione hujus incensationis, incensantur Celebrans, et totus clerus, et populus, ad quos ita significatur derivari bonum effectum gratiæ Christi, et misericordiæ Dei.

In Missis de *Requiem*, incensantur quidem oblata, Altare, et Celebrans ; non autem incensantur clerus et populus, quia in his Missis Ecclesia magis intenta videtur saluti defunctorum.

4° Ad præcipuam partem Missæ Fidelium, nempe ad utramque Elevationem, seu adorationem Corporis et Sanguinis Domini, fit incensatio ; quæ hic symbolum est adorationis Dei, ad exemplum Magorum, qui thure Christum ut Deum professi et venerati sunt.

Qui dignior est inter Altaris ministros, et iber ab omni in hoc momento functione, thurificat Sacramen-

tum ; ideo hoc præscribitur Subdiacono, in iis Missis in quibus non tenet patenam, ex. gr., in Missis de *Requiem ;* alias id præstat minister thuriferarius.

Q. 152. *Quæ est ratio invitationis ad orandum, quæ fit verbis :* **Orate fratres** *?*

R. I. Sacerdos, omnibus super Altare pro Sacrificio jam dispositis, antequam dicat Orationes super oblata, invitat populum ad orandum ; de singulari hac invitatione, quæ a consueta ante Orationes (cfr. QQ. 65 et 67) differt, sunt notanda :

a) Sacerdos hic se convertit ad populum, quasi valedicens adstantibus, ingressurus mox ad intimum Sanctuarium : nam olim ante Præfationem, Sacerdos, velo obducto,in Sanctuario ab oculis fidelium abscondebatur.

b) Dicit : *Orate fratres,* non autem : *Oremus,* quia ipse solus voce submissa dicturus est Orationes quas populus non audiet ; vel, quia memor suæ insufficientiæ ad tantum Mysterium sine piis aliorum pro se precibus digne perficiendum, orationum suffragia ab iisdem postulat.

Alii dicunt his verbis renovari invitationem ad Orationes super oblata, jam factam ante Offertorium (cfr. Q. 149, I).

II. Olim Sacerdos dicebat solum : *Orate fratres ;* verba quæ sequuntur : *ut meum ac vestrum... omnipotentem,* sæculo IX addita fuerunt ; sunt hæc mera explicatio, seu indicatio finis orationis petitæ ; et ideo submissa voce tantum dicuntur.

III. Responsum ad hanc invitationem cœpit dari a sæculo tantum X ; non ubique idem responsum dabatur ; quod hodie dicitur : *Suscipiat Dominus etc.,* a sæculo XIII tantum stabilitum fuit. Celebrans, dicto a Ministro hoc responso, submissa voce dicit : *Amen.*

Q. 153. *Quæ præscribuntur a Rubricis de modo dicendi* **Secretas** *?*

R. Postquam Sacerdos ad verba Ministri : *Suscipiat.... suæ sanctæ,* submissa voce respondit : *Amen,* dicit submissa voce Orationes dictas Secretas, secundum numerum et ordinem Orationum quæ clara voce dictæ fuerunt ante Epistolam ; sed ante primam non dicit

Dominus vobiscum, nec *Oremus ;* et post primam Secretam dicit consueto modo conclusionem ; hæc conclusio, si plures Secretæ sunt dicendæ, tota dicitur submissa voce, et Sacerdos ipse in fine submissa voce dicit : *Amen ;* et ante secundam Secretam non dicit *Oremus*, sed absolute eam incipit sicut primam.

In fine conclusionis Secretæ, si unica dicenda est, aut alias in fine conclusionis ultimæ Secretæ, clara voce proferuntur, vel in Missa cantata et solemni cantantur ultima verba conclusionis : *Per omnia sæcula sæculorum ;* quibus respondetur a Ministro, vel a choro : *Amen.*

(Cf. Rubricæ generales, Tit. XII, n. 1 ; Ritus celebrandi Missam, Tit. VII, n. 7 ; et Ordo Missæ.)

Itaque quæcumque dicta fuerunt de Orationibus ante Epistolam in præcedenti Capite IV, scilicet, de earum structura, numero, ordine, conclusione et mutatione, hic applicanda sunt Orationibus Secretis ; exceptis quæ supra notantur, de voce qua dicendæ sunt, et de omissione salutationis, necnon invitationis ; excepto etiam quod, si plures Secretæ sunt dicendæ, ipse Sacerdos post primam Secretam dicit : *Amen.*

Q. 154. *Indica rationes nominis et ritus Secretarum.*

R. I. Secretæ, ut jam dictum fuit (cfr. Q. 150), illæ sunt Orationes, quæ usque ad sæculum XII solæ dicebantur pro oblatione panis et vini, et ideo vocantur in Sacramentario Gregoriano Orationes *super oblata :* in eis enim gratiarum actio et postulatio (cfr. Q. 69) versantur præcipue circa materiam Sacrificii et ipsum Sacrificium, quæ diversis nominibus et modis in Secretis appellantur et designantur.

II. Dicuntur Secretæ submissa voce, seu secreto, unde nomen habent, quia jam aliqualiter referuntur ad preces consecratorias mox secuturas ; pro quibus Ecclesia omni tempore præscripsit submissam vocem, ut discant fideles in sacro silentio suam augere admirationem et venerationem erga sanctissima Mysteria.

III. Terminatur ultima Secreta ekphonia, seu finali quæ alta voce, vel in cantu quidem profertur : *Per omnia sæcula sæculorum ;* hæc itaque pertinet ad Secretam recitatam, et non est initium Præfationis quæ subse-

quitur ; dicitur alta voce, vel in cantu, ut Minister nomine populi, vel Chorus, respondendo : *Amen*, confirmet se assentire in omnibus quæ Sacerdos a Deo in Secretis petiit.

CAPUT VIII

DE PRÆFATIONE

Q. 155. *Quid est Præfatio, et quibus constat partibus ?*

R. I. Præfatio est solemnissima Oratio eucharistica, seu gratiarum actionis, quæ proloquium constituit ad sanctissima Mysteria in Canone contenta, et qua Sacerdos et fideles laudes tribuunt Deo et gratias agunt. Ideo ad eam Sacerdos vocem elevat, quia, etiamsi segregatus omnino jam a populo sit, et velis circa Altare hoc momento appensis populo invisibilis, Oratio est Sacerdotis simul et fidelium.

II. Initium Præfationis est dialogus Sacerdotem inter et populum, cujus tenor antiquissimus est.

Primo dicitur salutatio per verba : *Dominus vobiscum*, pro qua, cum populus ipsum non videt, Sacerdos manet ad Altare conversus. — Etenim antiquitus ante Præfationem, vel janua Sanctuarii claudi, vel velum circa Altare appendi solebat, ad tegenda sub Canone sacrosancta Mysteria.

Admonet mox Sacerdos fideles, verbis : *Sursum corda*, ut deponentes jam plene terrenos affectus, totis suis desideriis in superna ferantur, et quæ sursum sunt quærant et sapiant. Respondetque populus : *Habemus ad Dominum*, scilicet, corda nostra elevata.

Sequitur invitatio ad gratiarum actionem, cui ex pleno affectu populus respondet : *Dignum et justum est.*

Incipit tunc gratiarum actio, cujus prima verba : *Vere dignum et justum est, etc.*, omni tempore, et in omnibus Liturgiis, tam Orientis quam Occidentis, in usu fuerunt ; additis mox, in diversis Præfationibus, diversis gratiarum actionis motivis, quæ ob varia mysteria per annum celebrata, diversi tenoris reperiuntur.

Tandem, ut dignior et efficacior proferatur gratiarum

actio, cum Angelis, totaque cœlesti curia, supplici confessione Dei majestatem celebrant omnes, clamantes Hymnum gloriæ, qui e cœlis originem habet, Seraphicum, Angelicum, triumphalem, in quo 1° *Sanctus* ter repetitur, tum ex majori affectu, tum etiam ad Trinitatis personarum in unitate essentiæ professionem ; in quo 2° laus specialis tribuitur Filio David benedicto, qui venit in nomine Domini, quæ pars Hymni ideo in Missis cantatis remittitur usque post Elevationem cantanda. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, nn. 70 et 71.) Utraque pars Hymni terminatur formula lætantium et bene precantium : *Hosanna in excelsis*.

Nulla pars Missæ est, in qua per pauca momenta tot succedunt cæremoniæ verbis jungendæ, ut explicatur in Tractatu de Celebratione Missæ ; nempe capitis et corporis inclinationes, oculorum elevatio, manuum elevatio, junctio, extensio, denique ipsum Crucis signum ; ut ita indicetur sanctitas et profunda verborum significatio, et ritus verbis congruat.

Q. 156. *Quænam notari possunt de antiquitate usus Præfationis in Missa ?*

R. Usus Præfationis in Missa ad ipsa quasi Ecclesiæ primordia referri potest : Dialogus Sacerdotem inter et populum, ante Præfationem, jam citatur et explicatur a S. Cypriano Carthaginensi († 258), a S. Cyrillo Hierosolymitano († 386), a S. Augustino († 430).

In Liturgiis Orientalibus unica tantum Missæ propria reperitur Præfatio ; e contra in Occidente plures diversæ mox in usu erant, propriæ singulis festivitatibus Domini, diversis anni temporibus, Sanctisque non paucis ; earumque numerus adeo excrevit, ut in Sacramentario Leoniano (cfr. Q. 23) numerare est circa 260 Præfationes.

Plures suppressæ fuerunt post tempora S. Gregorii Magni ; et in Missalibus post sæculum XII scriptis, describuntur tantum novem Præfationes, quas et hodie adhuc dicimus ; quibus postea duæ additæ fuerunt, nempe Præfatio quæ vocatur communis, quæ tamen antiquissima est ; et Præfatio de B. Maria Virgine, quæ ante instituta fuerat a B. Urbano II († 1099), tempore

Synodi Placentinæ anni 1095, ad obtinendum protectionem B. Mariæ V., pro primo bello sub Crucis vexillo contra Turcas gerendo.

Q. 157. *Quot et quæ habentur in Missali Præfationes, et in quibus Missis dicuntur?*

R. Habentur undecim Præfationes, scilicet :

1. **De Nativitate Domini** ; dicitur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam (præterquam in die Octava S. Joannis Apostoli) ; in Purificatione B. Mariæ V. ; in Festo SS. Corporis Christi, et per Octavam, nisi in ea occurrat Festum quod propriam Præfationem habeat. Item in Transfiguratione Domini, et in Festo SS. Nominis Jesu ; necnon in Missis votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu.

2. **De Epiphania** ; dicitur in Festo et per Octavam Epiphaniæ.

3. **De Quadragesima** ; dicitur a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, nisi in Festis propria assignetur.

4. **De Passione et de S. Cruce** ; dicitur a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive, nisi in Festis tunc occurrentibus propria assignetur ; necnon in Missis de SS. Corde Jesu, de Pretiosissimo Sanguine, de Cruce, de Passione.

5. **De Paschate** ; dicitur a Sabbato sancto usque ad Ascensionem, et in Festis eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur.

In Missa Sabbati sancti dicitur : *in hac potissimum nocte ;* in die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive : *in hac potissimum die ;* et deinceps : *in hoc potissimum gloriosius prædicare.*

6. **De Ascensione** ; dicitur a die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, et in Festis tunc occurrentibus, nisi propriam habuerint.

7. **De Pentecoste** ; dicitur a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive ; et in Missis votivis de Spiritu sancto, sed in his omittuntur Præfationis verba *hodierna die.*

8. **De SS. Trinitate** ; dicitur in Festo, et in Missis votivis SS. Trinitatis ; et in omnibus Dominicis per annum, quando non habetur propria de Festo aut de Tempore, juxta Decretum Clementis XIII, diei 3 Januarii 1759 (n. 2449, antiq. 4275).

9. **De B. Maria V.** ; dicitur in Festis B. Mariæ (excepto Festo Purificationis), et per eorum Octavas, etiam in Festis infra eas occurrentibus, si propriam non habuerint ; et in Missis votivis de B. Maria.

Dicitur autem vel *Et te in Annuntiatione,* vel *Visitatione,* vel *Assumptione,* vel *Nativitate,* vel *Præsentatione,* vel *Conceptione immaculata,* secundum denominationem Festi. In Festo Septem Dolorum dicitur *in Transfixione.* In aliis Festis dicitur *in Festi-*

vitate, vel *Commemoratione*, vel *Solemnitate*, etc., secundum quod notatur in Missali et in Directorio.

In Missis votivis dicitur *Et te in Veneratione ;* tamen in votivis Septem Dolorum dicetur *in Transfixione*, et in votivis de Immaculata Conceptione dicetur *in Conceptione immaculata*.

10. **De Apostolis** ; dicitur in Festis Apostolorum et Evangelistarum (præterquam in ipso Festo S. Joannis Apostoli), et per Octavas eorum, etiam in Festis infra eas occurrentibus, nisi in his propria assignetur ; item in Missis votivis de Apostolis.

11. **Communis** ; dicitur in omnibus Festis in hebdomada, et in Feriis per annum, quæ propriam non habent ; et in Missis Defunctorum.

Q. 158. *Quæ Præfationes vocantur « propriæ de Tempore » ?*

R. Sunt illæ Præfationes, quæ in omnibus Missis, exceptis Missis de *Requiem*, per aliquod tempus anni ecclesiastici dicuntur, nisi infra illud tempus celebrentur aliquod Festum, aut Octava, vel dicatur aliqua Missa, ex. gr., votiva, quæ propriam suam Præfationem habent.

Sunt sequentes : 1. Præfatio de Nativitate Domini (Q. 157, n. 1), quæ dicitur a Festo Nativitatis Domini usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive, præterquam in die Octava S. Joannis Apostoli.

2. Præfatio de Quadragesima (n. 3), quæ dicitur a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive.

3. Præfatio de Passione (n. 4), quæ dicitur a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive.

4. Præfatio de Paschate (n. 5), quæ dicitur a Sabbato sancto usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive.

5. Præfatio de Ascensione (n. 6), quæ dicitur a Festo Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive. Tempus quo dicitur hæc Præfatio brevissimum est, quia ultra Octavam ipsius Festi una tantum est dies, in qua dicitur, scilicet Feria VI post Octavam Ascensionis.

Stricte loquendo, inter Præfationes de Tempore etiam recenseri possent : Præfatio de SS. Trinitate (n. 8), quæ dicitur omnibus diebus Dominicis, extra tempora supra indicata, et Præfatio communis (n. 11), quæ dicitur toto anno per hebdomadam, extra tempora supra indicata ; tamen, ut ex responso ad sequentem Quæ-

stionem patebit, communiter tamquam Præfationes propriæ non reputantur.

Q. 159. *Quæ dantur in Rubricis regulæ pro usu Præfationum ?*

R. Regulæ dantur sequentes :

1ª Si Missa Festi quod celebratur habet Præfationem propriam, hæc semper dici debet.

Fieri potest, quod Festum hujusmodi celebretur infra Octavam quæ propriam habet Præfationem, aut infra tempus anni ecclesiastici pro quo propria datur Præfatio : istæ negliguntur, et dicitur Præfatio propria Missæ Festi quod celebratur.

Exempla : Quoties celebratur Missa de SS. Sacramento, aut de B. Maria V., aut de S. Apostolo, dicitur Præfatio respective de Nativitate Domini, aut de B. Maria V., aut de Apostolis.

Die 14 Septembris celebratur Festum Exaltationis S. Crucis, infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., per quam Octavam præscribitur Præfatio de B. Maria V. (Q. 157, n. 9) : dicetur tamen in Missa Festi Præfatio de Cruce (ibid. n. 4).

Feria VI post Dominicam de Passione celebratur Festum Septem Dolorum B. Mariæ V. ; etiamsi pro tempore Passionis præscribatur Præfatio de Cruce (ibid. n. 4), dicetur tamen in Missa Festi Præfatio B. Mariæ V. (ibid. n. 9).

Unicum excipitur Festum S. Joannis Apostoli, 27 Decembris, in cujus Missa secundum regulam positam deberet dici Præfatio de Apostolis ; præscribitur tamen pro Missa Festi (non autem pro Missa in die Octava S. Joannis) Præfatio de Nativitate Domini, fortasse ob intimam relationem dilecti discipuli cum Verbo quod homo factum est.

2ª Si Missa Festi quod celebratur non habet Præfationem propriam, sed si currit Octava alicujus Festi infra quam præscribitur Præfatio propria Festi (etenim Festum cujus Missa habet suam propriam Præfationem, hanc retinet per totam suam Octavam), dicitur Præfatio Festi cujus Octava celebratur, etiamsi Missa non dicatur de Octava, sed de alio Festo, modo hujus Missa tamen propriam Præfationem non habeat.

Exempla : Die 1 Julii celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum duplex 1 classis S. Rumoldi, Patroni Archidiœcesis ; celebratur autem Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, Apostolorum, quorum Missa habet suam propriam Præfationem dicendam per totam Octavam ; etiamsi in Missa S. Rumoldi de

Octava nequidem Commemoratio fiat, tamen in hac Missa dicenda est Præfatio de Apostolis, ratione Octavæ SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Item in Festo S. Joachim, Patris B. Mariæ V., quod celebratur Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V., ritu duplici 2 classis, Octavæ Assumptionis Commemoratio quidem non fit, Præfatio tamen de B. Maria V. dicitur ratione Octavæ. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Novembris 1755, n. 2439, antiq. 4259, ad 2.)

Casu quo duæ simul currant seu celebrentur Octavæ Festorum, quæ ambo habent suam propriam Præfationem, dicitur, iis diebus quibus simul currunt, Præfatio Festi dignioris seu Octavæ dignioris.

Quod si Octava quæ prævalet propriam non habet Præfationem, tunc dicitur Præfatio Octavæ minus dignæ, etiamsi pro reliquis veniat post Octavam prævalentem.

Casus hujusmodi raro occurrunt.

3ª Si Missa quæ dicitur non habet Præfationem propriam, et si nulla currit Octava Festi cujus Missa Præfationem propriam habet, tunc in Missa, de quocumque objecto dicatur, sive de Festo aut Officio votivo, sive de Dominica, sive de Feria, de Vigilia, dicitur Præfatio propria de Tempore anni ecclesiastici infra quod Missa dicitur. (Cfr. Q. 158.)

Exemplum : Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., celebratur 19 Martii ; non habet ejus Missa Præfationem propriam ; circa 19 Martii nullum Festum cum Octava regulariter celebrari potest ; sed Festum S. Joseph occurrere potest Tempore Quadragesimæ, ut fuit anno 1898 : dicitur tunc in ejus Missa Præfatio de Quadragesima (Q. 158, 2) ; occurrere potest etiam Tempore Passionis, ut anno 1899 : dicitur tunc in ejus Missa Præfatio de Passione (ibid. 3) ; potest etiam fieri quod transfertur Festum usque post Dominicam in Albis, ad Tempus Paschale, uti factum fuit anno 1894 : tunc dicenda fuit Præfatio de Paschate (ibid. 4).

4ª Si Missa quæ dicitur non habet Præfationem propriam, et si non dicitur infra aliquam Octavam quæ propriam Præfationem habet, neque infra aliquod Tempus anni ecclesiastici pro quo specialis præscribitur Præfatio, tunc in Missa quæ celebratur diebus Dominicis, sive sit de Dominica, sive sit de Festo, dicitur Præfatio de SS. Trinitate (Q. 157, 8) ; et in Missa quæ

celebratur extra diem Dominicam, in die quacumque hebdomadæ, sive sit de Festo, sive de Feria, sive de Vigilia, dicitur Præfatio communis (Q. 157, 11).

Exemplum : Festum S. Dominici, Confessoris, celebratur 4 Augusti ; non habet Præfationem propriam ; in Kalendario Ecclesiæ universæ, et in Kalendario Diœcesano nulla præscribitur tunc celebranda Octava; hoc anni tempore nulla præscribitur Præfatio Tempori anni propria : si dies 4 Augusti est dies Dominica, uti fuit anno 1895, in Missa S. Dominici dicenda est Præfatio SS. Trinitatis ; si dies 4 Augusti occurrit infra hebdomadam, in Missa S. Dominici dicitur Præfatio communis.

5ª In Missis de *Requiem*, semper dicitur Præfatio communis. (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 4.) — In quibusdam Missalibus pro Defunctis reperitur quidem aliqua Præfatio propria pro Missis de *Requiem*, concessa quibusdam Diœcesibus aut Religiosis Familiis ; sed hæc Præfatio, absque speciali Indulto, a nemine dici potest.

Nota. Quæ Præfatio sit dicenda in Missis votivis, explicabitur in Sectione altera Tractatus, ubi agitur de hujusmodi Missis.

Q. 160. *Quid notandum venit de cantu qui pro Præfationibus describitur in Missali ?*

R. Præfationes undecim omnes describuntur in Ordine Missæ cum cantu dicto *solemni*. Hoc solemni tono debent Præfationes cantari in omnibus Missis Officiorum, quæ ritu saltem semiduplici celebrantur : ergo in omnibus Missis Festorum duplicium et semiduplicium, et per Octavas eorum, necnon in omnibus Dominicis.

Remanent Missæ Officiorum quæ ritus simplicis tantum sunt, nempe Missæ Festorum simplicium, Feriarum, et Vigiliarum ; pro his describuntur quædam Præfationes de Tempore cum cantu dicto *feriali*, cantandæ in Missis hujusmodi Officiorum, secundum tempus anni quo occurrunt ; hoc tono feriali describuntur Præfationes tres sequentes : de Quadragesima ; de Passione et de Cruce ; de Paschate ; hoc eodem tono feriali describitur Præfatio communis, pro Missis Officiorum simplicium, quæ per annum extra Tempora prædicta cantantur, et pro Missis de *Requiem*.

Sed insuper ritus simplicis sunt, ut in altera Tractatus Sectione exponetur, Missæ votivæ privatæ; quæ privatæ vocantur ratione ritus, sed etiamsi ita privatæ dicantur, possunt tamen in cantu celebrari; in iis autem omnia, ergo etiam Præfationes, debent tono feriali cantari.

Ob hoc motivum, describuntur etiam in Ordine Missæ cum suo cantu feriali, Præfationes sequentes quatuor, ultra quatuor supra dictas: de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de B. Maria Virgine, de Apostolis; tono feriali cantandæ in Missis votivis respective de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de B. Maria V., de SS. Apostolis. — Notatur in Missali, quod Præfatio de Passione et de Cruce, supra jam relata, cum suo cantu feriali etiam usuvenit in Missis votivis tum de Cruce, tum de Passione Domini; insuper hæc Præfatio dicitur in Missis votivis de SS. Corde Jesu.

Tres ergo supersunt ex undecim Præfationes, quæ in Ordine Missæ non describuntur cum cantu feriali, scilicet Præfationes de Nativitate Domini, de Epiphania, et de Ascensione.

Præfatio de Epiphania certo numquam esse potest cantanda in tono feriali, cum non dicatur nisi in Festo et per Octavam privilegiatam Festi Epiphaniæ, quando ritus est duplex vel semiduplex.

Sed idem non est dicendum de Præfationibus tum de Nativitate Domini, tum de Ascensione; pro quibus ponitur Quæstio sèquens.

Nota. In Præfationis cantu in Missis cantatis Organa pulsari nequeunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Januarii 1899, n. 4009. Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 276, Nota I.)

Q. 161. *Quid observandum est pro cantu Præfationis de Nativitate Domini, in Missis votivis privatis quæ cantantur de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu? Quid pro cantu Præfationis de Ascensione, in Missa votiva privata quæ propriam Præfationem non habet, et quæ in cantu celebratur vel infra Octavam Ascensionis, vel Feria VI post hanc Octavam?*

R. I. Notatum fuit jam (Q. 157, 1) Præfationem de Nativitate esse propriam Missarum de SS. Sacramento,

et de SS. Nomine Jesu ; ergo in Missis votivis horum Mysteriorum hæc earum propria Præfatio canenda est in tono feriali ; sed in hoc tono non describitur in Ordine Missæ hæc Præfatio.

Casus propositus fuit S. Rituum Congregationi, et petitum, « utrum in ejusmodi Missis votivis Præfatio in tono solemni cantanda sit ; an in feriali ? » Petitum fuit simul, ut liceat in Ordine Missæ, suo apto loco, apponere cantum ferialem ejusdem Præfationis ? S. Congregatio, per Decretum 29 Februarii 1868 (n. 3168, antiq. 5393, ad 3), respondit, Præfationem de Nativitate in casu esse canendam « tono feriali ». Non permisit apponere hunc cantum ferialem in Ordine Missæ, fortasse ut hic a S. Pio V stabilitus immutatus omnino remaneat ; sed indulsit ut, ad commoditatem Sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis, et ultimo prorsus loco, apponi possit Præfatio de Nativitate in tono feriali, cum hac rubrica : « Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu. » In ultimis editionibus Missalis reperitur hæc Præfatio post Appendices Missarum. (Cfr. Q. 43.)

Quod si haud reperiatur in Missali hujusmodi cantus ferialis, quid in praxi ? Quod fieri potest, fiat. Si peritia sua fretus, feriali ratione valeat Celebrans Præfationem canere, optime se geret ; secus stet Missali ; non enim obligari Celebrans potest ad diversam ab ea quam præ oculis habeat notationem exsequendam. (Ephemerides liturgicæ, III, 1889, p. 332.)

II. Si aliqua Missa votiva privata, quæ Præfationem propriam non habet, ex. gr., de S. Joseph, cantatur in die aliqua qua fieri potest, a Festo Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, eadem difficultas habetur, quia hujus Præfationis cantandæ de Ascensione nullibi tonus ferialis describitur ; nisi diceres primam partem : *Vere dignum... nostrum*, esse Præfationis communis, ultimam : *Et ideo... dicentes*, esse Præfationis Paschatis, et proinde remanere solam phrasim mediam : *Qui post... particeps*, non notatam. Sed laboriosa et operosa jam dicenda foret talis praxis ; itaque, ut supra conclusum fuit, in casu, quod fieri potest, fiat.

CAPUT IX

DE CANONE MISSÆ

Q. 162. *Quid intelligitur per Canonem Missæ ? Quæ est ejus antiquitas ?*

R. I. Pars sanctissima Missæ, in qua sanctissimæ Actionis Mysterium perficitur vocatur *Canon ;* quæ græca vox latine *Regula* nuncupatur. Est itaque Canon fixa stabilisque regula, juxta quam incruentum Novi Fœderis Sacrificium celebrandum est.

Vocatur *Canon,* id est Regula fixa, norma stabilis, quia semper in omni Sacrificio, per totum annum, iisdem ritibus hæc Missæ pars perficitur, iisdemque constat Orationibus ; exceptis solummodo quibusdam verbis, quæ aliquando adduntur occasione quorumdam Festorum, vel ad commemorandum certas personas, ut infra notabitur.

Vocatur etiam *Actio,* κατ'ἐξοχήν, legitima et regularis Sacramentorum confectio.

Stricte loquendo, Canon, qui totus refertur ad Consecrationem, additis ante et post ritum Consecrationis determinatis precibus, incipit post Præfationem et Hymnum *Sanctus,* et desinit verbis : *Per omnia sæcula sæculorum. Amen,* quæ dicuntur ante Orationem Dominicam *Pater noster.*

In silentio totus dicitur, paucissimis verbis exceptis, ex mandato Ecclesiæ, omniumque sæculorum usu ; ut sacris Mysteriis hac silentii gravitate major reverentia concilietur, et augeatur Fidelium veneratio erga ipsa, quorum ita discant inaccessam altitudinem et profunditatem in sacro silentio admirari.

De Canone Missæ effatur Concilium Tridentinum (Sessione 22, Capite IV) : « Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium ; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offeren-

tium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. »

II. Summam Canonis antiquitatem testantur ultima citata Concilii Tridentini verba. Formula qua hodie Canonem recitamus jam fixa et stabilis erat tempore S. Gregorii Magni († 604) ; hic addidit, ut legimus in Lectione VI ejus Festi, 12 Martii, in Oratione Canonis : *Hanc igitur etc.*, verba : *diesque nostros in tua pace disponas ;* et post ipsum nullus ex Romanis Pontificibus quidquam Canoni addidit, aut in Canone verbum mutavit.

Sed et auctor operis : *Liber Pontificalis*, ineuntis sæculi VI, loquitur de Canone Romano tamquam de formula jam tunc diu stabilita ; notatu dignum ipsi visum fuit, quod S. Leo Magnus († 461) in Oratione : *Supra quæ propitio, etc.*, addiderit verba : *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, ut etiam legimus in Lectione VI Festi hujus Sancti, 11 Aprilis.

Imo ex antiquis documentis constat dictam Orationem jam tempore S. Damasi Papæ († 384) recitari. (Cfr. Duchesne. *Origines du culte chrétien*. Paris. 1889. Chapitre VI, 70.)

Q. 163. *Quomodo dividitur Canon Missæ ?*

R. Tres sunt Canonis partes : in prima parte dicuntur tres Orationes, quæ incipiunt : *Te igitur, Hanc igitur*, et *Quam oblationem ;* primæ Orationis tria sunt membra, nempe : *Te igitur, Memento*, et *Communicantes*, quæ dicuntur sub unica conclusione.

Secunda pars Canonis est ipsa Consecratio.

Tertia pars complectitur tres Orationes, quæ incipiunt : *Unde et memores, Memento etiam, Nobis quoque ;* primæ Orationis tria sunt membra : *Unde et memores, Supra quæ*, et *Supplices*, quæ sub unica conclusione dicuntur. Terminatur tum Canon specialis Benedictionis verbis : *Per quem, etc.*, et Doxologia : *Per ipsum, etc.*, cujus conclusio : *Per omnia, etc.*, dicitur alta voce.

Nota. In antiquissimis Libris Missalibus jam littera T, qua incipit Canon : *Te igitur, etc.*, semper composite ornata reperitur ; et quia ipsa Crucis commissæ, seu patibulatæ figuram refert, imagini Christi Crucifixi

apponendæ occasionem dedit, quæ imago mox majori forma inter Præfationes et Canonem depicta fuit, relicto litteræ T proprio ornatu ; opportune quidem, quia in Canone præsertim recolitur memoria Passionis Domini. Belle dicit Innocentius III († 1216) in suo Tractatu *De sacro Altaris Mysterio* (Liber III, Caput II), id propterea fieri, « ut non solum intellectus litteræ, verum etiam aspectus picturæ memoriam Dominicæ Passionis inspiret. Et forte divina factum est providentia, licet humana non sit industria procuratum, ut ab ea littera T Canon inciperet, quæ sui forma signum Crucis ostendit et exprimit in figura. T namque mysterium Crucis insinuat, dicente Domino per Prophetam : Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium. » (Ezechiel, Cap. IX, ℣. 4.)

Q. 164. *Pro quibus orat Sacerdos in prima Canonis Oratione ?*

R. In prima Canonis Oratione Sacerdos supplicat, ut Pater per Filium oblata sacranda accipiat pro totius Ecclesiæ militantis salute et utilitate ; et memorat primo in genere Ecclesiam sanctam Catholicam ; dein in specie Summum Pontificem ; Episcopum proprium ; omnes orthodoxos, qui nempe in fidei puritate persistunt ; fidei cultores, qui nimirum in veræ fidei conservatione et propagatione laborant ; illos deinde pro quibus specialiter orare vult ; tandem omnes fideles circumstantes.

Q. 165. *Quid notandum est pro commemoratione Papæ, et Antistitis ?*

R. I. Pro commemoratione Papæ exprimitur ad litteram N. nomen Papæ regnantis, sed sine nominis numero. — Apostolica sede vacante, omittuntur verba : *famulo tuo Papa nostro N., et,* ac dicitur : *una cum Antistite nostro N.*

II. Pro commemoratione Antistitis exprimitur ad litteram N. nomen Episcopi Ordinarii illius Diœcesis in qua celebratur Missa. — Ut nomen Episcopi possit exprimi, requiritur quod sedis suæ possessionem ceperit, per se vel per procuratorem ; non sufficit quod habeatur electionis Episcopi notitia aliqualis, nequidem notitia officialiter habita ejusdem electionis in Consis-

torio ; sed tantum exprimendum est nomen a die captæ possessionis, vel per Episcopum ipsum, vel per suum procuratorem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Julii 1879, n. 3500, antiq. 5789, ad 2.) Non requiritur ut Episcopus sit consecratus. — Nomen Administratoris Diœcesis, etsi dignitate Episcopali foret insignitus, in Canone non debet exprimi. (Decret. 22 Augusti 1722, n. 2274, antiq. 3952, ad 5 ; et 9 Maji 1857, n. 3047, antiq. 5239, ad 4.)

Si Episcopus Diœcesis vita sit functus, omittuntur verba : *et Antistite nostro N.* — Hæc verba etiam omittuntur ab eis qui Romæ celebrant, quia Sedem Romanam tamquam Episcopus proprius occupat Summus Pontifex, qui jam nominatus fuit. — Si Celebrans ipse est Episcopus, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit : *et me indigno servo tuo.*

Sacerdos alienæ Diœcesis debet, relicto nomine sui Episcopi, exprimere nomen Episcopi Diœcesis in qua celebrat. Si nomen hoc ignoret, dicet : *et Antistite nostro*, mente intelligendo Episcopum illius loci. Ut debitum nomen exprimi ab omnibus Sacerdotibus valeat, congrue in omnibus sacristiis loco patenti appenditur tabella, in qua nomen Episcopi loci describitur.

(Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 228.)

Nota. I. In quibusdam regionibus, ex Privilegio Apostolico, post nomen Antistitis etiam exprimitur nomen Principis sæcularis regnantis ; ita Summus Pontifex Pius IX, 10 Februarii 1860, confirmavit usum immemorabilem, et mandavit denuo, ut in omnibus Ecclesiis Latini Ritus intra fines Imperii Austriaci, post mentionem Papæ et Episcopi Diœcesani, addatur nomen Imperatoris et Regis Apostolici.

Nota. II. Regularibus vetitum est, ne pro Episcopo suum Superiorem generalem, aut Prælatum sibi præpositum nominent : tenentur exprimere nomen Episcopi Ordinarii Diœcesis in qua degunt vel celebrant.

Q. 166. *Quomodo olim instituebatur Commemoratio pro vivis ? Quomodo nunc hæc facienda est ?*

R. I. In Orationis primæ membro secundo, quod in Missali superscriptionem habet : *Commemoratio pro vivis*, et quod incipit : *Memento, Domine, etc.*, locus datur interruptioni, ubi plura possunt nomina famulorum

famularumque exprimi. Olim appellabatur hæc Commemoratio : *Oratio super Diptycha ;* Diptycha (δίς, bis, πτύσσειν, plicare) erant binæ tabulæ sibi junctæ quæ instar libri poterant claudi ; in earum una inscribebantur nomina vivorum, qui dignitate erant illustres, vel de Ecclesia optime meriti, vel eximii ex iis qui suas ad Sacrificium detulerant oblationes ; in altera notabantur nomina defunctorum. Ad hunc Missæ locum legebantur alta voce ab uno ex Ministris, sæpius a Diacono, alias ab ipso Sacerdote, nomina præcipua vivorum.

Consuetudo nomina hæc e Diptychis legendi viguit usque ad sæculum XI, a quo tempore secreto hæc memoria facta fuit, fortasse quia nonnulli fideles vanitatis animo, ut eorum nomina jam publice annuntiarentur, dona offerebant. Jam suo tempore carpebat S. Hieronymus († 420) hanc quorumdam ambitionem.

II. Commemoratio pro vivis, ad litteras *N. et N.*, fit, in quantum privata Sacerdotis est oratio, ad suam voluntatem. Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriam faciat : 1° sui ; 2° eorum qui stipendium dederunt, seu erga quos ratione stipendii, aut applicationis Missæ fructus obligatur (ita faciendo simul opportune renovat intentionem applicationis Sacrificii) ; 3° suorum parentum, consanguineorum, amicorum, et aliorum ad suam voluntatem.

Commemoratio hæc fieri potest vel voce secreta, vel mente tantum. Litteræ *N. et N.* appositæ Sacerdotem admonere videntur, ut eorum exprimat nomina, pro quibus peculiariter intendit orare, sed hoc non requiritur.

Quod si Sacerdos pro pluribus orare intendit, potest ante Missam, ne circumstantibus sit morosus, in animo sibi proponere omnes pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa. (Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 3.)

Breviter fiat hæc Commemoratio, non tamen momentaneo tantum temporis spatio : Memento, ne *Memento* fiat in momento, ait Gavantus (*Thesaurus sacrorum rituum*, Pars 2, Tit. VIII, n. 3). Spatium sub quo recitari potest Oratio Dominica, videtur congrua mensura.

Exemplum commemorationis ante Missam instituendæ traditur in variis precum libris. (Cfr. *Manuale Clericorum*, ad usum alumnorum Seminarii Mechliniensis. Editio secunda, anni 1898, pag. 148.)

Q. 167. *Quid significatur per Orationem « Communicantes » ?*

R. Per Orationem *Communicantes*, quæ tertium est membrum primæ Orationis in Canone, significatur 1° quod hoc Sacrificium Deo offerimus in corpore Ecclesiæ communicantes, id est, in Ecclesiæ communione per fidem manentes ; significatur 2° unio Sanctorum, qui in cœlis sunt, cum fidelibus hic in terra, pro quibus preces fundit Ecclesia ; et ut Deum sibi propitium faciat, commemorat Ecclesiæ Sanctorum merita et virtutem.

Sancti quorum specialis mentio fit sunt : gloriosa semper Virgo Maria, duodecim Apostoli, et duodecim SS. Martyres. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 231, III.)

Nota. Nominantur hic illi SS. Apostoli qui ab ipso Christo Domino electi fuerunt. S. Paulus vero nominatur, quia ipsum a S. Petro numquam sejungit Ecclesia Romana. S. Mathias, qui post Christi mortem electus fuit, memoratur in Oratione post Consecrationem.

SS. Martyres qui nominantur ex iis sunt qui Romæ celeberrimi erant, vel quia Romani erant aut Romæ passi erant, vel quia eorum Reliquiæ Romam translatæ ibi peculiari modo honorabantur, vel quia in eorum honorem Romæ tituli seu ecclesiæ erectæ fuerunt.

SS. Romani Pontifices nominantur tres primi, S. Petro synchroni ejusque immediati successores, nempe SS. Linus, Cletus, et Clemens. Primis sæculis tota series SS. Romanorum Pontificum enumerabatur, sed mox retenti fuerunt in Canone, præter tres dictos, tantum duo, scilicet S. Xystus, probabiliter hujus nominis secundus, qui passus est 6 Augusti, anno 258, et S. Cornelius, qui martyrium passus est 14 Septembris, anno 252.

Cum S. Papa Cornelio simul nominatur S. Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, qui eadem die, 14 Septembris, sed non eodem anno († 258), martyrium passus est ; semper istorum SS. Martyrum cultus conjunctus fuit in Ecclesia Romana ; in antiquissimis enim Sacramentariis habent Missam communem, et eadem die celebranda præscribitur eorum natalis dies ; hodie eorum Festum colitur 16 Septembris.

Eodem anno 258, quo SS. Xystus, et Cyprianus, die 10 Au-

gusti, martyrium complevit S. Laurentius, S. Xysti Diaconus, qui post S. Cyprianum nominatur.

Sequuntur tunc nomina Sanctorum Martyrum quinque laicorum : Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani ; recentiores ex eis sunt SS. Joannes et Paulus, fratres, qui anno 362, sub Juliano Apostata, martyrii palmam gladio perceperunt.

In Romano Canone numquam nominati fuerunt Sancti Confessores ; primus Sanctus Confessor cultu liturgico honoratus videtur esse S. Martinus, Episcopus Turonensis († 400), cujus natalis paulo post ejus mortem cœpit celebrari in Gallia ; sed dum Romæ ordo Sanctorum qui in Canone recensentur servabatur immutatus, factum est quod Ecclesiæ diversarum regionum, quæ Liturgiam Romanam adoptaverant, mox in Canone adjungere ceperint nomina quorumdam Sanctorum Confessorum, qui in regione aut Ecclesia celebres erant ; in antiquioribus Missalibus reperire est, ex. gr., in Galliis SS. Hilarium, et Martinum ; in Anglia SS. Gregorium, et Augustinum ; alibi S. Benedictum ; sed a sæculis XI vel XII jam fuerunt eorum nomina expuncta, et remansit solus ordo Sanctorum antiquus Romanus.

Q. 168. *Quæ est ratio inscriptionis « infra Actionem », quæ ponitur ante « Communicantes » ?*

R. Hæc inscriptio est signum pro memoria ; in quibusdam Missis, post verbum *Communicantes*, debent adjungi quædam verba, ratione Festi quod celebratur ; quæ verba referebantur in antiquis Sacramentariis in ipso Proprio Missæ Festi ; postea descripta fuere, quemadmodum et hodie describuntur, post propriam Festi Præfationem (excepta Feria V, in Cœna Domini, in cújus Proprio Missæ retentæ fuerunt), cum inscriptione : *infra Actionem*, id est, infra Canonem (Q. 162) ; quæ significant : Post verbum *Communicantes* in Canone sequentia addi debent verba.

Occasione reformationis Missalis sub S. Pio V, signum pro memoria inscriptum fuit non solum post propriam Præfationem, sed etiam, quod ante non erat, saltem generaliter, in ipso Canone.

Q. 169. *In quibusnam Missis infra Actionem proprium « Communicantes » dicendum est ? Quid de eo notandum est ?*

R. I. Proprium *Communicantes* dici debet :

1° Feria V in Cœna Domini ;

2° Sabbato sancto, in Festo Paschatis, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ;

3° In Vigilia Pentecostes, in Festo Pentecostes, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ;

4° In Festo et per Octavam Nativitatis Domini ;

5° In Festo et per Octavam Epiphaniæ ;

6° In Festo et per Octavam Ascensionis Domini.

In sex diversis his casibus, diversa verba sunt addenda, quæ correspondent diversis Mysteriis quæ in hisce casibus celebrantur.

II. 1° Fieri potest infra Octavam Ascensionis Domini, quod Missa dicatur de aliquo Festo, aut Votiva, quæ propriam Præfationem habet ; dicitur tunc, juxta regulas de Præfatione datas (Q. 155), Præfatio propria Missæ, et non Præfatio de Ascensione ; attamen in casu dicitur proprium *Communicantes* per Octavam Ascensionis præscriptum, quia est proprium de illo tempore infra Octavam ; idque fieri deberet, etiamsi de Octava Ascensionis non fieret Commemoratio, ex. gr., in Festo duplici 1 classis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 3 ; et 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 8, antiq. 2363, ad 10.)

Exemplum : Anno 1898, 24 Maji, celebratum fuit in Archidiœcesi Mechliniensi Festum B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum, in cujus Missa præscribitur Præfatio de B. Maria V. ; eo anno, 24 Maji erat Feria III infra Octavam Ascensionis ; omitti debuit in Missis Festi B. Mariæ V. Præfatio de Ascensione, et dici Præfatio propria Missæ, de B. Maria V. ; tamen præscriptum fuit in Directorio, quod nihilominus dici debebat *Communicantes* proprium de Ascensione.

2° Ex eo quod proprium *Communicantes* describitur post aliquam Præfationem, non sequitur quod quoties ista Præfatio est dicenda, toties etiam proprium *Communicantes* debeat dici ; et ita, etiamsi in Missis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu præscribatur Præfatio de Nativitate Domini, non in eis potest dici proprium *Communicantes*, præscriptum pro Festo et per Octavam Nativitatis Domini ; nulla habetur stricte loquendo relatio inter Præfationem et *Communicantes*, quod post Præfationes descriptum fuit ideo tantum quod aptior ibi visus fuit locus. Præscriptio dicendi proprium *Communicantes* limitatur omnino ad Festa et Octavas quæ in priori parte responsi describuntur.

3° In Missis de *Requiem* numquam proprium *Communicantes* dicitur.

Q. 170. *Quid notandum est de secunda Oratione Canonis ?*

R. I. In secunda Canonis Oratione : *Hanc igitur oblationem etc.*, petimus ut Deus accipiat præsentem oblationem totius Christianæ familiæ, quæ in prima Oratione memorata fuit ; et det nobis pacem in præsenti, et vitam cum electis in futuro.

II. Ante S. Gregorii Magni tempora petebatur hac Oratione quasi fructus specialis, pro determinatis personis, in diversis circumstantiis, vel pro variis adjunctis ; in Sacramentario Gelasiano legere est non paucas diversi tenoris hujus Orationis formulas, ex. gr., infra Quadragesimam in variis diebus Scrutinii, pro electis baptizandis ; — Sabbato sancto, et in Festo et per Octavam Paschatis, item in Vigilia et Festo Pentecostes, pro neo-baptizatis ; — diebus Ordinationum, pro Diaconis, pro Presbyteris, pro Episcopis ordinatis ; — in Consecratione Virginum, pro consecratis ; — in actione nuptiali, pro conjunctis ; — in Consecratione ecclesiæ, pro fundatore ; — in Missa pro iter suscipientibus ; — in Missis pro variis defunctis ; etc. — S. Gregorius statuit ex his diversis formulis quatuor tantum esse retinendas, quod et hodie observatur.

Itaque Oratio *Hanc igitur etc.*, propria dicitur :

1° In Feria V in Cœna Domini ; qua die in ea memoratur institutio Mysteriorum celebrationis (cfr. Missa illius diei) ;

2° Sabbato sancto, in Festo Paschatis, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ; pro neo-baptizatis, occasione solemnis Benedictionis Fontis (cfr. Missa Sabbati sancti, vel Præfatio de Paschate) ;

3° In Vigilia Pentecostes, in Festo Pentecostes, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ; item pro neo-baptizatis, occasione solemnis Benedictionis Fontis (cfr. Missa Vigiliæ Pentecostes, vel Præfatio in Pentecoste) ;

4° In Consecratione Episcopi ; Consecrator pro Consecrato, Consecratus vero pro seipso petit speciales gratias (cfr. Pontificale Romanum, Titulo de Conse-

cratione Electi in Episcopum, et Missale Romanum, in fine, ut notatum fuit Q. 40).

Notari potest quod in Missa de *Requiem*, si cantari debet in exsequiis infra Octavas Paschatis aut Pentecostes, numquam hæc Oratio propria dicitur.

Q. 171. *Expone breviter sensum tertiæ Orationis Canonis.*

R. Hæc tertia Oratio : *Quam oblationem etc.*, continet conclusionem et recapitulationem quamdam præcedentium oblationum, et jam maxime occupatur circa Sacrificium : in ea enim petimus, ut ex pane Corpus, et ex vino fiat Sanguis Christi, et ut hoc modo, et per talem transmutationem oblatio ipsa panis et vini fiat *benedicta :* illa enim est summa benedictio et sanctificatio quæ in illam materiam supervenire potest, unde ipsamet Consecratio solet a Patribus Benedictio appellari ; erit ita omni culpæ macula carens ac omni gratia adornata ; — *adscripta*, id est, legitima, correspondens institutioni et ordini ab ipso Christo definitis et præscriptis ; — *rata*, id est, vere facta, valida et efficax ; — *rationabilis*, id est, spiritualis, rationalis, qua non jam simplex panis et vinum, nec sanguis hircorum aut vitulorum, sed Christus ipse, qui æterna sapientia et ratio est, offertur ; — et his qualitatibus munita, fiat *acceptabilis*, id est, oblatio Deo gratissima et infinite placens.

---

172. Sequitur ipsa Consecratio, et Elevatio. Quæ de hac parte Missæ sanctissima dicenda sunt, fuse explicantur passim in Theologiæ Tractatu de Venerabili Sacramento Eucharistiæ, et Tractatu de Sacrificio Missæ ; Cæremoniæ observandæ exponuntur in Sacræ Liturgiæ Tractatu de celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii (QQ. 234-236).

Liceat hic verbum addere de dispositione eximiæ pietatis, quacum Sacerdos in hac sanctissima Actionis parte omnia dicat et peragat oportet.

Quæ ad Consecrationem pertinent verba cum summa attentione, reverentia et veneratione integre distincteque sunt proferenda, quoniam illa Sacerdos quasi

ore Christi, ut ita dixerim, eloquitur, et illa loquens Christi fungitur officio : quocirca in illis recte et decenter enuntiandis summa adhibenda est cura et animadversio. (Clichtoveus. *Elucidatorium ecclesiasticum.* Parisiis, 1548. L. III, n. 29.)

Quando Sacerdos sacram Hostiam manu tenens genua flectit, Dominum hunc adorare debet adeo profunda reverentia, ut cor suum usque ad ipsam abyssum humiliet, quasi desiderans in terræ profundum descendere ob tantæ majestatis reverentiam. Et memor, quod Angeli descendant e cœlo, ut huic Domino in Sacrificio adsint, cogitare debet, in eo momento se circumdari Angelorum exercitu, et simul cum illis adorare et laudare communem omnium Dominum et Creatorem. — Et quando ipsam Hostiam sacram sursum elevat, id faciet, nunc cum sensu doloris et lacrymis, memor Dominum eumdem propter ipsius peccata fuisse in Cruce elevatum et ab omnibus contemptum ; nunc idem faciet affectu quodam gaudii et gratitudinis, quod ipsam Hostiam elevet, ut honor ipsi Domino deferatur, et ab omnibus adoretur, quasi in compensationem præteritorum contemptuum. Alias potest etiam in memoriam revocare, quod idem Dominus dixit : « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum » (Joan. Cap. XII, ℣. 32), et eumdem Dominum orabit, ut dignetur ipsius cor ad cœlum elevare, ubi ipse ad dextram Patris sedet. (De Ponte. *De christiani hominis perfectione.* Coloniæ, 1625. Tom. IV, Tract. II, cap. XII, § 2.)

Q. 173. *Quænam variatio ad verba « Qui pridie etc. » animadvertenda est ?*

R. Semel in anno, scilicet in Missa Feriæ V in Cœna Domini, ob solemnem commemorationem Institutionis Sacrificii, quæ hac die celebratur, præscribitur variatio ad hæc verba ; dicitur enim : *Qui pridie, quam* pro nostra omniumque salute *pateretur,* hoc est, hodie, *accepit panem etc.*

Hæc diei mentio antiquissima est, et reperitur in Sacramentario Gelasiano ; formula vero, ut supra traditur, tempore S. Gregorii Magni jam in usu erat.

Q. 174. *Quæ notari possunt de adoratione, et Elevatione Corporis et Sanguinis Christi, quæ fiunt immediate post Consecrationem ?*

R. I. A primis sæculis adoratio SS. Corporis et Sanguinis Christi post Consecrationem in usu fuit, sed non semper eodem modo præstita fuit.

Celebranti primitus præscripta fuit, post pronuntiata verba Consecrationis, adoratio per salutationem, capite inclinato, et post sæculum XIV tantum introducta fuit genuflexio qualis hodie observatur.

Circumstantes fideles vero inclinati jam erant a principio Canonis, et remanebant inclinati usque ad ejus finem ; imo, in Cæremoniali Romano edito sub Gregorio X († 1276), præscribitur ut omnes prosternent se ad terram, et adorent reverenter in faciem cadendo, et sic prostrati maneant usque ad *Pax Domini* ante *Agnus Dei ;* unde hodie observatur genuflexio usque ad hunc Missæ locum in Missis quibusdam, ex. gr., in pluribus Missis ferialibus, et in Missis de *Requiem*.

II. Elevatio Corporis et Sanguinis Domini, immediate post Consecrationem, primitus in usu non fuit, sed in fine Canonis, ante *Pater noster*, Corpus Domini cum Calice simul levabatur ; de hac dicetur postea. Hæresis Berengarii († 1088), qui realem Christi in Eucharistia præsentiam inficiebatur, causa fuit occasionalis ritus Elevationis post Consecrationem, qui introductus reperitur in Gallia sæculo XII, et ubique usitatus sæculo XIII. In quibusdam regionibus primitus sola sacra Hostia ad adorationem levabatur, sed a sæculo XIV, ritus Elevationis Hostiæ primum, deinde Calicis, generatim præscriptus fuit et ubique observatus.

III. Ab ejusdem sæculi XIV tempore, ut major honor tribuatur Sacramento, varii introducti fuerunt usus : 1° accendendi, ultra luminare pro totius Missæ celebratione requisitum, in Missis privatis, intorticium, quod non exstinguitur nisi post Communionem (cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 6 ; et Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 64) ; in Missis solemnibus vero, duo saltem intorticia, quæ exstinguuntur, vel post Elevationem Calicis, vel post Communionem, pro diversitate Missarum (Ritus, ibid. n. 8) ;

— 2° incensandi SS. Sacramentum in Missis solemnibus, ter ad utramque Elevationem (Ritus, ibid. n. 8) ; — 3° pulsandi campanulam ad unamquamque Elevationem, vel ter, vel continuate (Ritus, ibid. n. 8), quo fideles præsentes ad Sacramentum adorandum excitentur ; in multis Ecclesiis quidem sub Sacro solemni tunc pulsatur turris campana, ut populus extra Ecclesiam, in domibus et plateis ad divina Mysteria adoranda provocetur ; — 4° omnem cantum intermittendi, ut cantores, interea dum elevatur Sacramentum, cum aliis adorent ; organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia, et gravitate pulsandum est.

Q. 175. *Da breve compendium primæ Orationis in tertia parte Canonis.*

R. Incipit tertia pars Canonis per Orationem, cujus tria sunt membra (cfr. Q. 163). In hac Oratione Sacerdos, facta reali et substantiali oblatione victimæ per Consecrationem, eamdem mox confirmat et perficit, repetita oblatione verbali ; et rogat, ut Deus acceptam habeat Hostiam puram, sanctam, immaculatam, jubeatque hæc perferri per manus sancti Angeli in sublime altare, in conspectu divinæ Majestatis : ut omnes participantes omni benedictione cœlesti et gratia repleantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Q. 176. *Quæ Mysteria Christi, et quæ Veteris Legis Sacrificia memorantur in hac Oratione ? Explica.*

R. I. In primo membro Orationis : *Unde et memores, etc.*, memorantur tria ex præcipuis Christi Domini Mysteria, nempe Passio, Resurrectio et Ascensio, quia per ea opus Redemptionis nostræ fuit consummatum et completum ; et quia memoria Passionis charitatem nostram inflammat, Resurrectio fidem confortat, et Ascensio spem nostram corroborat.

II. In secundo membro : *Supra quæ, etc.*, commendat Sacerdos præsentia sacra dona et data, invocando memoriam trium sacrificiorum, quæ Deus ab origine mundi accepta habere dignatus est ; nempe sacrificium Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui ; sacrificium Abraham, qui voluit immolare filium suum dile-

ctum Isaac ; et sacrificium Melchisedech, qui obtulit Deo panem et vinum.

Per sacrificium Abel pulchre repræsentatur Sacrificium, in quo Christus obtulit sese tamquam primogenitum per excellentiam : *Primogenitus in multis fratribus* (ad Romanos, Cap. VIII, ℣. 29); idem Sacrificium nostrum apte exprimitur Abrahæ sacrificio, in quo Isaac immolatus, quin vitam amitteret, figura fuit Christi, qui mortuus est, ut resurgeret, et ad novam vitam rediret ; denique sacrificium Melchisedech Sacrificii nostri optima figura fuit, nam panem et vinum obtulit, in quo Eucharistiæ expressam perviderunt Ecclesiæ Patres figuram.

Nota. Liceat hic interponere animadversionem quæ decorem spectat nostrorum altarium : ex præcedentibus patet, tria Mysteria, Passionis (Christi in Cruce pendentis), Resurrectionis, et Ascensionis Domini, necnon tria sacrificia, Abel, Abraham, et Melchisedech, accommodatas valde et convenientes præ omnibus aliis esse imagines, utpote ab ipsa Ecclesia in Canone indicatas, quæ repræsententur, vel sculpto, vel picto, vel cujusvis artis opere, ad ornatum, sive in retabula, sive in stipite Altaris in quo asservatur SS. Sacramentum.

Q. 177. *Quæ dici possunt de sensu tertii membri hujus Orationis : « Supplices te rogamus etc. » ?*

R. Quæ in hoc tertio et ultimo membro Orationis dicuntur, intellectu valde difficilia sunt : Innocentius III, in Tractatu *de Sacro Altaris Mysterio*, dicit (Libro V, Cap. V.) : « Tantæ sunt profunditatis hæc verba, ut intellectus humanus vix ea sufficiat penetrare ».

Rogamus Deum, ut jubeat *hæc*, id est, Corpus et Sanguinem Christi, in quantum per nos offertur, et etiam Corpus Christi mysticum, preces scilicet et vota nostra, perferri, non substantialiter, sed repræsentative, per modum commemorantis atque orantis, in sublime Altare cœli, in conspectu divinæ Majestatis, per manus sancti Angeli.

Quis est iste Angelus ? Multi intelligunt, sensu litterali, aliquem ex spiritibus cœlestibus, qui divinorum Mysteriorum celebrationi assistere credendus est, et cui ex officio incumbit sacrificanti adesse, eum adjuvare, dirigere, ejusque preces Deo offerre.

Alii intelligunt ipsum Christum Jesum, qui vocatur

magni consilii Angelus, quique mysticum Corpus cum Deo Patre et Ecclesia triumphante conjungit.

Alii denique intelligunt Spiritum sanctum, « missum » (angelus = nuntius, missus), dicentes hanc Orationis partem correspondere Epiclesi, seu solemni invocationi Spiritus sancti, quæ in omnibus Liturgiis reperitur.

Sensus litteralis, quo Angelus divinis assistens Mysteriis intelligitur, facilior intellectu est, et obvius videtur, et pietati valde congruit.

Q. 178. *Quæ notanda sunt de Commemoratione pro defunctis ?*

R I. Secunda Oratio post Consecrationem inscribitur in Canone : *Commemoratio pro defunctis*, et incipit : *Memento etiam, Domine, etc.* Pro vivis ante Consecrationem facta fuit Commemoratio, quia ipsi offerunt Sacrificium ; post Consecrationem vero fit Commemoratio pro defunctis, qui ipsi offerre non valent, et quibus a nobis Sacrificii fructus applicantur. Orationem ante pro vivis factam, nunc continuari pro defunctis, indicat interjecta vox *etiam*.

II. Hæc Commemoratio pro defunctis in Sacrificio Missæ fit ex Apostolica institutione, sicut plures Sancti Patres perhibent, et in omnibus omnium ætatum Liturgiis reperitur.

Antiquitus in altera ex binis tabulis sibi junctis, quæ Diptycha vocabantur, defunctorum nomina inscribi dictum fuit (cfr. Q. 166) ; unde alta voce legebantur pro hac Commemoratione usque ad sæculum XI.

Hæc Oratio non describitur in quibusdam codicibus Canonis, nempe Sacramentarii Gelasiani, forsan quia non raro cum nominibus ipsa Commemorationis formula in Diptychis erat descripta.

III. Describitur hæc Oratio in Canone sequenti modo : *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. et N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.* Tunc ponitur Rubrica sequens : *Jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur.* Antiquitus solebant ad litteras N. proferri nomina defunctorum, pro quibus Commemoratio fiebat, ideoque lit-

teræ istæ in Missali adhuc appositæ manent; hodie usu generali negliguntur istæ litteræ, et dicitur continuate : *famularumque tuarum, qui nos, etc.*, ac defunctorum Commemoratio fit tantum post verba *in somno pacis*.

IV. Commemoratio fit pro iis *qui nos præcesserunt cum signo fidei*, scilicet qui insigniti fuerunt signo Crucis, signaculo Sanctæ Trinitatis ; excluduntur ergo qui extra communionem Ecclesiæ mortui sunt, pro quibus Ecclesia non nominatim orat. Videtur tamen quod Sacerdos possit, secluso omni scandalo, hic privatim orare pro aliquo hæretico defuncto, sub conditione : si forte decesserit in hæresi tantum materiali, adeoque cum signo fidei, et simul fuerit in statu gratiæ.

Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriam faciat : 1° animarum pro quibus celebrat, vel defunctorum consanguineorum et affinium illorum qui Missam dici petierunt ; 2° propriorum parentum, consanguineorum, affinium, amicorum, et aliorum, ad suam voluntatem.

Insuper hic observari debent, quæ de Commemoratione pro vivis notata fuerunt in responso II ad Q. 166. (Cfr. etiam Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 238, 239.)

Q. 179. *Pro quibus orat Sacerdos in ultima Oratione Canonis ?*

R. Ante Consecrationem rogavit Sacerdos pro Ecclesia hic in terris militante protectionis auxilium, meritis precibusque Ecclesiæ in cœlo triumphantis ; post Consecrationem pro Ecclesia patiente petivit locum refrigerii, lucis et pacis. In hac tertia post Consecrationem Oratione, quæ ultima totius Canonis est, petit speciatim sibi et adstantibus partem aliquam, et societatem et consortium cum Ecclesia triumphante ; et iterum aliquot Sancti, data hac occasione, commemorantur.

Ad exemplum pœnitentis Publicani Evangelii, pectus percutiens, dicit : *Nobis quoque peccatoribus*, vocem aliquantulum ad hæc verba elevans, ad circumstantium attentionem provocandam.

Nota. Sancti qui in hac Oratione nominantur omnes sunt

Martyres; cæterum sunt diversorum ordinum; Sancti sunt octo, Sanctæ sunt septem.

S. Joannem, qui primus nominatur, verisimilius videtur esse, non Evangelistam, sed Baptistam; sententiam hanc propugnat post alios Gardellini, in Adnotatione ad Decretum S. Rituum Congregationis, 12 Aprilis 1823 (n. antiq. 4594, ad 14); S. Congregatio, quæ tunc distulerat decisionem, paulo post respondit eo sensu, quod S. Joannes Baptista hic sit intelligendus (Decret. 27 Martii 1824, n. antiq. 4602, ad 2); sed in quarta editione Decretorum anni 1898, utrumque Decretum fuit expunctum, et omissa etiam fuit in Volumine Decretorum IV Adnotatio citata Gardellini: ita ut pro S. Joanne Baptista remaneat solum auctorum sententia. — Alii putant intelligendum esse S. Joannem Evangelistam, qui, etsi nominatus jam fuerit ante Consecrationem propter Apostolatus dignitatem, iterum hic nominatur propter virginitatis privilegium; et addunt ipsi ideo adjungi S. Stephanum Protomartyrem, qui ponitur ante S. Mathiam Apostolum, quia etiam merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad Diaconatus officium fuit electus, ut dicitur in Pontificali Romano, in Ordinatione Diaconorum. — Non obstante expunctione Decretorum, et omissione Adnotationis citatæ, valorem suum retinent argumenta in favorem S. Joannis Baptistæ prolata, donec S. Rituum Congregatio expresse aliter declaraverit. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 240, III, Nota.)

S. Mathias, electus Apostolus post Christi Ascensionem, non fuit nominatus ante Consecrationem cum illis Apostolis qui recensentur in Evangeliis (cfr. Q. 167, Nota); ideo hic nominatur, simul cum S. Barnaba, qui discipulus Domini, et S. Pauli socius, ab Ecclesia etiam tamquam Apostolus honoratur.

Sequuntur tunc S. Ignatius, discipulus Apostolorum, secundus S. Petri successor in sede Antiochena († 107); S. Alexander I, Papa, ordine sextus (vel quintus) post S. Petrum († 132, vel circa 115); S. Marcellinus, presbyter, et S. Petrus, exorcista Ecclesiæ Romanæ († versus 304).

Nominantur etiam præclaræ et celeberrimæ Sanctæ omnis conditionis: SS. Felicitas et Perpetua, Carthaginenses († 202); S. Agatha, Virgo, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt († 251); S. Lucia, Virgo Syracusana († versus 304); S. Agnes, Virgo Romana († versus 304); S. Cæcilia, Virgo Romana († versus 180); et S. Anastasia, Vidua Romana († 304).

Quare isti et istæ, et eo ordine nominentur, difficile est dicere; in hujusmodi rationibus reddendis, ait Suarez, non oportet immorari, quia hæc et similia sæpe vel casu, vel ex aliqua peculiari devotione possunt accidere. (In IV, disput. 83, sect. 2, n. 17.)

(Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 240, III, Nota.)

Q. 180. *Quæ datur explicatio verborum conclusionis Canonis: « Per quem hæc omnia... et præstas nobis » ?*

R. Finita Oratione : *Nobis quoque etc.*, quando novæ fruges, fructus, uvæ, fabæ, necnon mel, oleum, aliaque id genus benedicenda erant, olim ante Altare hæc collocari solebant, et ad hunc Missæ locum a Sacerdote benedici ; ac terminata benedictione solita clausula : *Per Christum Dominum nostrum*, mox addebatur Oratio : *Per quem hæc omnia etc.*

Et revera in Sacramentario Gelasiano præscribitur, in Festo Ascensionis Domini, ad hunc locum, benedictio novarum frugum fabæ ; in aliis antiquis codicibus præscribuntur, in aliis festis, benedictiones aliorum fructuum, ex. gr., uvarum ; et hodiedum hujus antiquæ consuetudinis quædam quasi reliquia est, quod Feria V, in Cœna Domini, Episcopus, priusquam dicat : *Per quem hæc omnia etc.*, descendat de Altari in presbyterium, et ibi benedicat Oleum infirmorum ; quo facto, continuat Missam ad prædicta verba.

Etsi videantur itaque hæc verba referri ad novas fruges benedictas, certum tamen est, quod in omni Missa, etiam sine benedictione frugum, semper ea fuerint dicta, et debeant etiam, et quidem principaliter, referri ad Christi Corpus et Sanguinem ; et in hoc sensu sequens datur horum verborum explicatio :

Per quem (scilicet Christum) *hæc omnia, Domine, semper bona creas :* Deus enim Pater per Filium, per quem omnia facta sunt, creavit hæc bona, nempe panem et vinum (quorum accidentia adsunt) in Christi Corpus et Sanguinem conversum ; — *sanctificas :* sunt enim nunc dona sacra, ab usu communi semota, quæ ex usu profano in sanctum transierunt ; — *vivificas :* per verba Consecrationis, quibus substantia panis et vini convertitur in substantiam Corporis et Sanguinis Christi, qui est panis vivus et vitalis, vitam præstans homini ; — *benedicis :* quatenus hoc Sacramentum est fons omnis gratiæ et benedictionis ; — *et præstas nobis :* ea nobis Deus largitur, ut nobis sint vera vita, per Communionem, qua gratia et omnibus bonis replemur.

Uno verbo, confitemur quod Sanctissima Eucharistia, omnia bona continens, nobis paratur et datur a Deo per Jesum Christum.

Q. 181. *Expone sensum verborum conclusionis Canonis :* « *Per ipsum, etc.* »

R. Proclamamus per hæc verba quod Sacrificium Missæ tribuit Sanctissimæ Trinitati honorem et gloriam maximam. Rationem habent Doxologiæ, scilicet : Deo Patri est omnis honor et gloria, per Filium, cum Filio, in Filio, in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Dicitur : *per ipsum :* Christus enim Deus et Homo verus est mediator Deum inter et homines, per quem adoratio creaturæ Patri et Spiritui sancto accepta est ; — *cum ipso :* quia Deus est Deo æqualis, qui a Patre et Spiritu sancto separari non potest, sed cum ipsis simul adoratur et conglorificatur ; — *in ipso :* quia Filius Patri consubstantialis est, et unus est Deus cum Patre et Spiritu sancto.

Hæc in honore Christi Doxologia antiquissima est, testata monumentis initii sæculi secundi. (Cfr. Cabrol, *Le livre de la prière antique*, 1 vol. 12°, Paris, 1900, pag. 111. Cfr. etiam id quod dicitur in Nota ad Q. 185.)

Q. 182. *Quæ est ratio cæremoniarum quæ fiunt dum hæc verba conclusionis Canonis pronuntiantur ?*

R. Nota. In præsenti Tractatu parum aut nihil dictum fuit de Missæ cæremoniis, quia de eis agitur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii ; cum tamen quæ ad hæc verba conclusionis Canonis præscribuntur cæremoniæ tam singulares sint et solemnes, et ad intelligentiam dictorum possint conferre, de earum ratione pauca hic addere juvat.

I. Ad verba : *omnis honor et gloria,* fit Elevatio Corporis et Sanguinis Domini simul ; hæc olim solemnior erat et unica Elevatio, pro qua velum, quo a principio Canonis ab oculis assistentium obnubebatur Sacerdos (cfr. Q. 155, II), retrahebatur, et Corpus et Sanguis Domini populo ad adorandum ostendebatur ; sed ex quo sæculis XII et XIII instituta fuit Elevatio et adoratio immediate post Consecrationem (cfr. Q. 174, II), præsens Elevatio, in quantum est Elevatio, minus solemnis est ; deficiente enim adorationis motivo, non ita alte elevatur Sacramentum ut a populo videri possit.

Antiqui ritus Elevationis vestigium remanet in quibusdam regionibus, nempe in Gallia, et etiam apud nos, consuetudo pulsandi campanulam, cum Sacerdos elevat parum Hostiam et Calicem ; hoc autem a Rubrica Missalis non præscribitur. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 242, Nota.)

II. Hæc Elevatio primitus facta fuit per totum tempus quo dicebantur verba : *Per ipsum.... honor et gloria ;* et in Sacramentariis aut codicibus ante sæculi IX finem scriptis nullum Crucis signum notatur nec præscribitur. Sed ut præclarius exprimeretur quod idem Jesus Christus elevatur qui in Cruce fuit immolatus, a sæculo IX fuit introductus usus faciendi signum Crucis cum Hostia super Calicem Sanguinis ; unde necessario repositus tenebatur Calix super Altare ad primam partem Doxologiæ, et tantum fuit elevatus cum Hostia, post signa Crucis facta, ad verba : *omnis honor et gloria*, ut quod ore exprimitur, actione simul symbolice demonstretur.

Signum Crucis nunc fit ad nomen singulæ ex Personis SS. Trinitatis, sed propter trinam prolationem pronominis Christum designantis, ter fit signum cum Filius nominatur ; insuper ad nomen Filii, cujus pretiosissimus Sanguis in Calice continetur, signa Crucis fiunt super Calicem ; ad nomina vero Patris et Spiritus sancti, deficiente hac ratione, fiunt extra Calicem, inter Calicem scilicet et pectus Celebrantis.

Q. 183. *Qua voce dicuntur ultima verba conclusionis Canonis, et quare ?*

R. Sacerdos, qui totum Canonem submissa voce recitavit (cfr. Q. 162, I), ultima verba conclusionis, scilicet : *Per omnia sæcula sæculorum*, elata voce, et in Missis cantatis in cantu profert, ita populum adstantem quasi invitans, ut consensu suo ea confirmet, quæ omnium nomine Sacerdos in Canone ad honorem et gloriam Dei effatus est, et etiam postulavit ; qui consensus a populo, vel populi nomine exprimitur verbo *Amen*, eadem elata voce, vel in cantu dicto.

CAPUT X

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM

Q. 184. *Expone quare, et quomodo Oratio Dominica dicitur in Missa.*

R. Finito Canone per verba : *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*, incipit præparatio ad Communionem.

I. Præponitur sanctissima, pulcherrima, necnon efficacissima omnium orationum, Oratio videlicet Dominica; hæc ex institutione Apostolorum in Missa dicitur, et in omnibus Liturgiis reperitur ante vel post fractionem S. Hostiæ ; S. Gregorius Magnus statuit ipsam in Liturgia Romana dici immediate post Canonem, ante fractionem ; in quibusdam Liturgiis solebat dici ab omni populo ; in Romana dicitur vel cantatur a solo Sacerdote, sed ut populus suam in ejus recitatione partem habeat, Minister vel Chorus dicit vel cantat ultimam petitionem : *Sed libera nos a malo.*

II. Præmissa ordinaria invitatione ad orandum, verbo : *Oremus*, ante ipsam Orationem a primis temporibus ponitur breve quoddam pium exordium, seu devota præfatiuncula, in qua Sacerdos in spiritu humilitatis protestatur, se, nisi ipse Christus Dominus monitis, præceptisque fiduciam addidisset, non ausurum fuisse Deo dicere : *Pater noster*. Formula præfatiunculæ quam hodie dicimus : *Præceptis salutaribus.... audemus dicere*, jam nota erat tempore S. Cypriani († 258).

III. In fine Dominicæ Orationis Sacerdos dicit : *Amen*, submissa voce : non hanc omittit, quia apud Evangelistam clauditur Oratio hac voce *Amen ;* sed submissa dicit voce fortasse ob eam rationem, quia ultimæ petitionis continuatio quædam est Oratio : *Libera nos, etc.*, quæ proxime sequitur.

Q. 185. *Da rationem Orationis :* **Libera nos, etc.**, *quæ dicitur post Orationem Dominicam.*

R. Oratio *Libera nos, etc.*, non est nisi fusior repetitio,

seu expositio ultimæ petitionis Orationis Dominicæ : *Sed libera nos a malo ;* quia in ea diserte nominamus mala a quibus petimus liberari, vocatur a Liturgistis *Embolismus* = insertio, intercalatio.

Per eam imploramus : 1° liberationem ab omnibus malis, nempe *præteritis*, quæ sunt peccata, quorum reatus remanet ; — *præsentibus*, quæ sunt variæ tentationes quotidianæ, quibus ad peccandum impellimur ; — *et futuris*, quæ sunt pœnæ peccatis debitæ, sive temporales, sive æternæ ; 2° intercessione Sanctorum, pacem, mentis scilicet et corporis : *ut a peccato simus semper liberi*, quæ est interna pax cum Deo ; *et ab omni perturbatione securi*, quæ est pax externa, temporalis.

Suffragium in hunc finem imploratur Beatæ Mariæ Virginis, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Andreæ, et omnium Sanctorum ; S. Andreas nominatur cum S. Petro, quia primus ad Apostolatus honorem vocatus fuit, et quia ipsum uti germanum Petri speciali semper honore coluit Sancta Romana Ecclesia.

Primitus dicebatur alta voce hæc Oratio, quod usque hodie observatur in ritu Ambrosiano ; antiqui Romani ritus vestigium forsan remanet, quod in Feria VI, in Parasceve, præscribitur dicenda eadem voce qua cantata fuit Oratio Dominica; in tono Orationis Missæ ferialis. S. Gregorius Magnus constituit ut regulariter secreto diceretur.

Oratio terminatur majori conclusione : *Per eumdem Dominum nostrum, etc.*, cujus ultima verba : *Per omnia sæcula sæculorum*, dicuntur alta voce, aut in cantu, ut populus consensum dictis dare, et exauditionis votum exprimere queat voce *Amen*. De hac conclusione dicetur in responso ad Quæstionem sequentem.

Nota. Dictum fuit supra (Q. 184, I), quod S. Gregorius Magnus statuit Orationem Dominicam dici ante fractionem panis, primitus vero ipsam fuisse dictam post hanc fractionem. — Videtur quod Doxologia *Per ipsum, etc.* (de qua supra, Q. 181), sit conclusio Orationis quæ olim dicebatur ad fractionem. (Cfr. Cabrol, in opere ibi citato, ad Notam pag. 112.) Hodie fractio panis fit in conclusione Embolismi Orationis Dominicæ, omissa Oratione propria fractionis.

Q. 186. *Quid notandum est de ritu fractionis S. Hostiæ?*

R. Nota. Cæremoniæ observandæ ad fractionem S. Hostiæ explicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 245-247) ; hic solummodo quædam de hoc ritu notantur ad ejus intelligentiam.

I. Præparatio pro fractione S. Hostiæ jam incipit dum dicitur Oratio *Libera nos, etc.*, de qua supra dictum fuit : etenim paratur tunc patena super quam fractæ Hostiæ partes erunt deponendæ ; cum patena Sacerdos sibi signum Crucis ducit ad verba : *da propitius pacem in diebus nostris*, denotans per Crucem Christi pacem animabus nostris acquisitam fuisse ; et osculatur patenam, tum quasi per hoc osculum petens a Deo pacem, tum ex tenerrimo affectu erga Corpus Christi, Principis pacis, mox in ea collocandi.

Dum dicitur conclusio hujus Orationis, fit Sacræ Hostiæ fractio in tres partes ; fit super Calicem, ne forte minutæ particulæ spargantur, sed in ejus concavitate caute recipiantur.

Dum alta voce dicit verba ultima conclusionis : *Per omnia sæcula sæculorum*, ut in Quæstione præcedenti notatum fuit, Sacerdos particulam Sacræ Hostiæ tenet super Calicem ; deinde salutat populum verbis : *Pax Domini sit semper vobiscum*, interea tria Crucis signa cum particula formans super Calicem, populum ita quasi trina vice benedicens, eique apprecans pacem, quam Christus per Sacrificium Crucis mundo attulit.

II. Ritus iste ab ipsa institutione Sacramenti exordium ducit : ipse Christus enim in cœna accepit panem, et benedixit, ac *fregit ;* quem morem Apostoli secuti sunt, et Ecclesiæ tradiderunt : in Actis Apostolorum legimus quod die Dominica fideles convenerunt *ad frangendum panem* (Cap. XX, ℣. 7) ; quod erant perseverantes in *communicatione fractionis panis* (Cap. II, ℣. 42) ; et Apostolus, in I ad Corinthios, scribit : *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* (Cap. X, ℣. 16). Nulla Liturgia est in qua Hostiæ fractio non fuerit a primis temporibus præscripta.

III. Fractionis S. Hostiæ variæ sunt significationes mysticæ et symbolicæ ; refertur etiam hic ritus ad mox

secuturam Sacri Corporis Christi distributionem, estque ad hanc præparatio.

Semper et ubique immissa fuit in Calicem particula S. Hostiæ confractæ ; de quo ritu dicetur in Quæstione sequenti.

Reliquas duas partes hodie sumit Celebrans ; sed primus sæculis non ita semper fuit factitatum : unam tunc sumebat Celebrans ; altera vero, quia qui consecrabatur panis major erat, et latior quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas, ad diversos quidem usus : — particulæ distribuebantur ad communicandum adstantes fideles, et etiam reservabantur pro infirmis communicandis : — sed præterea in Romana Liturgia particula specialis, quæ vocabatur *Sancta*, reservabatur usque ad sequens Sacrificium, in quo ad *Pax Domini* mittebatur hæc in Calicem : ut ita Sacrificii unitas et perpetuitas significaretur ; — insuper, usque ad sæculum IX, Romæ et aliis in locis Romani ritus, Papa, aut Episcopi, mittebant solemnibus quibusdam diebus, particulam ad quosdam Episcopos, aut Presbyteros ex suis immediate subditis, quæ particula vocabatur *fermentum*, quamque isti sumebant in Sacrificio quod celebrabant ; quo ritu significabatur communio seu communitas membrorum cum capite, subditorum cum superiore, unitas in fide et in disciplina.

Antiquæ disciplinæ, juxta quam ex *eadem* Hostia Sacrificii Celebrans communicabat se et adstantes, etiamnum remanet vestigium in Consecratione Electi in Episcopum : in Missa quæ tunc celebratur, Consecratus dicit et facit omnia simul cum Consecratore ; ad Communionem Consecrator sumit unam partem S. Hostiæ, et altera Episcopum consecratum communicat ; — item in Missa solemni quam celebrat Summus Pontifex, S. Hostiam ipse dividit in tres partes, quarum unam immittit in Calicem, aliam ipse sumit, et tertiam in duas dividit particulas ad communicandum Diaconum et Subdiaconum Missæ.

Ex dictis patet, quod iste ritus fractionis S. Hostiæ, antiquitus summam attentionem et devotissimam diligentiam requirebat ; unde intelligi potest, quare in Ordinatione Presbyteri Pontifex in fine Neo-Presbyteros admonet, ut diligenter Hostiæ consecrationem, ac fractionem, et communionem discant ; quia res, quam tractaturi sunt, satis periculosa est.

Q. 187. *Explica Orationem quæ dicitur cum Particula Sacræ Hostiæ immittitur in Calicem.*

R. Oratio quæ tunc dicitur sequens est : *Hæc commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.*

I. Antiquissima est, et in omnibus Liturgiis reperitur hæc commixtio, et quidem in Liturgia Romana duplex particula S. Hostiæ immittebatur in Calicem ; una, quæ vocabatur *Sancta*, præcedentis Sacrificii, ut dictum fuit in responso ad Quæstionem præcedentem (III), quod observatum fuit usque ad sæculum IX ; altera, præsentis Sacrificii, de qua nunc quæstio est. Oratio autem ad hanc commixtionem non eadem semper fuit, et in Sacramentario Gregoriano nondum occurrit vox *consecratio ;* a sæculo tamen IX, Oratio qualiter eam nunc dicimus, jam occurrit in monumentis Liturgicis.

II. Vox *commixtio* referri debet ad species panis et vini, quibus continetur Corpus et Sanguis Domini.

Altera vox *consecratio* difficilius explicatur : juxta quosdam sumenda sunt hæc verba, non in abstracto, sed in concreto, quasi diceretur : *hoc commixtum et consecratum fiat etc.*

Cardinalis Bellarminus († 1621) vocem ita explicat : « Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur ; non enim petimus, ut nunc fiat consecratio, sed consecratio antea facta sit nobis ad vitam æternam salutaris. (*De Missa*, Lib. II, Cap. 27.)

Significatur autem per illam commixtionem Resurrectio Domini,..... nam in Resurrectione iterum Caro Domini cum Sanguine suo conjuncta fuit. (Idem, eodem loco.)

Commixtio et consecratio dicuntur fieri in nostram salutem, non quod ipsa actio commiscendi et consecrandi nos salvet, sed quia res ipsæ commixtæ et consecratæ, dum a nobis devote suscipiuntur, multum prosunt ad salutem, unde hic dicimus : *fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* » (Idem, eodem loco.)

In Sacramentario Gregoriano petitur ut sancta commixtio « fiat omnibus sumentibus salus mentis et corporis, atque ad vitam æternam promerendam præparatio salutaris. »

Q. 188. *Quare institutus fuit ritus dandi pacem ? Quæ Orationes ad istum ritum pertinent ? Quomodo olim dabatur pax, quomodo datur hodie ?*

R. I. Ritus dandi pacem, ab ipsis Apostolis originem ducens, et in omnibus Liturgiis præscriptus, institutus fuit tamquam præparatio ad secuturam Communionem : Ecclesia intendit hoc ritu fideles tum Deo, tum sibi invicem charitatis et pacis vinculo unire, ut cum fructu et digne percipiant Communionem ; est enim Sacramentum hoc unitatis et pacis.

II. Primum ter dicitur Oratio : *Agnus Dei, etc.;* S. Sergius I, Pontifex Maximus († 701), statuit, ut tempore commixtionis Corporis et Sanguinis Domini a clero et populo hæc Oratio recitaretur ; et primitus tribus vicibus terminabatur verbis *miserere nobis ;* sed sæculo XI, ob multas hoc tempore ingruentes Ecclesiæ adversitates, statutum fuit ut tertia vice adderetur : *dona nobis pacem,* loco : *miserere nobis.* Sacerdos sibi pectus percutit, cum dicit *miserere nobis,* et *dona nobis pacem.*

Deinde dicitur Oratio : *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc. ;* quæ vocatur *Oratio ad pacem, Oratio pro pace ;* hæc antiqua non est, nam in codicibus sæculi XI nondum reperitur.

III. Dicta Oratione, Sacerdos primo pacem ipse quasi accipit ab Ipso Principe pacis, Christo Domino, et ideo devote osculatur Altare, quod est Christi figura, et in quo Christus realiter præsens est. — Sæculo XII, alii Sacram Hostiam, alii Calicem, alii Corporale osculabantur ; tandem mos Altare osculandi, qui Romæ jugiter viguit, ubique receptus est, et hodie etiam præscribitur.

Deinde Sacerdos dat pacem Diacono, qui eam communicat reliquis per ordinem ; qui dat pacem, dicit : *Pax tecum ;* qui eam accipit, respondet : *Et cum spiritu tuo.*

Olim, a primordiis quidem Ecclesiæ, solebat pax dari per osculum, juxta illud Apostoli : *Salutate invicem in osculo sancto* (ad Romanos, Cap. XVI, ℣. 16, et aliis locis), et juxta quod referunt multi Sancti Patres, et præscribunt omnes antiquæ Liturgiæ. Sed, imminuta sensim veteri animorum morumque simplicitate, su-

blatum fuit sæculo XIII osculum oris, et ejus loco invaluit mos dandi pacem, vel per amplexum, pro clero; vel, pro laicis, mediante instrumento pacis, quod Sacerdos post Altaris osculum osculatur, et quod ipsis ad osculum præbetur. (Cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. X, n. 3.)

Hoc instrumentum pacis est parva quædam tabella ex metallo, in qua sculpta, vel depicta est imago, vel B. Mariæ V., vel alicujus Sancti, vel plerumque et proprius Christi Crucifixi; vocatur Osculatorium, Pacificale, Tabula pacis.

Hodie, ut dictum fuit, clero datur pax per amplexum, in iis Missis solemnibus in quibus pax datur; in Missa privata, Episcopo in Missa præsenti datur per instrumentum pacis; reliquis pax eodem modo dari potest, communiter tamen non solet dari.

Q. 189. *In quibus Missis omittitur ritus dandi pacem?*

R. 1° In Missis de *Requiem;* quia Sacrificium tunc offertur non tam pro præsenti pace, quam pro requie mortuorum; et quia lætitia, cujus pacis ritus est indicium, his Missis minime congruit.

Ideo Oratio *Agnus Dei, etc.*, dicitur quidem, sed non: *miserere nobis*, neque: *dona nobis pacem;* quorum loco dicitur ter: *dona eis requiem*, et in tertio additur: *sempiternam;* et Sacerdos non percutit sibi pectus. Oratio pro pace: *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.*, semper omittitur.

2° In Missa Feriæ V, in Cœna Domini, dicitur: *Agnus Dei, etc.*, ut consueto, et dicitur Oratio pro pace; sed pacis osculum, seu amplexus non datur; ita Ecclesia declarare intendit exsecrari se fraudulentum proditoris Judæ osculum, qui hac die osculo Magistrum suum tradidit.

3° In Missa Sabbati sancti omittitur Oratio: *Agnus Dei, etc.*, dicitur vero Oratio pro pace; pax tamen non datur; vel quia pacis osculum reservatur pro die ipsa Resurrectionis, in qua Christus discipulis suis apparuit, eos salutans verbis: *Pax vobis;* vel, juxta quosdam, quia Missa hæc censetur celebrari nocte, et ex antiqua consuetudine, quoties Sacrificium noctis tem-

pore celebrabatur, pacis osculum omittebatur, ad confusionem vitandam.

Q. 190. *Quæ notanda sunt de diversis actionibus quæ peraguntur, et de diversis Orationibus quæ dicuntur ad Communionem Sacerdotis ?*

R. I. Incompertum est quid primis Ecclesiæ sæculis præcise fuerit præscriptum pro ritu ipsius Communionis, et speciatim quid cautum fuerit, ne in Patena, aut Corporali quid de Corpore, vel in Calice de Sanguine restaret reliquiarum ; de Calicis purificatione, et de digitorum ablutione agitur primum in monumentis sæculi XI ; et primitus quidem hæc effundebatur in locum mundum, in piscinam Altari propinquam ; postea tamen, ob reverentiam Sacramenti, et propter periculum ne quid fragmentorum digitis, aut guttularum Sanguinis Calici adhuc adhæreret, Sacerdos ipse sumpsit aquam et vinum ablutionis.

De actionibus in Communione et quæ ipsam sequuntur peragendis, explicatio datur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 249-257).

II. Item de Orationibus quæ dicuntur, notatur, quod non ex antiqua Summorum Pontificum institutione recitabantur, sed ex privata piorum et religiosorum Sacerdotum celebrantium traditione.

Sacramentarium Gelasianum nihil speciale notat de Communione. Gregorianum assignat tantum duas ad Communionem Orationes, quarum altera est quam nunc primo loco (post Orationem pro pace) dicimus : *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc. ;* postea in diversis codicibus et Missalibus sæculi XI, cœperunt assignari illæ quas hodie dicimus, cum non parva tamen diversitate.

Commune omnibus, una excepta, quas hodie dicimus est, quod 1° in singulari numero dicuntur, et applicantur ipsi soli Sacerdoti ; ex quo deducitur ipsas solum dici cœpisse, cum jam regularis adstantium in Sacrificio Communio in desuetudinem abierat ; — 2° quod diriguntur ad Filium ; cujus motivum quidem admitti potest, quod in Ipsum jam mens Sacerdotis tota defixa est ; sed priorum sæculorum hic usus non est.

Ex iis Orationibus quæ in usu erant inde a sæculo XI, usque ad ætatem Concilii Tridentini, selegit et statuit S. Pius V, in reformatione Missalis anni 1570, quas hodie dicimus ; quæ pietatis et gratitudinis affectu abundant, et ex quibus simul innotescunt rationes actionum quæ in Communione, et post Communionem peraguntur, ut explicatur in Quæstione sequenti.

Q. 191. *Explica diversas preces quæ ad Communionem dicuntur.*

R. I. *Domine Jesu Christe, Fili Dei etc.*, et *Perceptio Corporis tui, etc.* Hæ duæ Orationes dicuntur tamquam ultima præparatio ad Communionem ; his Sacerdos implorat puritatem, gratiamque dignæ Communionis, ejusque salutarem efficaciam.

II. *Panem cœlestem accipiam, etc.* Hæc verba partim e Scriptura desumpta (Ps. CXV, ℣. 4), designant famem, et fervens desiderium hujus cœlestis panis.

III. *Domine, non sum dignus, etc.* Origenes († 254) meminit consuetudinem fidelium sui temporis recitandi hæc verba ad Communionem. Sacerdos ita se parat verbis centurionis ab ipso Christo laudatis (Matthæus, Cap. VIII, ℣. 8) ; humilitate, reverentia, fide, fiduciaque redundant hæc, ter ideo repetuntur, et simul concurrit actionis compunctio, corporis nempe inclinatione et pectoris percussione.

Cum Sacerdos pro seipso tantum oret, hæc verba sicut reliqua dicit secreto, prioribus tamen exceptis, quæ mediocri voce profert, quasi non velit celare coram fidelibus suam indignitatem ; vel ad populi attentionem excitandam.

IV. *Corpus Domini nostri etc.* Interea dum hoc dicit, Sacerdos cum S. Hostia facit super se signum Crucis, ut hac benedictione gratias ad instantem Communionem consequatur.

Quidam codices tradunt formulam communem pro utraque specie, ex. gr. : « Corpus et Sanguis D. N. J. C. sit mihi ad salutem, et ad remedium animæ meæ in vitam æternam. Amen. » Hujusmodi communem formulam : *Corpus et Sanguis etc.*, hodie etiam dicunt Fratres Prædicatores.

V. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Recte in ea verba Psalmi (CXV, ℣. 12) magno affectu erumpit Sacerdos, quia hoc Sacramentum est summum bonum, in quo omnia bona continentur.

Et postea, Calicem pro Sanguinis sumptione accipiens, respondens quasi interrogationi modo factæ, continuat ejusdem Psalmi versum (CXV, ℣. 13) : *Calicem salutaris* (id est : Calicem salutis ; vel : Calicem gratiarum actionis pro bono mihi præstito) *accipiam, et nomen Domini invocabo ;* et adjungit alterius Psalmi versum (XVII, ℣. 4) : *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

Simili formula, similique ritu sumitur Sanguis, quibus modo Christi Corpus fuit sumptum.

Postea, juxta antiquam disciplinam, et juxta quod optat Synodus Tridentina (Sessio XXII, Caput VI), et notat Missale, atque Rituale Romanum, si qui sint communicandi, eos communicat Sacerdos. — De Communione fidelium intra Missam fuse agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 191 ad 199 ; de ritu olim servato dicitur ibidem, Q. 190.

VI. *Quod ore sumpsimus, etc.* Hæc Oratio sapit antiquitatem ; quæ in ea petuntur, in postulatione non paucarum Postcommunionum alio dicendi modo exprimuntur. Unica ipsa est ex variis Orationibus quæ ad Communionem præscribuntur, quæ in numero plurali, nomine omnium, dicitur, et supponit Communionem adstantium.

VII. *Corpus tuum, Domine, etc.* Alloquitur Dominum Jesum Sacerdos, in cujus dulcissimo amplexu hæret, et petit ut dona percepta in ipso maneant, et adhæreant quasi visceribus spiritualibus animæ ; et simul, ut vas sacratum cordis sui purum possit servare ab omni macula.

Q. 192. *Da rationem Antiphonæ quæ* **Communio** *vocatur.*

R. Interea dum populo Eucharistia distribuebatur, vetustis temporibus, usque ad sæculum circiter XI, cantabatur aliquis Psalmus cum sua Antiphona ante et post, ut tam sacra actio personante Dei laude perficeretur ; cessante vero sensim populi Communione intra

Missam, omissus fuit cantus Psalmi, et sola Antiphona ad Communionem servata fuit, quæ *Communio* vocatur. *Communio* nunc est versiculus, plerumque ex Psalmis, aliquando ex alio Scripturæ Sacræ loco depromptus, interdum etiam pia aliqua sententia Ecclesiasticæ compositionis, inserviens præcipue ad affectum Communioni congruentem excitandum.

Hodie cantatur a Choro post sumptionem Sanguinis; a Sacerdote vero legitur postquam omnia quæ ad Communionem pertinent peracta sunt.

Toto tempore Paschali ad versum Communionis unum additur, nisi jam habeatur, *Alleluja*, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*.

CAPUT XI

DE POSTCOMMUNIONE, ET DE MISSÆ CONCLUSIONE

Q. 193. *Quid est Postcommunio ? Quo ritu dicuntur Postcommuniones ?*

R. I. Nomen *Postcommunionis* datum fuit Orationibus quæ proxime post peractam totaliter Communionem recitantur, ad Deo gratias agendas, quod tantorum Mysteriorum benigne voluerit nos esse participes, et ad gratias a Deo postulandas, ut nos Sacrificii fructum, et quidquid in nobis sanctificationem operari potest, conservemus.

Vocatur Postcommunio in antiquis codicibus etiam *Complenda*, seu *Oratio ad complendum*, hoc est, Oratio qua res tota finitur ; item *Gratiarum actio :* « Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit », ait S. Augustinus (Epist. 59, ad Paulinum).

Ipsas Orationes Postcommunionis pro omnibus communicantibus institutas fuisse, patet ex earum tenore ; quamvis autem mos ille adstantium Communionis in Missa desiit, nihil tamen in his Orationibus mutatum fuit ; sed ideo retentæ sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, et ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur.

II. Celebrans pro Postcommunione primo salutat

populum, verbis : *Dominus vobiscum*, eumque, accepto consueto populi responso, ad gratiarum actionem invitat, verbo *Oremus*. (Cfr. Q. 67.)

Ceterum, quæcumque dicta fuerunt de Orationibus ante Epistolam, in præcedenti Capite IV, scilicet de earum structura, numero, ordine, conclusione, et mutatione, hic applicanda sunt Postcommunionibus.

Nota. De Oratione speciali, quæ additur in quibusdam Missis tempore Quadragesimæ et Passionis, dictis omnibus Postcommunionibus, et quæ vocatur Oratio « **super populum** », dictum fuit in Nota 3ª ad responsum Quæstionis 112.

Q. 194. *Da rationem ultimæ salutationis Celebrantis.*

R. Finitis Postcommunionibus, Celebrans, quemadmodum ad Missæ initium salutato populo introivit ad Altare Dei, ita etiam nunc, ad finem Sacrificii, eadem salutatione valedicit fidelibus, dicendo : *Dominus vobiscum ;* et simul resalutatur ab ipsis, in mutuam valedictionem, per verba : *Et cum spiritu tuo*. (Cfr. Q. 67.)

Q. 195. *Quid notandum est de institutione ritus dimittendi populum post Sacrificium ?*

R. I. Post ultimam salutationem, fideles dimittuntur verbis : *Ite missa est*, quæ significant : Licet vobis abire, nam fit missa, scilicet dimissio. (Cfr. QQ. 3 et 4.) — De priori dimissione, nempe Catechumenorum, expleta priori Missæ parte, dictum fuit QQ. 4 et 141.

Hæc fidelium dimissio, sicut et prior Catechumenorum, a primis temporibus consuevit fieri a Diacono, qui ideo se vertebat ad populum ; hodie in Missis solemnibus etiamnum Diaconi munus hoc est ; in Missis vero quæ celebrantur sine Ministris sacris, ipse Sacerdos ad populum se convertit, eumque de discessu monet.

II. Usque ad sæculum XI, hæc formula usuvenit in omnibus Missis ; sed ab eo tempore, quibusdam diebus cœpit dici : *Benedicamus Domino*, loco : *Ite missa est ;* scilicet, quando populus, peracto Sacrificio, non statim abibat, sed in ecclesia permanebat, donec sequentes Horæ canonicæ erant absolutæ ; admonebantur itaque fideles hac formula ne discedant, sed maneant, atque

cum clero ulterius Dominum benedicant. Profert Diaconus, vel Celebrans verba hæc conversus ad Altare, scilicet ad Dominum, ad quem benedicendum manere vult populum.

Tam ad *Ite missa est*, quam ad *Benedicamus Domino*, Minister, vel Chorus, nomine populi, respondet : *Deo gratias*, ut sacra Actio cum gratiarum actione absolvatur.

III. In Missis de *Requiem* etiam non dimittitur populus, sed dicitur, versus Altare : *Requiescant in pace*, cui respondetur : *Amen*. Scribit Belethus, auctor sæculi XII, quod ex consuetudine generali ita jam suo tempore fiebat ; vel quia tota Missa de *Requiem* in eo est ut defunctis a Deo quietem impetret ; vel quia post hujusmodi Missam non erat dimittendus populus, qui manebat ad sepulturam defuncti, aut ad absolutionem super tumulum faciendam.

Q. 196. *Quid præscribunt hodie Rubricæ de ritu dimissionis populi ?*

R. I. Dicitur *Ite missa est* in omnibus Missis in quibus dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis Deo ;* Missæ istæ recensentur in responso ad Q. 61, de Hymno *Gloria in excelsis Deo*. Respondetur : *Deo gratias*.

A Missa Sabbati sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive, adduntur duo *Alleluja*, tum ad *Ite missa est*, tum ad responsum *Deo gratias*. Hoc autem non amplius fit in Missa Dominicæ in Albis.

II. In Missis in quibus non dicitur Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, et quæ non sunt de *Requiem*, loco *Ite missa est*, dicitur : *Benedicamus Domino*, et respondetur : *Deo gratias*.

III. In Missis de *Requiem*, dicitur semper : *Requiescant in pace*, et respondetur : *Amen*. Dicitur hoc semper in plurali, etiamsi pro uno tantum defuncto Missa fuisset celebrata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.)

Nota. I. In Missa solemni Diaconus cantat : *Ite missa est*, et Celebrans hoc non dicit, quia hæc verba sunt monitio ad populum de discessu, quam, dum a Diacono cantatur, Celebrantem etiam dicere supervacaneum esset ; ast, cum Diaconus in Missa solemni

cantat : *Benedicamus Domino,* vel : *Requiescant in pace,* etiam ipse Celebrans debet eadem dicere submissa voce, ad Altare conversus, ut declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 22 ; antiq. 4526, ad 36) ; ratio est, quia hæc verba non sunt monitio ad populum de discessu, sed monitio ad laudem Dei, vel vera ad Deum oratio.

Nota. II. In Missali describuntur, pro Missarum qualitate, sex diversi Toni pro cantu *Ite missa est,* et quinque diversi Toni pro cantu *Benedicamus Domino,* necnon Tonus unicus pro cantu *Requiescant in pace.* Diversi isti Toni, et regulæ pro eorum cantu describuntur et exponuntur in Tractatu : *Cæremoniale,* in Appendice II, n. XI.

Notare speciatim hic placet, quod istæ diversæ modulationes de præcepto servari debent prout jacent in Missali, et mutari non possunt. (Decret. S. Rituum Congregationis 14 Martii 1896, n. 3891.)

Tonus descriptus pro Missis B. Mariæ cantari debet, non solum in Missis B. Mariæ Virginis, sed et quoties Præfatio de Nativitate Domini dicenda est. (Decret. 25 Maji 1877, n. 3421, antiq. 5694, in fine ad 1, 2, 3.)

Q. 197. *Quid de Oratione « Placeat, etc. » notandum est ?*

R. Oratio *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.,* in pluribus reperitur Sacramentariis post sæculum IX scriptis ; dicebatur primitus a Celebrante tamquam oratio privata, dum discedebat ab Altari ; S. Pius V, in reformatione Missalis, anno 1570, statuit ut ab omnibus diceretur ad Altare, post populi dimissionem.

Eam Sacerdos secreto recitat : est enim peculiaris et propria ipsius Sacerdotis solius oratio ; eamque dicit inclinatus ad Altare, siquidem ad Sanctissimam Trinitatem dirigitur. Osculatur postea Altare, quia Christus in conclusione Orationis nominatur.

Q. 198. *Quæ notanda sunt de institutione Benedictionis in fine Missæ, et de ratione quare fuerit instituta ?*

R. I. Antiqui Ordines Romani testantur, quod primis sæculis Romanus Pontifex, peracto Sacrificio, non ad Altare, sed in sacrario benedicebat diversos ordines clericorum qui in Sacrificio ministraverant.

Ante sæculum X, in ipsa Missa Benedictio aliqua dari consuevit post fractionem sacræ Hostiæ (cfr. Q. 186), vel ante Communionem.

Qualiter olim in fine Missæ fuerit data Benedictio, et quodnam ejusdem hodie remanet vestigium, nempe in Oratione super populum in Missis Feriarum Quadragesimæ dicta, vide in Nota III ad Q. 112.

De Benedictione, qualis hodie datur in fine Missæ ad Altare, nullum testimonium exstat ante sæculum X; a quo tempore multi Episcopi cœperunt in fine Missæ benedicere adstantes, et mox, circa sæculum XI, sensim inductus fuit usus, ut quilibet Sacerdos, sub exitu Missæ, populo benediceret; qui usus in tantum placuit, et crevit, ut Micrologus, sæculo XI, jam testetur, hanc Benedictionem absque gravi scandalo non posse suo tempore omitti.

II. Ratio hujus Benedictionis a quibusdam scriptoribus datur, ut qui in Missa Communionem non susceperant, saltem non sine Benedictione discederent. Congrua ratio datur etiam sequens : quemadmodum Christus Dominus, ad cœlum ascensurus, antequam discipulos relinqueret,« elevatis manibus suis benedixit eis » (Lucas, Cap. XXIV, ℣. 50), ita Celebrans, qui in hoc Sacramento memoriam Dominicæ Ascensionis non semel recoluit (cfr. QQ. 150, VII ; et 176, I), antequam fideles relinquat, et ab eis discedat, prius illis benedicit.

Q. 199. *Quis fuit olim, et quis hodie est ritus Benedictionis ?*

R. Cum ritus Benedictionis in fine Missæ cœpit usuvenire, variæ adhibitæ fuerunt formulæ ; et quisque Sacerdos tribus signis Crucis, sicut hodie Episcopus, benedicebat, signum Crucis efformans ad nomen uniuscujusque personæ SS. Trinitatis. S. Pius V, in reformatione Missalis, anno 1570 (cfr. Q. 27), statuit formulam quam hodie dicimus ab omnibus esse dicendam ; insuper prohibuit Sacerdotibus tribus signis Crucis benedicere in Missis privatis ; et Clemens VIII, in recognitione Missalis, anno 1604 (cfr. Q. 30), id quoque ipsis prohibuit in Missis solemnibus ; unde Rubrica in Ordine Missæ præscribit Sacerdoti, ut dicat : *Pater, et*

Filius, ✠ *et Spiritus sanctus,* « semel tantum benedicens, etiam in Missis solemnibus ».

Nota. I. Clemens VIII determinavit ritum Benedictionis, tum pro Sacerdotibus, ut supra dictum fuit, tum pro Episcopis. Episcopus semper benedicit more Episcopali, dicens prius duos versiculos, nempe : ℣. *Sit nomen Domini benedictum.* ℟. *Ex hoc nunc et usque in sæculum;* ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram;* deinde dicit : *Benedicat vos etc.,* ter benedicens. In Missa privata non utitur baculo; nec mitra (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4035, ad 3); nec etiam, si sit Archiepiscopus, Cruce ; in Missa Pontificali Episcopus utitur baculo, et mitra ; Archiepiscopus vero, quia Crux ante ipsum benedicentem tenetur, utitur quidem baculo, sed non mitra.

II. Si Sacerdos celebravit coram Cardinali ubique, vel Archiepiscopo in sua provincia, vel Episcopo in sua Diœcesi, postquam dixit : *Benedicat vos omnipotens Deus,* convertens se ad hujusmodi Prælatum, caput inclinat, quasi licentiam benedicendi petens, et tunc prosequitur : *Pater, et Filius,* ✠ *et Spiritus sanctus,* benedicens adstantes a parte ubi non adest Prælatus. Hæc prætermittuntur coram Archiepiscopo extra suam provinciam, et Episcopo extra suam Diœcesim.

Q. 200. *In quibus Missis datur Benedictio, in quibus non ?*

R. Benedictio datur in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem ;* in Missis de *Requiem* non datur, sed, dicta Oratione : *Placeat etc.,* Sacerdos osculatur Altare, et statim accedit ad cornu Evangelii, ad legendum Initium Evangelii S. Joannis.

Olim in Missis de *Requiem* impertiebatur quoque Benedictio populo, cum hac formula : *Deus vita vivorum, et resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum. Amen.* Inde a sæculo XVI, prætermittitur in Missis de *Requiem* Benedictio ; vel quia in his Missis omittuntur quæcumque solemnitatem aliquam, vel lætitiam præ se ferre videntur; vel ut indicetur benedictionem, seu fructus Missæ præcipue defunctis applicari.

Q. 201. *Quare legitur in fine Missæ pericopa Evangelii S. Joannis ? Quando incepit usus legendi hoc Evangelium, et quid de eo postea fuit statutum ? Quis est ritus ejus lectionis ?*

R. I. Summa omni tempore fuit æstimatio prologi Evangelii S. Joannis ; est namque veluti compendium præcipuorum fidei nostræ Mysteriorum : SS. Trinitatis, Creationis mundi, Divinitatis, et Incarnationis

Christi ; ideo in variis circumstantiis illud legi statuit Ecclesia : in visitatione infirmorum, in conjurationibus contra dæmonem. Et quia præterea continet summam omnium bonorum, quæ per Christi Sacrificium accepimus, et in Christo possidemus, qui est fons vitæ, lux mundi, plenus gratiæ et veritatis, ideo etiam cœpit dici, et nunc dicitur tamquam ultima Sacrificii Missæ conclusio.

II. Medio ævo incepit usus legendi hoc Evangelium, et primitus dicebatur ad libitum Celebrantis. Sæculo XIII generatim jam omnes Sacerdotes illud dicebant, sed alii ad Altare, alii in recessu ab Altari, alii in sacrario, ante vel post sacrarum vestium depositionem.

S. Pius V, in reformatione Missalis, sancivit usum, et mandavit ut omnes illud dicerent ad Altare.

III. In eo dicendo non usuvenit præparatio, nec solemnitas quæ pro Evangelio in Missa præscribitur ; legitur solum, et numquam cantatur ; quia est tamquam privata oratio.

Ad verba : *Et verbum caro factum est*, genuflectit Sacerdos, sicut genuflexit in Symbolo ad verba : *Et incarnatus.... homo factus est ;* ut veneretur Incarnationis Mysterium, et etiam ut exemplo Filii Dei humiliet se homo.

In fine dicitur : *Deo gratias*, ut Sacrificium, nunc jam omnino completum, desinat in gratiarum actionem : « Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. » (II ad Corinth. Cap. IX, ℣. 15.)

Q. 202. *Quid statuunt Rubricæ de ultimo Evangelio in Missa ?*

R. Ut supra dictum fuit, S. Pius V mandavit ultimum Evangelium in fine Missæ ab omnibus esse dicendum ; ipse autem etiam statuit, quod aliquando, loco Initii Evangelii S. Joannis, aliud diceretur Evangelium ; de quo sequentes ex Rubricis generalibus Missalis (Tit. XIII, n. 2) depromuntur regulæ.

In Missis votivis, quibusdam exceptis, et in Missis de *Requiem*, semper pro ultimo Evangelio dicitur Initium Evangelii S. Joannis.

In Missis quæ Officio conformes sunt, regulariter

etiam dicitur idem Initium ; attamen sequentes habentur exceptiones :

1° In tertia Missa in die Nativitatis Domini, in fine legitur Evangelium de Epiphania ; et in Dominica Palmarum, in omnibus Missis quibus non præmittitur Benedictio Palmarum, in fine legitur Evangelium quod ponitur in Missali pro ipsa Palmarum Benedictione.

2° In omnibus Missis Festorum, quando dicuntur in Dominica, aut in Feria majori, aut in Vigilia (quia habent istæ Evangelium proprium, cujus Homilia dicta fuit pro nona Lectione in Matutino Festi quod celebratur), pro ultimo Evangelio dicitur Evangelium hujus Dominicæ, aut Feriæ, aut Vigiliæ.

Plura exempla occurrunt quotannis in Directorio in Dominicis communibus, in Feriis Quadragesimæ, in Vigiliis ; quando in ipsis celebrantur Festa, notatur enim in his casibus semper, quod dicitur in fine Evangelium Dominicæ, vel Feriæ, vel Vigiliæ.

Nota. Dicitur in secunda exceptione : *in omnibus Missis* **Festorum** ; idem dicendum est de diebus Octavis Festorum ; sed non extenditur exceptio ad Missam de die infra **Octavam** communem ; occurrente enim die infra Octavam communem in aliqua Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum, aut Feria II Rogationum, specialis habetur in Rubricis dispositio Officii et Missæ : nam Officium quidem fit de die infra Octavam, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ aut Feriæ majoris in Matutino ; Missa autem dicitur de Vigilia, aut Feria, cum Commemoratione diei infra Octavam, et in ejus fine dicitur pro ultimo Evangelio Initium Evangelii S. Joannis.

Exemplum datur 14 Augusti, in Vigilia Assumptionis B. Mariæ V., occurrente die infra Octavam S. Laurentii, Martyris ; in Directorio ordinantur Officium et Missa, ut supra exponitur.

Aliquando etiam in Missis Festorum dicitur ultimum Evangelium de Vigilia, etiamsi in Officio Festi nihil de eadem Vigilia fuerit factum ; ex. gr., in Adventu.

Exemplum habetur 7 Decembris, in Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. ; celebrato eadem die Festo occurrente S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, in Officio hujus Festi nihil fit de Vigilia ; sed in Missa Festi fit Vigiliæ Commemoratio, et dicitur in fine Vigiliæ Evangelium. (Cfr. Rubricæ generales Missalis, Tit. III.)

Q. 203. *Quæ notanda sunt de gratiarum actione post Missam ?*

R. I. Missale præscribit Sacerdoti ut discedans ab

Altari, pro gratiarum actione dicat Antiphonam: *Trium puerorum etc.*, et Canticum : *Benedicite omnia opera etc.*, cum Psalmo CL: *Laudate Dominum etc.*, additis versiculis aliquot, et tribus Orationibus. (Cfr. Ordo Missæ, et Ritus celebrandi Missam, Tit. XII, n. 6.)

Antiphona *Trium puerorum*, in Festis duplicibus tantum duplicatur ; et Tempore Paschali in fine additur *Alleluja*, etiamsi Missa dicta fuerit de *Requiem*.

Alias Orationes adjungere non omittet Sacerdos, sed ad libitum suum eas eligere potest. Statuta Diœcesana præscribunt, ut « post Missam permaneat in pia gratiarum actione, etiam per horæ quadrantem producenda, nisi forte urgentes charitatis vel muneris curæ impediant ». (Statuta, n. 325.)

II. Quæ a Missali præscribitur supradicta gratiarum actio, jam præscripta reperitur in monumentis liturgicis sæculi XI, excepta ultima Oratione S. Laurentii, quæ Romæ sæculo XV tantum addita fuit.

Canticum trium puerorum, quo omnes creaturæ ad benedicendum Deo invitantur, pro gratiarum actione aptissimum esse nemo non videt ; apud auctores medii ævi commendatur ut hymnus « omnibus laudibus laudabilior, et Deo præ omnibus amabilior, — melle et favo dulcior, — hymnus hymnorum, in quo succincte et affatim melius quam in omnibus laudatur Deus. » (Alcuinus († 804), *de Psalmorum usu*, p. 1, n. 12.)

Prima ex tribus Orationibus : *Deus, qui tribus pueris etc.*, ea est quæ in omnibus Sabbatis Quatuor Temporum, post historiam trium puerorum, dicitur in Missa, ante Ordinationem, conjunctim cum Oratione pro ordinandis ; in ea petitur cupiditatum et vitiorum restinctio ; hanc quotidie dicens Sacerdos memor erit sui muneris, suæque consecrationis.

Secunda : *Actiones nostras etc.*, desumitur ex Orationibus quæ dicuntur post Litanias Omnium Sanctorum ; per eam petimus ut in bona dispositione, qua incepimus Actionem sanctissimam, per diem et perpetuo remaneamus.

Tertia : *Da nobis, quæsumus etc.*, ea est quæ dicitur in Festo S. Laurentii, in Officio et Missa (10 Augusti) ; in Romanis libris primo reperitur aliis duabus addita,

ut supra dictum fuit, sæculo XV ; idque putatur factum, vel quia S. Laurentii cultus celeberrimus fuit semper Romæ (vocabatur quidem hic Sanctus SS. Apostolorum Petri et Pauli suppar), vel quia tanti Sacrificii egregius fuit minister, vel quia petitio hujus Orationis concordat cum ea quæ prima dicitur, petitur enim gratia contra flammas vitiorum et cupiditatum.

III. Summus Pontifex Leo XIII, die 20 Decembris 1884, concessit Sacerdotibus Indulgentiam unius anni, pro recitatione, post Missæ celebrationem, Cantici *Benedicite*, et Psalmi *Laudate*, cum Versiculis et tribus Orationibus adnexis, necnon duarum Orationum in Missali descriptarum, quarum altera est S. Thomæ Aquinatis, et incipit : *Gratias tibi ago, etc.*, altera vero S. Bonaventuræ, et incipit : *Transfige, dulcissime etc.*

Idem Summus Pontifex, eadem die, varias Indulgentias concessit, pro recitatione, a Sacerdotibus facta, plurium precum et Orationum, tum ante, tum post Missæ celebrationem.

(Cfr. Rescriptum concessionis, et textum precum et Orationum a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita exhibitum, apud *Acta Sanctæ Sedis*, Volumen XVII, 1884, pag. 403-416. Cfr. etiam *Manuale Clericorum*, usui alumnorum Seminarii Mechliniensis destinatum.)

O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare !

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus.

(De Imitatione Christi. Liber IV, Caput XI, nn. 6, 8.)

SECTIO II

De Missis quæ Officio non sunt conformes

CAPUT I

DE MISSIS VOTIVIS

NOTIONES PRÆVLÆ

DE DEFINITIONE ET VARIIS GENERIBUS MISSARUM VOTIVARUM

Q. 204. *Quæ Missa vocatur* **Votiva** *?*

R. Missa Votiva ea sola hic intelligitur, quæ, ex voto vel voluntate, sive Sacerdotis Missam celebrantis, sive ejus qui ipsam celebrari præscribit, aut permittit, aut petit, non correspondet Horis canonicis, a Sacerdote qui hujusmodi Missam celebrat, eadem die recitatis juxta Kalendarium seu Directorium Diœcesanum aut particulare. Excipitur tamen Missa de *Requiem*.

Nota. I. Ex data definitione sequeretur Missas de *Requiem* etiam esse Votivas; sunt equidem, sed cum istæ Missæ habeant suas regulas speciales, omnino distinctas a regulis Missarum Votivarum, de quibus nunc studium instituitur, excluduntur in fine datæ definitionis.

Nota. II. Non sunt Missæ Votivæ stricte sumptæ illæ quæ celebrantur conformes Officiis Votivis, concessis Indulto Apostolico 5 Juli 1883, pro singulis Hebdomadæ diebus liberis (cfr. Q. 41); modo Sacerdotes has Missas celebrantes Officia Votiva respectiva recitaverint, ut postea latius dicetur. (Cfr. Q. 226, Nota II.) Inscribuntur tamen in Missali Romano « Missæ Votivæ » eo scilicet sensu, quod, sicuti « Officia Votiva » quibus correspondent, ita et ipsæ non sunt Missæ propriæ eorum in quibus dicuntur dierum anni ecclesiastici; vel, quod sunt Missæ propriæ Officiorum Votivorum.

Q. 205. *Quotuplici ratione, et quomodo distinguuntur Missæ Votivæ ?*

R. I. Missæ Votivæ duplici ratione distingui possunt:

1° Ratione **objecti**, de quo aliqua Missa Votiva celebratur; 2° ratione **solemnitatis intrinsecæ.**

II. 1° Ratione **objecti** de quo Missæ Votivæ celebrari possunt, triplex genus Missarum Votivarum distinguitur ; dicuntur enim :

a) vel de Sanctis ;

b) vel de Mysteriis ;

c) vel pro diversis necessitatibus.

2° Ratione **solemnitatis intrinsecæ,** itidem triplex genus Missarum Votivarum distinguitur ; possunt enim esse :

a) vel Missæ Votivæ solemnes stricte dictæ ;

b) vel Missæ Votivæ privilegiatæ ;

c) vel Missæ Votivæ privatæ.

Nota. Hac super distinctione sub 2° dicere lubet, usuales in materia Missarum Votivarum terminos **Missæ solemnis et Missæ privatæ** nullo pacto referri ad solemnitatem extrinsecam quacum celebrantur hujusmodi Missæ ; id est, non significare quod Missæ Votivæ hic distinguantur, secundum quod celebrentur extrinsece solemniter, cum assistentia nempe Diaconi et Subdiaconi, aut saltem in cantu ; vel solum legantur, seu extrinsece privatim celebrentur (cfr. QQ. 5 ad 8) ; agitur hic de natura Missarum Votivarum, earumque valore intrinseco, juxta quem aliæ ex eis potiores sunt, sive ex gravitate causæ ob quam celebrantur, sive ex consideratione ejus qui eas celebrare mandat, et dicuntur **solemnes** ; aliæ minoris æstimantur, cum non gravis, sed rationabilis tantum causa, non superioris voluntas, sed particularis tantum personæ votum interponatur, quæ vocantur **privatæ** ; aliæ tandem medium tenent, quæ ob causas non stricte graves, sed ex circumstantiis valde rationabiles, ab auctoritate legitima quasi indulgentur, et dicuntur **privilegiatæ.** Ex his autem ob intrinsecam solemnitatem, seu intrinsecum valorem tripliciter distinctis Missis Votivis, si quæritur de extrinseca quacum celebrantur solemnitate, nonnullæ equidem, solemnes scilicet et quædam privilegiatæ, semper celebrari debent cum extrinseca solemnitate, aut saltem in cantu ; aliæ vero, nempe ex privilegiatis diversæ, et privatæ omnes, possunt quidem celebrari cum solemnitate extrinseca, etsi intrinsece solemnes non sint, sed non debent, ac possunt etiam celebrari tamquam extrinsece privatæ, seu legi. — Unde efficitur : Missa Votiva privata potest solemniter celebrari.

S. Rituum Congregatio, in Decreto Generali de Missis Votivis (30 Junii 1896, n. 3922), distinguit Missas Votivas quæ solemniter aguntur pro re gravi et publica Ecclesiæ causa (§ II), a Missis Votivis quæ celebrantur vel privatim (intellige : sine cantu), aut saltem ex causa privata (§ III) ; sub his intelligens (§ IV), in specie, Missas Votivas solemnes (intellige : cum cantu), ex causa non publica celebratas. Istæ sunt Missæ Votivæ privatæ solemniter celebratæ.

Q. 206. *Quid est Missa* **Votiva solemnis**, *et cujus est ritus?*

R. I. Missa Votiva solemnis illa est quæ celebratur 1° **pro re gravi**, vel publica Ecclesiæ causa, 2° cum **solemnitate extrinseca**, 3° **auctoritate Ordinarii**, seu de ejus consensu.

Dicitur : 1° **pro re gravi**, vel publica Ecclesiæ causa : debet itaque causa ob quam hujusmodi Missa Votiva queat celebrari, esse gravis, debet esse vera necessitas quædam spiritualis vel temporalis ; ex. gr., beneficium obtinendum, afflictio avertenda, gratiarum actio agenda ; — debet causa esse publica, quæ communitatem ipsam afficiat ; ex. gr., beneficium pacis, pluviæ, serenitatis, obtinendum : afflictio belli, morbi contagiosi, mortis aut infirmitatis personæ publicæ, avertenda ; gratiarum actio pro obtento magno beneficio communi, pro depulsa communi afflictione, agenda.

2° **solemniter celebranda** : id est, debet Missa Votiva celebrari, si non cum omni solemnitate extrinseca, saltem tamen cum cantu ; et quidem cum interventu Magistratus, aut saltem Cleri et populi. — Numquam autem legitur, seu privatim celebratur hujusmodi Missa ; nam, etiamsi causa esset gravis, deficiente Missæ solemnitate extrinseca, deficeret conditio privilegiorum.

3° **ab Ordinario præscripta**, aut saltem de ejus consensu, pro qualibet vice obtinendo, celebrata : Ordinarius hic intelligitur Summus Pontifex, Episcopus Diœcesis, aut auctoritas Diœcesana quæ Episcopi vices agit. Si in aliquo particulari loco, civitate aut pago causa gravis et publica adesset, non licet Decano vel Parocho, sua propria auctoritate Missam Votivam solemnem decernere, sed ad Ordinarium est recurrendum.

II. Missa Votiva solemnis semper est ritus duplicis ; itaque per se unam tantum admittit Orationem.

Q. 207. *Quæ Missæ Votivæ hic intelliguntur* **privilegiatæ**, *et quisnam est earum ritus ?*

R. I. Missæ Votivæ privilegiatæ hic intelliguntur illæ Missæ, Officiis divinis dierum in quibus celebrantur non conformes, quæ vel ex speciali Sedis Apostolicæ gratia permittuntur, vel etiam ejusdem auctoritate præscribuntur ; causæ ob quas conceduntur, vel præ-

scribuntur, non sunt semper publicæ, neque graves, sed de convenientia, aut opportunitate ; solemnitas extrinseca pro quibusdam ex eis est observanda, pro aliis vero non requiritur. Ex tribus conditionibus Missæ Votivæ solemnis stricte dictæ, una alterave quidem pro Missis Votivis privilegiatis poterit adesse, sed tres simul stricte sumptæ generatim non reperiuntur.

Sub hac denominatione intelliguntur, ex. gr., Missa Votiva de SS. Sacramento, in Oratione XL Horarum, seu in Adoratione perpetua ; Missa Votiva pro sponso et sponsa ; Missa Votiva de SS. Corde Jesu in Feria VI quæ prima in unoquoque mense occurrit ; etc.

Pro celebratione hujusmodi Missarum accurate attendendus est tenor privilegiorum, quæ stricte quidem semper sunt interpretanda.

II. Missæ Votivæ privilegiatæ sunt ritus duplicis ; diversa tamen sunt earum privilegia, quoad Commemorationes speciales admittendas. Una excipitur Missa Votiva « pro sponso et sponsa », quæ celebratur ritu simplici, etiamsi adhiberetur extrinseca solemnitas.

Q. 208. *Quæ Missa Votiva dicitur* privata, *et cujus est ritus ?*

R. I. Missa Votiva privata dicitur illa, quæ celebratur — pro re quæ quidem gravis esse potest, sed non debet ; — et ex causa non publica, sed privata, rationabili tamen ; — et speciali devotione, aut desiderio, sive Sacerdotis qui litat, sive fidelis qui Missam petit ; — celebratur hujusmodi Missa vel solemniter vel privatim.

Causa indicatur privata ; quod est intelligendum, non præcise in opposito cum publica seu communi, quasi pro utilitate unius alteriusve privati tantum semper foret celebranda hæc Missa, nam et aliquando pro tota communitate, pro integro loco, pago, civitate celebranda erit ; sed potius eo sensu, quod pro hujusmodi Missa interponatur, non auctoritas ecclesiastica mandans aut permittens, ratione causæ gravis vel publicæ ; sed tantum votum seu desiderium privati vel privatorum, quin etiam totius communitatis, etiamsi voti seu desiderii objectum esset in se grave, et ad totam communitatem referretur.

Exempli gratia, si Parochus, occasione morbi contagiosi in parochia grassantis, Missam Votivam celebrare intendit, pro sua devotione, ad malum avertendum ; licet jam causa hujusmodi sit in se amodo gravis, et ad omnes parochianos referatur, tamen, non interveniente mandato vel permissione auctoritatis ecclesiasticæ, censetur causa privatorum, et Missa erit manebitque Votiva privata.

II. Missa Votiva privata est ritus simplicis ; unde tres numero saltem Orationes in ea dici debent, pluresque usque ad quinque vel septem dici possunt. (Cfr. QQ. 72, 86.)

Dicendum erit : 1° de Missis Votivis ratione objecti de quo dici possunt ; 2° de Missis Votivis ratione solemnitatis intrinsecæ.

ARTICULUS I

DE MISSIS VOTIVIS RATIONE OBJECTI DE QUO DICI POSSUNT

§ 1. De Missis Votivis de Sanctis

Sæpius petuntur Missæ celebrandæ in honorem Sanctorum, et præsertim in honorem B. Mariæ Virginis. Facilitatis et claritatis gratia, juvat separatim regulas exponere de formulari adhibendo a) pro Missis Votivis de B. Maria Virgine ; b) pro Missis Votivis de reliquis Sanctis.

A. De Missis Votivis in honorem B. Mariæ Virginis

Q. 209. *Quot et quæ reperiuntur in Missali Romano Missæ Votivæ de B. Maria Virgine ?*

R. In Missalis Romani quinta parte (cfr. Q. 37), assignantur quinque Missæ Votivæ de B. Maria Virgine, pro tot diversis temporibus anni ecclesiastici, scilicet :

1° Missa dicenda ab initio Adventus usque ad Nativitatem Domini ;

2° Missa dicenda a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis B. Mariæ Virginis, 2 Februarii ;

3° Missa dicenda a Purificatione usque ad Pascha ;

4° Missa dicenda a Paschate usque ad Pentecosten ;
5° Missa dicenda a Pentecoste usque ad Adventum.

In Rubrica præliminari, posita in Missali ante Missas Votivas, dicitur istas Missas de B. Maria Virgine posse assignari diei proprio, nempe Sabbato ; nihil tamen impedit, quominus eædem Missæ dicantur alio die libero hebdomadæ.

Q. 210. *Cum Missa Votiva celebrari debet in honorem B. Mariæ Virginis, quænam Missa tunc dicenda est ?*

R. Dici debet illa de quinque Missis Votivis in honorem B. Mariæ Virginis, quæ assignata reperitur pro illa de quinque partibus anni ecclesiastici, infra quam Missa hæc Votiva celebratur. (Decret S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Attamen, si Missa Votiva de B. Maria Virgine celebranda venit infra Octavam alicujus Festi ejusdem B. Mariæ Virginis, ea die qua Officium non dicitur de die infra Octavam hujus Festi, tunc pro Votiva dicenda erit Missa de Festo B. Mariæ Virginis cujus Octava celebratur ; sed dicetur juxta regulas Missæ Votivæ. (Decret. 26 Januarii 1793, n. 2542, antiq. 4447, ad 2.)

Exemplum : Missa supponitur celebranda in honorem B. Mariæ V., infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V., die 11 Decembris, in qua occurrit Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, quod admittit Missas Votivas, ut postea explicabitur. Dicetur non Missa Votiva de B. Maria V., quæ in præcedenti Quæstione indicatur sub 1°, assignata pro Tempore Adventus, sed Missa propria de Festo Immaculatæ Conceptionis, cujus Octava currit ; attamen quia hæc non erit conformis Officio hujus diei, nempe S. Damasi, celebrabitur Missa, non ut die Festi, neque ut in die qua fit de Octava Immaculatæ Conceptionis, sed juxta regulas Missæ Votivæ postea in Articulo II exponendas.

Nota. I. Si Missa celebranda est in honorem B. Mariæ Virginis in aliquo ex ejus Festis, vel quando Officium fit de die infra ejusdem Octavam, vel die qua Officium Votivum de B. Maria Virgine ex Indulto recitatum fuit, tunc hæc Missa dicenda est conformis Officio, de Festo vel de Octava, vel quæ respondeat Officio Votivo ; et dicenda est prout hac die præscribitur, Fe-

stiva nempe, et non juxta regulas Missæ Votivæ. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Exemplum : Si celebranda est Missa in honorem B. Mariæ V., infra Octavam Immaculatæ Conceptionis, die 9 Decembris, quæ est secunda dies infra Octavam, et in qua fit, et dicitur Officium de Octava Immaculatæ Conceptionis ; — vel infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., die 9 Septembris, in qua fit de secunda die infra hanc Octavam ; dicetur in utroque casu Missa conformis Officio diei, 9 Decembris, de Immaculata Conceptione, et 9 Septembris, de Nativitate B. Mariæ V., prout dicenda præscribitur his diebus a Rubricis ; et patet quod non poterit dici juxta regulas Missæ Votivæ ; quia est conformis Officio his diebus dicto.

Nota. II. In Vigilia Assumptionis, 14 Augusti, si dicenda erit Missa in honorem B. Mariæ Virginis, etiam in implementum oneris, celebrari debet Missa de Vigilia ; quippe qua et universalis Ecclesiæ ritui et particulari oneris implemento consulatur. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.) — Idem dicendum est de Missa in Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 7 Decembris ; sed dispositio non ita practica est pro hac die, quia in ea, ut postea dicetur, Missæ Votivæ privatæ non possunt celebrari, occurrente Festo duplici S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.

Q. 211. *An Missæ propriæ Festorum B. Mariæ Virginis quæ per annum celebrantur, tamquam Votivæ dici possunt ?*

R. Missæ propriæ Festorum B. Mariæ Virginis, ex. gr., Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, etc., non possunt dici tamquam Votivæ, nisi quando Missa Votiva celebrari deberet infra Octavam alicujus ex his Festivitatibus, ut in Quæstione præcedenti dictum fuit.

Itaque si aliquis desideraret celebrari Missam Votivam de B. Maria Virgine, cum intentione honorandi præsertim, ex. gr., Mysterium Assumptionis ejusdem B. Mariæ Virginis, extra Octavam Festi Assumptionis, aut si hujusmodi Missa etiam ex præscripto et institutione fundatorum peteretur ; non potest dici hæc Missa Votiva cum formulari proprio hujus Festi, sed debet dici una ex quinque Missis Votivis in Quæstione 209 designatis, juxta occurrentiam temporis, cum intentione colendi Mysterium Assumptionis, in cujus honorem

petita est Missa ; et ita petitioni aut præscripto fiet satis. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Dantur tamen ad hanc regulam duæ exceptiones, de quibus in sequenti Quæstione dicitur.

Q. 212. *Quænam sunt Missæ propriæ Festorum B. Mariæ Virginis, quæ tamquam Votivæ semper dici possunt ?*

R. Duæ sunt Missæ Festorum B. Mariæ Virginis, in proprio de Sanctis Missalis Romani, ex quarum Rubricis specialibus patet, ipsas posse tamquam Missas Votivas per totum annum celebrari ; sunt sequentes :

1° Missa Festi Septem Dolorum B. Mariæ V. ; quod Festum celebratur Feria VI post Dominicam Passionis ; ponitur Missa in Proprio Sanctorum Missalis post Festa mensis Martii. Hæc, casu quo Missa Votiva petitur celebrari in honorem Septem Dolorum B. Mariæ V., quocumque anni tempore potest dici more Votivo, cum Oratione speciali quæ describitur post Missam vel post Orationem Festi ; et omissa Sequentia *Stabat Mater.*

2° Missa Festi Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, 8 Decembris, cujus Introitus incipit : *Gaudens gaudebo ;* cum hæc dicitur tamquam Votiva, extra Octavam Festi Immaculatæ Conceptionis, mutatio facienda est in Secreta, ubi loco verbi *Solemnitate* dicitur *Commemoratione.*

In his duabus Missis indicatur, quomodo Graduale sit legendum per annum, et post Septuagesimam, necnon Magnum *Alleluja* loco Gradualis dicendum Tempore Paschali ; unde jure merito concluditur ipsas, per exceptionem ad regulam aliis omnibus Missis Festorum B. Mariæ Virginis communem, per totum annum tamquam Votivas celebrari posse. — Præterea constat ex variis Decretis S. Rituum Congregationis.

Nota. I. Nonnulli auctores docuerunt tamquam Votivas etiam dici posse Missas, tum Festi B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, tum Solemnitatis SS. Rosarii B. Mariæ Virginis. Verum quidem est, Missas Votivas horum Mysteriorum concessas fuisse Ordini Carmelitarum, et Ordini Fratrum Prædicatorum ; sed animadvertendum est, quod non liceat speciale privilegium alicui Ordini concessum ad alios extendere sine novo Indulto ; et insuper, quod in editionibus adprobatis Missalis Romani nihil notetur in Rubricis specialibus harum Missarum,

nequidem in Missa SS. Rosarii, per Decretum 5 Augusti 1888 innovata. Ideo nec istæ Missæ possunt tamquam Votivæ legi ; et si Missa petitur cum expresso desiderio honorandi B. Mariam Virginem sub his titulis, dicenda est una de quinque Votivis, juxta congruentiam temporis.

Hæc dicta confirmantur Decreto S. Rituum Congregationis (23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, Dub. V, ad 2), quo declaravit Missas Festivas sub variis titulis B. Mariæ Virginis, ex. gr., de Monte Carmelo, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis, etc., comprehendi in regula exstante pro Missis Festivitatum B. Mariæ Virginis, quæ non possunt uti Votivæ celebrari : exceptis diebus infra Octavam, si cum Octava hæc Festa celebrantur. Pro Missa SS. Rosarii, iterum speciatim rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 3 Julii 1896, n. 3924, ad 2), eam uti Votivam celebrari non posse.

Nota. II. Plures sunt tituli, sub quibus, jucunda et salutari varietate, gloriosissima Dei Mater colitur in diversis orbis Catholici partibus, non tantum privatorum devotione, sed et Officiis et Missis propriis, a Sede Apostolica benigne ad majorem B. Mariæ Virginis gloriam, ejusque cultus omnimodam diffusionem concessis ; non quidem ita ut in universali Ecclesia liturgice celebrari omnes isti tituli jam valeant, et in Kalendario universæ Ecclesiæ adscribantur : sed ut particularium locorum, Diœcesium, regionum, specialibus devotionis testimoniis Matrem Dei prosequentium votis desideriisque satisfiat.

Ex Appendice Missarum, quæ particularibus locis, Diœcesibus, aut Religiosis Familiis a Sancta Sede pro Festis ibi celebrandis concessæ sunt, seliguntur sequentes, quæ referuntur ad varios titulos sub quibus in nostra Diœcesi Mechliniensi B. Maria Virgo passim honoratur et colitur, sive institutis sodalitatibus aut confraternitatibus, sive institutis etiam Festis cum Officio et Missa :

1. Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph, 23 Januarii ;
2. Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ (in Lourdes), 11 Februarii ; concessa Decreto 16 Julii 1890 ;
3. B. Mariæ Virginis de Bono Consilio, 26 Aprilis ;
4. Purissimi Cordis B. Mariæ V., Dominica III post Pentecosten, vel ultima Augusti ;
5. B. Mariæ V. de Misericordia, Feria II Rogationum ;
6. B. Mariæ V. de Gratia, 9 Junii ;
7. B. Mariæ V. sub titulo de perpetuo Succursu, Dominica ante 24 Junii ;
8. Prodigiorum B. Mariæ V., alicubi sub titulo Reginæ Pacis, 9 Julii ;
9. B. Mariæ V. de Consolatione, Dominica post 28 Augusti ;
10. B. Mariæ V., Divini Pastoris Matris, 3 Septembris ;
11. Puritatis B. Mariæ V., Dominica III Octobris ;
12. Patrocinii B. Mariæ V., Dominica II Novembris ;
13. Exspectationis partus B. Mariæ V., 18 Decembris.

Nulla jam ex his Missis a Diœcesis Mechliniensis Sacerdoti-

bus tamquam Votiva in Ecclesiis Diœcesis celebrari potest. Quædam equidem inter eas Festivæ pro Diœcesi sunt in assignatis diebus (nn. 1, 12 et 13); sed istæ Missæ tamquam Votivæ celebrari non possunt. — Duæ econtra sunt, quas tamquam Votivas dicere, speciales earum Rubricæ indicant licere (nn. 2 et 4); sed harum Festivitates usque hodie Diœcesi Mechliniensi concessæ non sunt: atqui istas Missas iis tantum quibus concessæ sunt, et ibi solummodo ubi concesssæ sunt, tamquam Votivas celebrare licitum, communis doctrina tenet.

Q. 213. *Quænam Missæ dicendæ erunt in sequentibus casibus:*

a) *In Festo semiduplici S. Damasi, Papæ et Confessoris, 11 Decembris, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. petitur Missa in honorem Septem Dolorum B. Mariæ V.?*

R. Missa Septem Dolorum B. Mariæ V. ex iis est, quæ per exceptionem tamquam Votiva dici potest; sed in præsenti casu, cum celebretur Octava Immaculatæ Conceptionis, etiamsi de eadem non fuerit eo die recitatum Officium, non convenit aliud Mysterium ejusdem B. Mariæ V. ob solum votum seu desiderium honorare per Missam Votivam, relicto Mysterio quod Ecclesiæ determinata voluntate liturgice tunc temporis colitur: itaque celebrabitur Missa Votiva de Immaculata Conceptione, cum intentione colendi Mysterium Septem Dolorum; et si expresse jam hujus Mysterii propia Missa desideraretur, remittenda foret Missa Votiva ad alium diem liberum.

b) *Petitur Missa in honorem B. Mariæ V. sub titulo:* **Notre-Dame du Sacré Cœur** *?*

R. Sub hoc titulo, pia sodalitia, quæ plurimos numerant asseclas, et a Sede Apostolica indulgentiarum favoribus sunt ditata, invocant B. Mariam V. uti earum Dominam, non autem quasi B. Maria V. imperium exerceat super Filio suo. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, VII, 1875, pag. 205-208.) Etiam in iis Ecclesiis, in quibus hæc sodalitia instituta sunt, absque speciali Indulto, alia Missa non potest dici ad honorandum B. Mariam V. sub hoc titulo, quam illa ex quinque Missis Votivis, quæ congruit tempori quo Missa celebratur.

c) *Petitur Missa de B. Maria V. sub titulo:* **Notre-Dame de Lourdes** *?*

R. Cum B. Maria V. apparuerit in hoc loco sub titulo Immaculatæ Conceptionis, certe satisfit intentioni petentium, si dicitur Missa Votiva de Immaculata Conceptione, cujus Introitus est : *Gaudens gaudebo,* ut in Festo, 8 Decembris. Videtur tamen etiam satisfieri, si dicitur una ex quinque Missis Votivis, juxta temporis congruentiam. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, X, 1878, pag. 452.) Sicuti dictum jam fuit Quæstione 212, in Nota 2ª, nova Missa recens concessa **Apparitionis B. Mariæ** V. Immaculatæ, cujus Introitus est : *Vidi civitatem sanctam,* absque Indulto speciali inscriptionis hujus Festi in Kalendario Diœcesis Mechliniensis, hucusque (anno 1902) nondum concesso, a Sacerdotibus Diœcesis tamquam Votiva celebrari nequit.

B. De Missis Votivis in honorem reliquorum Sanctorum

Q. 214. *De quibus Sanctis dici possunt Missæ Votivæ ?*

R. Missæ Votivæ dici possunt de quibuscumque Sanctis canonizatis, qui in Martyrologio, sive Romano, sive alio Ordinum Religiosorum referuntur, aut in liturgico Kalendario particulari cujuscumque Diœcesis adscripti sunt, aut ex aliquo authentico documento in Sanctorum numerum relati cognoscuntur; quorum itaque cultus ab Ecclesia comprobatus est.

De Sanctis in Martyrologio non descriptis, aut ad quorum honorem et cultum a Sancta Sede non fuit specialiter concessum Officium cum Missa, etiamsi ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asservarentur, Missas Votivas celebrare non licet, juxta Decretum Generale S. Rituum Congregationis, 11 Augusti 1691 (n. 1853, antiq. 3246).

Si pro aliquo Sancto, cujus cultus toleratur, ab Apostolica Sede Missa Festiva concessa alicubi reperitur, vel ab immemorabili tempore in ejus honorem Missa celebrata fuit, de eodem etiam Missa Votiva permittitur.

Non vero sufficit quod nomen aliquod inscriptum reperiatur in quovis catalogo minime authentico, qualis æstimandus est qui annue a diversis editur sub nomine « almanach » ; in hujusmodi annuis publicationi-

bus plurima occurrunt nomina aliunde ignota ; et eo unice quod ibi inscripta sunt, non sufficiens habetur cultus probatio, ut Missa in honorem hujus Sancti vel Sanctæ celebrari valeat.

Q. 215. *An de Beatis dici possunt Missæ Votivæ ? Quare ?*

R. De mere Beatis Missæ Votivæ celebrari non possunt, etiam ubi Officium et Missa in eorum Festis concessa fuerint, nisi id speciali Apostolico Indulto fuerit permissum.

Ratio ab auctoribus sequens datur, quia Beatificatio non tribuit plenum et universalem cultum, sed solum illum qui in Beatificationis Bulla exprimitur ; et licentia non tribuitur Beatos publice colendi recitatione Officii et celebratione Missæ, nisi determinatis personis, et pro diebus et locis determinatis ; ergo non est licitum prædictos limites excedere, et quocumque die, in quacumque Ecclesia, pro cujuslibet devotione, Missam Votivam alicujus Beati celebrare.

Itaque non licet dicere Missas Votivas, ex. gr., de Beata Margarita Maria Alacoque, Virgine, etiamsi ejusdem Festi celebratio, 17 Octobris, speciali Indulto concessa fuerit Archidiœcesi Mechliniensi ; neque de Beato Gerardo Maria Majella, Confessore, cujus cultus singulari modo jam hodie propagatur ; etc.

Q. 216. *Quæ Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum Missæ in Missali Romano describuntur ?*

R. I. Si Sanctus in Missali Romano, intellige in corpore Missalis, in ejus tertia parte (cfr. Q. 35), habet Missam propriam, hæc dicenda est, modo extra festivitatem, id est, extra diem proprium Festo in Kalendario assignatum, verba retineant veritatem ; vel, ut hæc veritas servetur, modica tantum opus sit mutatione.

Modica censetur mutatio :

a) Si in Orationibus occurrant verba *natalitia, festivitas, solemnitas*, et alia hujusmodi ; quæ commutantur in *memoria*, vel *commemoratio ;* ex. gr., in Oratione S. Antonii de Padua (13 Junii), loco vocis *solemnitas* in Missis Votivis dicitur *commemoratio*. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1882, n. 3539, antiq. 5834, ad 1 ; et 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 1.)

b) Si ibidem occurrant verba *hodie, hujus diei, hodierna die, annua etc.;* quæ omittuntur ; ex. gr., in Postcommunione Missæ S. Aloysii Gonzagæ (21 Junii), omittitur in Missis Votivis quæ ibi habetur vox *hodie*. (Decreta S. Rituum Congregationis supra citata.)

c) Si integra pars aliqua Missæ extra diem Festum vera non est, ex. gr., si in Missa propria habetur Introitus : *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, etc. ;* hæc pars propria commutatur in aliam de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti cujus Missa Votiva est celebranda ; ex. gr., pro Missa Votiva de Sancta Agatha (5 Februarii), loco Introitus *Gaudeamus,* dicendus erit Introitus Missæ de Communi Virginis et Martyris *Loquebar ;* pro Missa Votiva de S. Anna (26 Julii), loco ejusdem Introitus, dicetur Introitus *Cognovi Domine,* de Communi nec Virginis nec Martyris.

d) Si ratione temporis anni ecclesiastici, aliqua Missæ propriæ pars mutanda est, quod locum habere potest pro Graduali, Versu Allelujatico, Tractu, vel Versu Allelujatico Temporis Paschalis ; quæ desumuntur in casu ex Missa de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti cujus Missa Votiva dicenda est.

II. Si Sanctus in Missali Romano non habet Missam propriam, sed e Communi Sanctorum sumptam, hæc etiam pro Votiva dicenda erit ; et si aliquam partem tantum propriam habet, ex. gr., Orationem, hæc propria pars etiam dicitur, cum mutationibus, si occurrant faciendæ, ut supra (I, a, b) assignatæ fuerunt.

Ordinarie, saltem in ultimis editionibus Missalis, indicantur Missæ dicendæ pro Sanctis, qui in die proprio Festivo Commemorationem tantum habent, quando eodem die dicuntur Missæ de occurrente Festo potioris ritus. Pro Missa Votiva dicitur hæc indicata Missa.

III. Si Sanctus in Missali Romano habet Missam propriam, sed et ita propriam quod extra proprium diem Festi in nulla fere parte veritas verborum servari possit, tunc pro Missa Votiva, relicta Missa propria, sumitur Missa de Communi Sanctorum juxta qualitatem Sancti.

Hoc suppositum proponitur ab auctoribus ; sed pro

praxi nullum exemplum afferri potest ; et usuvenit generatim regula supra sub I posita.

Q. 217. *Quæ Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum Missæ describuntur sive in Appendicibus Missalis, sive in adjuncto Proprio regionis vel Diœcesis ?*

R. Certum est de omnibus Sanctis in his Appendicibus et adnexis Propriis assignatis, dici posse a quocumque Sacerdote Missas Votivas, ut supra Quæstione 214 dictum fuit. Sed animadvertendum est, quod propriæ horum Sanctorum Missæ ibi descriptæ tamquam Votivæ ab iis tantum dici possunt Sacerdotibus, qui easdem tamquam Festivas, in propriis Festis diebus horum Sanctorum, ex concessionibus particularibus celebrare valent ; alii autem Sacerdotes, de his Sanctis Missam Votivam celebrantes, dicent Missam, non propriam seu particularem, sed de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti de quo Missam Votivam dicere debent.

Exempla : Sacerdos Diœcesis Mechliniensis, qui debet celebrare Missam Votivam : 1° de S. Rumoldo, Episcopo et Martyre, profecto poterit dicere, extra Tempus Paschale, Missam propriam e Proprio Diœcesis Mechliniensis, 1 Julii, mutato, qui extra diem Festum et Octavam non convenit, Introitu *Gaudeamus* cum alio de Communi Martyris Pontificis ; — 2° de S. Juliano, Episcopo et Confessore, dicet Missam cum Orationibus propriis in Appendice Missalis assignatis ; — cum enim istæ Missæ Diœcesi Mechliniensi concessæ sint pro istorum Sanctorum Festis, dici poterunt etiam, in ista Diœcesi et a clero Diœcesis, tamquam Votivæ.

E contra, Sacerdos Diœcesis Mechliniensis, qui debet celebrare Missas Votivas, ex. gr., de S. Benedicto Josepho Labre, Confessore, de S. Francisco Regis, Confessore, de S. Michaële de Sanctis, Confessore, reperiet quidem in Appendice Missalis Missas proprias horum Sanctorum, aliquibus locis concessas ; sed quia horum Festorum celebratio concessa non est Diœcesi Mechliniensi, etiam non concessæ sunt Missæ propriæ, et Sacerdos dicet Missas de his Sanctis Votivas cum formulari desumpto e Communi Confessoris non Pontificis. — Similiter, si idem Sacerdos Missam celebrare debet Votivam de S. Eleutherio, Episcopo Tornacensi et Confessore, pro quo Missa propria assignatur in Proprio Diœcesis Tornacensis, dicet Missam Votivam, non quæ huic Diœcesi est concessa, sed sumptam de Communi Confessoris Pontificis.

Quodnam formulare in tali casu sumendum est, si plura dantur in Communi Sanctorum pro Sanctis ejusdem qualitatis ? Si in Missa propria Sancti reperitur aliqua pars, ex. gr., Oratio, vel Secreta, vel Postcommunio, vel Epistola, vel Evangelium, desumpta ex una alterave Missarum de Communi ejus qualitatis, cujus est Sanctus de quo Missa est celebranda, poterit ejusdem Missæ formulare totum assumi ; alias eliget Sacerdos unam ex pluribus de Communi eodem, prout placuerit vel devotio suggesserit.

Igitur in casu Sacerdos, qui debet dicere Missam Votivam de S. Benedicto Josepho Labre, Confessore, vel de S. Michaële de Sanctis, Confessore, sumet Missam de Communi Confessoris non Pontificis, nempe vel *Os justi*, vel *Justus ut palma*. Pro Missa Votiva vero de S. Francisco Regis, Confessore, dicet Missam *Os justi*, cum Oratione hujus Missæ.

Q. 218. *Quænam Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum neque in Missali Romano, neque in Appendicibus, neque in Propriis locorum, nulla fit mentio ?*

R. Cum in tali casu nulla adsit indicatio, quæ unam alteramve ex pluribus Missis ejusdem Communis esse præferendam ostendat, Sacerdos pro celebranda Missa Votiva, modo constet de cultu ab Ecclesia comprobato, dicet de Communi Missam, quæ magis placuerit, vel quam devotio suggesserit.

Q. 219. *Quid animadvertendum est pro Missis Votivis quæ dicendæ sunt de Sanctis Martyribus ?*

R. In hujus Tractatus Notionibus præviis, ubi exponitur ordo Missarum de Communi Sanctorum, in quarta parte Missalis (cfr. Q. 36), signatum fuit, pro Sanctis Martyribus dari Missas de Communi, diversas tum pro Tempore Paschali, tum extra Tempus Paschale. Hujus Temporis distinctionis etiam habenda est ratio in celebratione Missarum Votivarum.

Itaque, si de aliquo Sancto Martyre, aut de Sanctis Martyribus celebranda est Missa Votiva, distinguendum est pro ratione Temporis, ut Missa dicenda determinetur, nempe :

1° Si extra Tempus Paschale celebranda est Missa

Votiva de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Missa Festiva, propria vel de Communi, reperitur indicata in Missali extra Tempus Paschale, hæc Missa propria vel de Communi dicetur etiam pro Missa Votiva, servata veritate, ut supra Q. 216 notatur.

2° Similiter, si Tempore Paschali celebranda est talis Missa Votiva, quæ in Missali describitur pro eodem Tempore tamquam Festiva, hæc itidem pro Votiva dicetur, prout jacet, in quantum servatur veritas.

3° Si extra Tempus Paschale contigerit celebrari Missam Votivam de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Festum Tempore Paschali occurrit, et Missa Festiva de Communi pro hoc Tempore assignatur, non poterit hæc Festiva Missa Temporis Paschalis dici tamquam Votiva, sed sumenda erit Missa ex respectivo Communi extra Tempus Paschale, iis tamen retentis quæ Sancti vel Sanctorum Missæ reperiuntur omnino propria, ex. gr., Orationibus.

Et si Missa est in omnibus propria, modo servetur veritas, ut Q. 216 dictum fuit, dicitur quidem pro Votiva, sed mutantur quæcumque propria sunt Tempori Paschali; scilicet: omittitur *Alleluja* ad Introitum, ad Offertorium, et ad Communionem; et dicitur Graduale, cum Versu allelujatico, aut cum Tractu, loco *Magni Alleluja* Temporis Paschalis (cfr. Q. 137).

Exempla: Si dicenda est Missa Votiva de S. Georgio, Martyre (23 Aprilis), non potest dici pro Votiva Missa ejus Festi, nempe *Protexisti*, de Communi unius Martyris Tempore Paschali, sed dicenda est Missa *In virtute*, prima de Communi unius Martyris non Pontificis extra Tempus Paschale, quemadmodum indicatur in Missali post Missam Festivam.

Si dicenda est Missa Votiva de S. Justino, Martyre (14 Aprilis), dicetur quidem pro Votiva Missa ejus Festi, quæ tota propria est, ita quidem ut extra Festum in omnibus veritas servetur; sed omittendum erit *Alleluja* ad Introitum, Offertorium et Communionem, et loco *Magni Alleluja* dicendum erit Graduale, ut supra in responso dicitur.

Notari potest, quod in Festis SS. Martyrum quæ occurrunt Tempore Paschali, mensibus Aprilis et Maji, Missale regulariter indicat post eorum Missam Festivam, quomodo Missa sit ordinanda, casu quo dicenda est extra Tempus Paschale.

4° Itidem, si Tempore Paschali contigerit celebrari

Missam Votivam de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Festum extra Tempus Paschale occurrit, et Missa Festiva, sive propria, sive de Communi extra Tempus Paschale assignatur, pro Votiva dicetur non Missa propria, vel de Communi extra Tempus Paschale, sed Missa de Communi Martyrum Tempore Paschali, retentis tamen iis quæ omnino propria sunt.

Exemplum : Si de S. Rumoldo est celebranda Missa Votiva Tempore Paschali dicetur, non Missa propria Festi quod 1 Julii in Diœcesi Mechliniensi celebratur, sed Missa de Communi unius Martyris Tempore Paschali, cujus Introitus incipit : *Protexisti me, Deus ;* retentis tamen ex Missa propria Oratione, Secreta et Postcommunione, quæ omnia propria sunt de S. Rumoldo.

Q. 220. *Quænam Missa pro Votiva dicenda erit, si petitur Votiva, 1° de pluribus Sanctis ejusdem qualitatis ; 2° de pluribus Sanctis, qui non sunt ejusdem qualitatis ; 3° de uno Sancto, qui in Kalendario cum alio Sancto, vel aliis Sanctis simul adscriptus est ; 4° de Sanctis, sed simul pro aliqua necessitate ?*

R. I. Quando Missa Votiva celebranda est de pluribus Sanctis, qui simul non sunt adscripti in Kalendario, et proinde communem Missam Festivam non habent ; qui tamen sunt ejusdem qualitatis, puta plures Confessores Pontifices, ex. gr., de Sanctis Martino et Amando ; — tunc pro Votiva sumitur Missa de Communi Sanctorum hujus qualitatis ; quæ autem in Orationibus hujus Missæ de Communi referuntur ad unum Sanctum, dicuntur in plurali. Et casu quo unus alterve, vel uterque Sanctorum, de quibus Missa Votiva dicitur, haberet Missam propriam, hæc propria omittitur, et nihilominus præfertur Missa de Communi ; sic in exemplo allato omittetur Missa propria S. Martini.

II. Quando Missa Votiva celebranda est de pluribus Sanctis, qui simul non sunt adscripti in Kalendario, et qui non ejusdem sunt qualitatis, ex. gr., de Sanctis Rumoldo et Francisco ; — tunc dicitur Missa de digniore, et dicuntur Oratio, Secreta et Postcommunio, quæ conveniunt omnibus Sanctis, quales habentur in Missa S. Callisti, Papæ et Martyris, 14 Octobris.

Videtur tamen quod in quibusdam casibus proposita solutio non convenientior erit, et aliquando alio modo melius poterit fieri ; si, ex. gr., celebranda esset Missa Votiva de Sancto Joseph simul et de Sancta Barbara, qui invocantur ambo tamquam patroni bonæ mortis, dicetur quidem Missa de S. Joseph ; sed in ea, salvo meliori, placeret magis dicere primam Orationem de S. Joseph, et post Orationes omnes quæ vi Rubricarum, aut quocumque alio titulo dici in hac Missa Votiva debent, dicere, tamquam Orationem Votivam quam ad libitum meum addere possum, Orationem S. Barbaræ, superaddita adhuc, si impar numerus eam requireret, alia Oratione ad libitum.

III. Quando Missa Votiva celebranda est de aliquo Sancto, qui in Kalendario adscriptus est simul cum alio Sancto, aut cum aliis Sanctis ; si in Sanctorum istorum Missa communi propria veritas verborum servetur in quibusdam partibus propriis, etiamsi pro uno Sancto tantum diceretur, dici poterit hæc communis Missa propria tamquam Votiva, mutatis tamen Orationibus, quæ pro qualitate Sancti de quo Missa celebranda est, sumentur e Missa de Communi, de unico tantum Sancto dicendæ. Si vero in ista Missa communi omnia jam referantur ad plures Sanctos, sumi poterit pro Missa Votiva de uno Missa de Communi quæ convenit qualitati istius Sancti.

Exemplum : si Missa Votiva celebranda est de S. Sebastiano, Martyre non Pontifice, cum in ejus Missa propria Festi, 20 Januarii, quam communem habet cum S. Fabiano, Martyre Pontifice, omnia jam referantur ad plures Sanctos Martyres, dicetur pro S. Sebastiano Missa Votiva, desumpta e Communi unius Martyris non Pontificis.

IV. Casu quo duplex sit votum seu desiderium celebrantis, vel petentis Missam Votivam ; si, ex. gr., petitur Missa Votiva de S. Joseph, et simul ad postulandam gratiam bene moriendi ; vel Missa Votiva de S. Maria Magdalena, et simul pro remissione peccatorum ; tunc pro Votiva dicetur Missa de Sanctis ; quia celebrans vel petens censetur per intercessionem Sanctorum velle obtinere quod intendit ; congruenter autem addetur Oratio pro necessitate, quæ correspondet voto seu de-

siderio superaddito ; sed hæc dicenda erit tamquam Oratio Votiva ad libitum addita, post omnes Orationes ex præscripto Rubricarum aut alio titulo dicendas.

221. Adduntur hic aliæ quædam solutiones, pro quibusdam casibus specialibus Missarum Votivarum de Sanctis ; et indicantur Missæ dicendæ cum celebrantur Votivæ :

1° **De SS. Angelis.** — Dicitur Missa Votiva de SS. Angelis, quæ ponitur in fine Missalis Romani inter Votivas. Dici potest etiam Missa de S. Michaele Archangelo, prout in ejus Dedicationis Festo, 29 Septembris, mutando quæ non convenirent Tempori, eaque sumendo ex Missa Votiva de SS. Angelis, quæ supra indicatur. Item dici potest ut Votiva Missa de SS. Angelis Custodibus, quæ habetur in Missali pro Festo SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris. Et quia Diœcesi Mechliniensi concessa sunt Festa S. Gabrielis, Archangeli, 18 Martii, et S. Raphaelis, Archangeli, 24 Octobris, nobis etiam licebit pro his SS. Archangelis eorum Missas tamquam Votivas dicere, desumptis eis quæ mutanda sunt pro Temporis varietate, ex Missa Votiva de SS. Angelis, quæ ponitur in fine Missalis.

2° **De S. Joanne Baptista.** — Poterit dici Missa Votiva ut in Festo ejus Nativitatis, 24 Junii ; juxta quosdam auctores Oratio, Secreta et Postcommunio sumendæ sunt ex Missa Vigiliæ ejusdem Festi ; sed post Decretum S. Rituum Congregationis, 23 Junii 1893 (n. 3803), quo rescripsit, pro Suffragio S. Joannis Baptistæ, Titularis Ecclesiæ, recitandam esse in Officio Orationem Festi Nativitatis S. Joannis Baptistæ, mutata voce *nativitate* in vocem *commemoratione*, dicendum videtur eamdem Orationem, prout indicatur, etiam in Missis Votivis apte recitari ; idemque faciendum in Secreta ; ac in Postcommunione pro voce *generatione* apte dici *commemoratione*. — Post Septuagesimam vero Tractus sumitur ex Missa *In virtute tua*, quæ prima est de Communi unius Martyris non Pontificis, scilicet : *Desiderium etc.* Tempore Paschali, Magnum Alleluja sumitur ex secunda Missa de Communi Confessoris non Pontificis, *Justus ut palma*, scilicet : *Beatus vir*, et *Justus germinabit.*

3° **De S. Joseph.** — Juxta Decretum S. Rituum Congregationis (6 Februarii 1892, n. 3764, ad 9), pro Missa Votiva non dicitur formulare Missæ ut in ejus Festo, 19 Martii, sed semper adhibendum est formulare Missæ, quæ correspondet Officio Votivo concesso pro Feriis quartis per annum liberis, a Summo Pontifice Leone XIII, per Decretum S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1883.

4° **De SS. Apostolis Petro et Paulo.** — Extra Tempus Paschale dicitur Missa quæ ponitur inter Votivas in fine Missalis. Tempore Paschali vero dicitur Missa *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, 25 Aprilis, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ dicuntur ut extra Tempus Paschale.

5° **De S. Apostolo Petro,** vel de **S. Apostolo Paulo,** seorsum. — Dicitur Missa Votiva, utrique communis, quæ ponitur inter Votivas in fine Missalis, cum speciali intentione honorandi illum de quo seorsum Missa Votiva celebranda est. Numquam enim separandi sunt ii quos Ecclesia semper conjungit. Si Missa Votiva esset celebranda in honorem Conversionis S. Pauli, dici potest Missa ut in hoc Festo, 25 Januarii, mutatis pro ratione Temporis mutandis ; sed tunc debet fieri etiam Commemoratio S. Petri, ante alias omnes Commemorationes.

6° **De S. Apostolo Joanne Evangelista.** — Extra Tempus Paschale dicitur Missa Votiva ut in Festo, 27 Decembris ; post Septuagesimam sumitur Tractus ex Missa Votiva de SS. Apostolis. Dicitur Præfatio de Apostolis. Tempore Paschali vero dicitur pro Votiva, Missa ut in Festo S. Joannis ante Portam Latinam, 6 Maji.

7° **De alio S. Apostolo.** — Extra Tempus Paschale dicitur ejus Missa propria ; si quæ tamen in ea Missa propria non possent extra Festivitatem servari, eorum loco dicuntur quæ correspondent in Missa Votiva de SS. Apostolis, concessa pro Feriis tertiis liberis, a Leone XIII, per Decretum 5 Julii 1883. Tempore Paschali autem dicitur Missa *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, 25 Aprilis, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ desumuntur ex Missa propria. — Pro S. Philippo, aut S. Jacobo, quorum Festum celebratur commune, 1 Maji, dicitur Missa Votiva de SS. Apostolis, supra indicata, iis servatis ex propria Missa Festi, quæ alterutro conveniunt. — Pro Missa Votiva de S. Marco, extra Tempus Paschale, dicitur Missa ut in Festo S. Lucæ, Evangelistæ, cum Orationibus et Epistola ex Missa propria S. Marci.

8° **De pluribus SS. Apostolis.** — Si Missa Votiva celebratur de duobus SS. Apostolis qui Festum commune habent, nempe, de SS. Philippo et Jacobo (minori), quorum dies Festus est 1 Maji, aut de SS. Simone et Juda (Thaddæo), qui coluntur 28 Octobris, pro Votiva dicetur eorum Missa propria ; in Missa Votiva SS. Philippi et Jacobi, quando celebratur extra Tempus Paschale, dicitur Graduale, ut post Missam Festi indicatur, et post Septuagesimam dicitur Tractus e Missa Votiva de SS. Apostolis ; pro Missa Votiva de SS. Simone et Juda, Tempore Paschali, dicitur Missa *Protexisti*, quæ indicatur pro hoc Tempore post Missam Votivam de SS. Apostolis, retentis Orationibus et Evangelio ex Missa propria.

Si Missa Votiva celebratur de duobus SS. Apostolis qui Festum commune non habent, aut de pluribus SS. Apostolis, dicitur Missa Votiva de SS. Apostolis, concessa per Decretum 5 Julii 1883. Tempore Paschali autem dicitur Missa *Protexisti*, ut ibidem describitur. Quæ vero propria habentur in Missa Festi unius alteriusve S. Apostoli, de quo simul cum aliis Missa Votiva celebratur, hæc in Votiva Missa omittuntur.

9° **De Omnibus Sanctis.** — Extra Tempus Paschale, dicitur Missa de Festo Omnium Sanctorum, 1 Novembris, excepto quod loco Introitus *Gaudeamus*, dicitur Introitus *Timete Domi-*

num. ex Missa propria SS. Cyriaci et Sociorum. Martyrum, 8 Augusti ; vel Introitus *Sapientiam*, ex Missa de Communi plurimorum Martyrum : et loco Orationis Festi dicitur Oratio *Concede, quæsumus, etc.*, quæ prima ponitur inter Orationes diversas, in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38). Si quando in hac Missa Votiva, juxta regulas postea exponendas, assignaretur tertio loco Oratio *A cunctis*, omittitur hæc Oratio, ejusque loco dicitur Oratio *de Spiritu sancto*.

Quodsi hæc Missa Votiva de Omnibus Sanctis sit celebranda Tempore Paschali, non dicitur Missa Festi 1 Novembris, sed poterit dici Missa de Communi plurimorum Martyrum pro Tempore Paschali, cujus Introitus est : *Sancti tui, etc.*, cum Oratione *Concede, quæsumus, etc.*, supra assignata.

§ 2. De Missis Votivis de Mysteriis

Q. 222. *Quid hic intelligitur per Missas de Mysteriis ?*

R. Intelliguntur Missæ, vel a) de Tempore anni ecclesiastici, scilicet, de Dominicis, et de Feriis per annum, in quibus recoluntur facta vel dicta, relate ad vitam et doctrinam Christi Salvatoris, et institutionem Sanctæ Ecclesiæ ; — vel b) speciatim de præcipuis Mysteriis Nativitatis, Vitæ, Passionis, gloriosæ Resurrectionis, Ascensionis, etc. Domini nostri ; — vel c) illæ quibus recoluntur præcipua dogmata nostræ religionis, qualia sunt SS. Trinitatis, SS. Sacramentum, sanctus Spiritus, etc.

Q. 223. *An Missæ de Tempore tamquam Votivæ dici possunt ?*

R. Missæ de Tempore, scilicet de Dominicis, et de Feriis per annum, quibus et adde Missas de Vigiliis, dici non possunt tamquam Votivæ ; ratio dari potest, quia istæ Missæ assignantur proprio suo tempore anni ecclesiastici, cujus ordinem intervertere nullatenus convenit : patet enim, Missam de aliqua Dominica Adventus non convenire Tempori Quadragesimæ, aut alii Tempori anni ecclesiastici ; neque Missam de Tempore Quadragesimæ Tempori Paschali ; etc.

Nota. Dicitur quod Missæ de Feriis non possunt dici tamquam Votivæ. Animadvertendum tamen est, quod nihil obstat, quominus in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, dici possit Missa de occurrente Feria, in colore violaceo, ab eo qui in

hujusmodi Feria recitavit aliquod Officium Votivum ; S. Rituum Congregatio, Decreto 30 Augusti 1892 (n. 3792, ad 7), id fieri posse rescripsit. Talis Missa tunc nec Votiva est, nec more Votivo, sed de die, de Feria occurrente, cujus non fuit recitatum Officium per accidens, et ex indulto. Sicut enim Votivæ non sunt Missæ de hujusmodi Feriis conventuales, quæ celebrari debent in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ita nec Votiva vocari potest Missa ferialis, quæ dicitur post Officium Votivum recitatum, dummodo sit de Feria occurrente. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, V, 1891, pag. 689 et sqq.)

Qui autem celebrat in casu Missam de Feria, dicere debet in hac Missa Commemorationem Officii recitati, licet Votivi, quia Missa ferialis fit ritu simplici, et Commemorationes plures admittit, maxime illam de Officio recitato. Ita Decretum supra citatum. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 588.)

Q. 224. *Possuntne celebrari Missæ Votivæ de quibuscumque Mysteriis aut Solemnitatibus per annum ?*

R. Quædam per annum Mysteria, de Vita et Resurrectione Christi celebrata, ita certo ac determinato tempori anni ecclesiastici sunt propria et affixa, ut, ex mente Ecclesiæ, de illis alio tempore Missas celebrare nullatenus conveniat ; qualia reputantur Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Resurrectio, Ascensio Domini ; et proinde de hujusmodi Mysteriis nequeunt Missæ Votivæ celebrari.

Q. 225. *Quid faciendum si Missa in honorem hujusmodi Mysteriorum sit celebranda ?*

R. Quando petitur, aut ex tenore fundationis dicenda est Missa Votiva de Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Resurrectione, Ascensione Domini, fit satis celebrando Missam diei cum intentione colendi hoc vel illud Mysterium ; vel, juxta Guyetum, sumi potest Missa Votiva de SS. Trinitate, cum intentione venerandi Mysterium, de quo Missa petitur. (Guyetus, *Heortologia*, Lib. IV, Cap. 21, Q. 2.)

Q. 226. *Quænam sunt Mysteria quorum Missæ dici possunt Votivæ ; et quænam Missæ pro Votivis dici debent ?*

R. Recoluntur quædam per annum Mysteria, quæ anni ecclesiastici tempori non ita sunt propria seu affixa, ut non æquo et pari jure valeat et alio tempore eorum commemoratio peragi; de quibus ut Votivæ Missæ peragantur Ecclesia indulget; unde in Missali Romano describuntur Missæ Votivæ de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Passione Domini, de Cruce. De his Mysteriis tamen non licet pro Votivis dicere Missas in propriis festivitatibus horum Mysteriorum per annum descriptas, sed sumendæ omnino sunt Missæ tamquam Votivæ propositæ in quinta Missalis Romani parte. (Cfr. Q. 37.)

Insuper præter istas Missas ex fine Missalis desumptas, tres sunt assignatæ in Proprio Sanctorum, quæ pro Votivis quoque sumi possunt, ut patet ex Rubricis specialibus harum Missarum; sunt Missæ: SS. Nominis Jesu, cujus Festum agitur Dominica II post Epiphaniam (in Missali ante Missas Festorum Januarii); SS. Cordis Jesu, cujus Festum agitur Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi (in Missali ante Missas Festorum Junii); et Pretiosissimi Sanguinis Domini, cujus Festum agitur Dominica I Julii (in Missali ante Missas Festorum Julii).

Præterea pro Missa Votiva in honorem Exaltationis S. Crucis, declaravit S. Rituum Congregatio sumi posse formulare Missæ Festi (14 Septembris), sed « Orationem sumendam ex Missa Votiva de Cruce in fine Missalis. » (Decret. 11 Martii 1882, n. 3539, antiq. 5834, ad 1.) — Idem dici poterit de Missa Votiva in honorem Inventionis ejusdem S. Crucis (3 Maji), mutatis tamen mutandis ratione Temporis Paschalis, quæ desumentur ex Missa Exaltationis S. Crucis. (Decret. 16 Februarii 1754, n. 2430, antiq. 4241.)

Nota. I. Missæ superius assignatæ tamquam Votivæ, ex quinta Missalis Romani parte, scilicet, de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Passione Domini, de Cruce, ibi simul cum quibusdam Missis Votivis de Sanctis, nempe de SS. Angelis, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de B. Maria Virgine, ordinantur, ut quibusdam in casibus, qui determinantur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. IV, n. 3), suffragari possint pro Missa conventuali, quæ alias deberet esse conformis Officio.

Istæ Missæ sunt itaque primo et principaliter conventuales, respectivis diebus liberis adhibendæ in Ecclesiis quæ ad persolvendum in Choro Officium divinum tenentur. In nostra Diœcesi unica hodiedum existit hujusmodi Ecclesia cleri sæcularis, nempe Ecclesia Metropolitana S. Rumoldi in civitate Mechliniensi. Et in hac Ecclesia quidem non amplius tamquam conventuales celebrandæ veniunt præfatæ Missæ Votivæ, ex quo, juxta Apostolicum Indultum 5 Julii 1883, de consensu Capituli, ab Archiepiscopo semel pro semper approbato, in diebus quibus istæ Missæ poterant celebrari pro Missa conventuali, ibi Officia Votiva pro singulis hebdomadæ diebus liberis eodem Indulto concessa, et respectivæ Missæ persolvuntur et celebrantur.

Cæterum istæ Missæ, pro conventualibus assignatæ, possunt in celebrandis « Missis privatis, » id est, non conventualibus (cfr. Q. 12), pro Votivis ad arbitrium Sacerdotum dici, quocumque die libero, ut notat Rubrica Missalis loco citato (Tit. IV, n. 3).

Nota. II. Tamquam « Missæ Votivæ per annum » inscribuntur etiam Missæ pro singulis hebdomadæ Feriis concessæ a Leone XIII, correspondentes Officiis Votivis iisdem diebus concessis (cfr. Q. 41). Inter ipsas duæ recensentur de Mysteriis, nempe de SS. Eucharistiæ Sacramento, et de Passione Domini, quarum tenor idem omnino est, qualis pro respectivis Mysteriis describitur in Missis Votivis de quibus in præcedenti Nota agitur.

Istæ Missæ dicuntur Votivæ, sed non eodem sensu quo Missæ quæ Officio non sunt conformes (cfr. Q. 204, Nota II) : ab eis qui his diebus persolverunt præfata Officia, celebrandæ sunt, non more Votivo, sed Festivo, utpote conformes Horis canonicis recitatis ; itaque dicuntur ut in Semiduplicibus, cum Hymno *Gloria in excelsis,* cum Commemorationibus de Simplici, de Feria majori, ac Vigilia, aut cum Orationibus secunda et tertia pro Temporis diversitate ; sine *Credo,* etiamsi sub ritu duplici, imo sub ritu duplici majori aliquando sint concessæ (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § 1) ; et cum Evangelio Feriæ majoris aut Vigiliæ in fine.

Qui vero hisce diebus, persoluto Officio Feriali, aut de Festo simplici, celebrarent Missas præfatas, eas deberent dicere tamquam Votivas, utpote Officio diei quod recitarunt non correspondentes.

Q. 227. *Quænam Missa est dicenda, si petitur Votiva de Oratione D. N. in monte Oliveti, de Corona Spinea, de Lancea et Clavis, de Sancta Sindone, de Sacris quinque Vulneribus ?*

R. Cum per Indultum Apostolicum 28 Julii 1874, ad nostram Diœcesim extensa fuerint Officia istorum Mysteriorum, dici possunt pro Votivis eorum Missæ propriæ in Appendice Missalis (cfr. Q. 42) descriptæ ; quæ vero in eis Missis propria non possent servari, desu-

muntur ex Missa Votiva de Cruce, vel de Passione Domini, in Missalis Romani quinta parte.

Q. 228. *Quænam Missa dicenda est pro Votiva de SS. Corde Jesu?*

R. Dicenda est in nostra Diœcesi Missa *Miserebitur*, ut in Festo (in Missali in Proprio Missarum de Sanctis, ante Festa Junii, pro Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi). Omittitur extra Tempus Paschale ad Introitum utrumque *Alleluja*; item omittitur *Alleluja* ad Offertorium et ad Communionem. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1865, n. 3137, antiq. 5351, ad 5; et 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 10; ibi legendum est « Affirmative » pro « Negative », uti notatur in Indice Decretorum, pag. 129.) Quæ pro diversitate Temporis mutanda sunt ad Graduale, si in Missa Festiva forte non indicantur, desumi possunt ex altera de SS. Corde Jesu Missa *Egredimini*, quæ reperitur in Appendice Missalis. (Decret. 29 Februarii 1868, n. 3168, antiq. 5393, ad 1.)

Q. 229. *Quænam Missa dicenda est, si petitur in honorem 1° Sacri Vultus D. N. (la Sainte Face), et pro reparatione blasphemiarum; — 2° Sanctæ Familiæ; — 3° Pueri Jesu, cujus Imago colitur Pragis?*

R. 1° Dicenda est Missa Votiva de Passione Domini, quæ habetur inter Votivas, in quinta parte Missalis.

2° Per Decretum S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1897, Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, concessum fuit Archidiœcesi Mechliniensi, celebrandum Dominica III post Epiphaniam, cum Officio ac Missa propriis; ergo hæc Missa tamquam Votiva in nostris Ecclesiis poterit celebrari.

3° Sumi poterit Missa Festi SS. Nominis Jesu, in Missali inter Festa Januarii, pro Dominica II post Epiphaniam.

§ 3. De Missis Votivis pro diversis rebus

Q. 230. *Quot, et quæ sunt Missæ Votivæ, quæ in Missali describuntur dicendæ pro diversis rebus?*

R. Tredecim sunt Missæ, quæ in Missalis quinta

parte pro diversis necessitatibus aut rebus dicendæ describuntur (cfr. Q. 37) ; secundum objectum de quo dicuntur, sequenti modo recenseri possunt. Sunt sequentes :

a) **pro necessitatibus publicis ecclesiasticis,** scilicet : 1) pro eligendo Summo Pontifice ; 2) in Anniversario Electionis, seu Consecrationis Episcopi ; 3) contra paganos ; 4) ad tollendum schisma.

b) **pro necessitatibus publicis civilibus** : 5) tempore belli ; 6) pro pace ; 7) pro vitanda mortalitate, vel tempore pestilentiæ.

c) **pro necessitatibus privatorum spiritualibus** : 8) pro remissione peccatorum.

d) **pro necessitatibus privatorum temporalibus** : 9) pro infirmis.

e) **pro peculiaribus statibus privatorum** : 10) pro sponso et sponsa ; 11) pro peregrinantibus : 12) ad postulandam gratiam bene moriendi.

f) 13) **pro quacumque necessitate,** vel publica, vel privata, vel spirituali, vel temporali.

Specialia, quoad objectum, de his Missis dicenda non sunt ; quæ de eis explicanda veniunt reducuntur ad regulas de Missis Votivis solemnibus et privatis, quæ in sequentibus tradentur.

Q. 231. *Occurrunt quandoque graves necessitates speciales, pro quibus nulla specialis Missa in Missali assignatur : quænam in his casibus Missa erit dicenda ?*

R. Revera possunt dari quædam graves et urgentes necessitates, in quibus Missa Votiva, quantum potest propria, opportune celebranda venit, et pro quibus tamen specialis Missa non assignatur in Missali ; ex. gr., ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, etc. Pro hujusmodi necessitatibus autem reperiuntur in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38), quædam Orationes diversæ, pluribus necessitatibus, et speciatim duabus ad exemplum invocatis adaptatæ.

In hujusmodi rerum adjunctis, pro Votiva dicitur Missa inscripta « pro quacumque necessitate » (cfr. Q. 230, ad 13) : Oratio conveniens necessitati particulari occurrenti, ex. gr., pro pluvia, vel pro serenitate, non

poterit quidem substitui Orationi propriæ Missæ pro quacumque necessitate ; sed hac retenta, si Missa Votiva sit solemnis (cfr. Q. 206), adjungetur sub unica conclusione Orationi Missæ ; si Votiva sit privata, poterit adjungi post Orationes a Rubricis in Missis Votivis privatis præscriptas. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, ad 4 ; et 30 Junii 1896, n. 3922, § II, n. 3.)

Q. 232. *Quænam Missa dicenda est, si petitur Votiva* **pro Gratiarum Actione** *?*

R. In Rubrica particulari descripta post Missam Votivam de SS. Trinitate, in quinta parte Missalis (cfr. Q. 37), notatur, quod pro Gratiarum Actione dicitur Missa Votiva, vel de SS. Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria, ad libitum Sacerdotis, juxta quod circumstantiæ opportune indicaverint ; quæcumque autem harum trium dicatur Missa, addenda erit Orationi propriæ Missæ Oratio specialis pro Gratiarum Actione, posita in Missali post Missam Votivam de SS. Trinitate.

Q. 233. *Ubinam, id est, cum qua Oratione, aut post quam Orationem Missæ legitur hæc Oratio* **pro Gratiarum Actione** *?*

R. Rubrica specialis in præcedenti Quæstione indicata, dicit Orationem istam addi sub una conclusione Orationi Missæ Votivæ. Putant vero plures auctores, quos enumeratos vide apud S. Alphonsum (*Theologia moralis*, Lib. VI, n. 423, add. IV), præceptum Rubricæ de unienda hac Oratione sub una conclusione, intelligendum solummodo esse de Missa Votiva solemni (cfr. Q. 206), non vero de Votiva privata ; ideoque, in Missa Votiva privata, primam Orationem esse dicendam de SS. Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria ; secundam Orationem vero de Officio diei, et tertiam pro Gratiarum Actione : hoc tamen intellige, nisi interponenda sit altera Commemoratio specialis Simplicis, Octavæ, Feriæ vel Vigiliæ ; quia tunc Oratio pro Gratiarum Actione, dicenda quasi Commemoratio communis tantum, locum cedet hujusmodi Comme-

morationi speciali quæ tertio loco dicetur ; unde statuitur, hanc Orationem pro Gratiarum Actione esse dicendam post Commemorationes speciales, sed semper ante Orationes Votivas, stricte vel late sumptas, ex. gr., ante Commemorationem SS. Sacramenti expositi, et ante Orationem imperatam.

APPENDIX

De colore paramentorum in Missis Votivis

Q. 234. *Quis paramentorum color adhiberi debet in Missis Votivis ?*

Prænotandum. De coloribus paramentorum dicitur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. XVIII, n. 1) : « Paramenta Altaris, Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ : quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. » Quæ de his coloribus adhibendis dicenda sunt, explicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 120 ad 133).

R. I. In Missis Votivis de Sanctis adhibetur color paramentorum idem qui ab Ecclesia præscribitur in celebratione eorum Festi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Augusti 1667, n. 1357, antiq. 2417, ad 3.) — Excipitur Missa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, etsi in Missa Festi color violaceus sit præscriptus, color rubeus semper adhibetur. — Igitur erit color, ex. gr., albus in Missis Votivis de B. Maria, de Angelis, de Confessoribus, de Virginibus ; — erit rubeus in Missis Votivis de Apostolis (exceptis Missis Votivis S. Joannis Apostoli et Evangelistæ extra tempus Paschale, S. Petri ad Vincula, et Conversionis S. Pauli, in quibus color albus adhibendus est), et de Martyribus.

II. In Missis Votivis de Mysteriis colores adhibentur : albus in Missis de SS. Trinitate, de Angelis, de SS. Eucharistia, de SS. Nomine Jesu, de SS. Corde Jesu ; — rubeus in Missis de Spiritu sancto, de Cruce, de Pretiosissimo Sanguine D. N. ; de Instrumentis Passionis D. N. (de quibus dicitur Q. 227) ; — viola-

ceus in Missis de Passione (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, n. 2). — In Missis de Passione Votivis per annum, Officio conformibus, de quibus dicitur in Nota II ad Q. 226, color præscribitur rubeus toto anni tempore. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.)

III. In Missis Votivis pro diversis necessitatibus color est : 1° albus pro Missa in Anniversario Consecrationis Episcopi, et pro Missa pro Sponso et Sponsa ; — rubeus in Missa pro eligendo Summo Pontifice ; — violaceus in omnibus aliis Missis.

Nota. I. In Missis Votivis **solemnibus** color paramentorum Altaris debet esse conformis colori paramentorum Celebrantis. In Missis Votivis **privatis** vero, hæc conformitas non requiritur, et paramenta Altaris possunt esse conformia Officio diei, dum paramenta Celebrantis sunt coloris Missæ Votivæ, conformiter regulis supra datis. Si tamen Missa Votiva privata celebratur cum solemnitate extrinseca, decet, quoad colorem paramenta Altaris esse conformia paramentis Celebrantis.

Nota. II. Exposito SS. Sacramento ad Altare in quo celebratur Missa Votiva, paramenta Altaris semper esse debent coloris albi ; paramenta Celebrantis vero, ejusque Ministrorum erunt coloris qui Missæ Votivæ convenit, quicumque sit. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 133.)

ARTICULUS II

DE MISSIS VOTIVIS RATIONE SOLEMNITATIS INTRINSECÆ

Nota. Ut clarius perspiciantur, et magis apte proponantur diversarum Missarum Votivarum regulæ et qualitates, et prius cognoscantur ea quæ magis practica occurrunt, ubi agitur de earum distinctione ratione solemnitatis intrinsecæ, juvat primo loco dicere de Missis Votivis privatis, deinde de Missis Votivis solemnibus, denique de Missis Votivis privilegiatis.

§ I. DE MISSIS VOTIVIS PRIVATIS

Q. 235. *An Sacerdos pro libitu suo potest, quotiescumque dies libera datur, celebrare Missam Votivam privatam ?*

R. Supra, in responso ad Quæstionem 208, dictum fuit Missam Votivam privatam eam esse, quæ celebratur ex speciali desiderio aut devotione, vel Sacerdotis Missam celebrantis, vel ejus qui Missam petit. Rubrica Missalis (Tit. IV, n. 3) dicit, Missas Votivas privatas dici posse diebus liberis « pro arbitrio Sacerdotum. » Quod tamen tam large videtur indulgere, mox eadem Rubrica restringit, ubi addit : « Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. » (Cfr. QQ. 15, 16.)

Q. 236. *Quæ causa dicenda est rationabilis, ut valeat Missa Votiva privata celebrari ?*

R. Hac de re S. Alphonsus in sua Theologia morali (Lib. VI, n. 419) dicit : « Nota to **nisi rationabili de causa** : unde ait Merati, non sufficere pro causa ad passim Missas Votivas celebrandas, ut Sacerdos cito se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio, petitio facta a dante eleemosynam alicujus Missæ Votivæ erit justa causa illam celebrandi. Necnon probabiliter etiam censet Tamburinus, sufficientem esse causam specialem devotionem erga aliquod Mysterium, vel Sanctum, hoc enim (ut ait) faciunt viri timorati sine scrupulo. Imo Roncaglia putat præfatam Rubricam esse tantum de consilio, et nullo modo obligare, ita, ut etiam ad passim Missas Votivas dicendas, nulla causa requiratur : nam alias forte, dicit, videretur Rubrica sibi contradicere, cum antea dixerit Missas Votivas celebrari posse **pro arbitrio Sacerdotum** ; arbitrium autem non limitatur ad causam ; huic tamen opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa Missas Votivas recitare ; Rubrica enim per illa verba : **id vero passim non fiat,** restringit arbitrium, ita ut ipsæ passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa. »

Q. 237. *Quibus diebus prohibentur Missæ Votivæ privatæ ?*

R. Missæ Votivæ privatæ (cfr. Q. 208), sive privatim

dicantur, etiam pro aliqua causa gravi, sive cum cantu et etiam cum externa solemnitate celebrentur, prohibentur :

1° in Festis duplicibus quibuscumque ;

2° in Dominicis omnibus ;

3° infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi;

4° in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, et Pentecostes ;

5° in Feriis privilegiatis, quæ sunt Feria IV Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ.

(Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 2.)

Permittuntur itaque Missæ Votivæ privatæ :

1° in Festis ritus semiduplicis et simplicis ; sub quo nomine Festorum etiam intelliguntur Officia Votiva per annum, quando sunt ritus semiduplicis ;

2° in diebus infra Octavas omnium Octavarum communium, quando Officium fit de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici ;

3° in Vigiliis minoribus ;

4° in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatæ.

Nota. Missæ Votivæ privatæ etiam prohibentur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, 2 Novembris ; in qua, etsi Officium semiduplex fuerit dictum de die infra Octavam Omnium Sanctorum, omnes Missæ, præter Conventualem, dici debent de *Requiem*.

Q. 238. *An licet celebrare Missam Votivam ea die, qua fit Officium illius Sancti, de quo Votiva dicenda esset ?*

R. Minime hoc licet ; sed ipsa Missa Festiva dicenda est, utpote majoris dignitatis quam Missa Votiva. Unde si quis, die 25 Augusti, in Festo semiduplici S. Ludovici, Confessoris, deberet celebrare Missam in honorem hujus Sancti, Missam utique celebraret, non ut Votivam, sed more Festivo ; item, si quis die 9 Decembris, qua ordinarie dicitur Officium de 2 die infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, deberet celebrare Missam in honorem ejusdem B. Mariæ Virginis, diceret Missam conformem Officio, de Immaculata

Conceptione, non ut Votivam, sed more Festivo ; nec liceret quidem dicere Missam ex quinque Votivis de S. Maria, pro tempore Adventus in Missali Romano descriptam. (Cfr. Q. 210.)

Q. 239. *An Sacerdos, qui a Fidelibus eleemosynam accepit ad celebrandum Missam in honorem alicujus Sancti, vel de aliquo Mysterio, dum ritus non permittit celebrationem Missæ Votivæ, potest saltem Missæ occurrenti Commemorationem addere Sancti istius, vel Mysterii ?*

R. Respondendum censuit S. Rituum Congregatio, non licere. (Decr. 7 Septembris 1850, n. 2981, antiq. 5146, ad 3.) Si autem in Dominicis tertia Oratio ad libitum præscribitur, hanc Orationem, tertio loco dicendam, decet, sed non oportet (quia nullibi id præcipitur), esse Orationem congruam voto petentis, sive ex Missis Votivis, sive ex Orationibus diversis ; non tamen forsan in Missa parochiali aut conventuali.

Q. 240. *Quæ sunt Missæ partes ad quas præcipue attendi debet in Missis Votivis privatis ?*

R. Sunt præsertim sequentes : 1) Hymnus angelicus *Gloria in excelsis Deo ;* 2) Orationes ; 3) Sequentia ; 4) Symbolum ; 5) Præfatio ; 6) Oratio *Communicantes ;* 7) *Ite Missa est ;* 8) ultimum Evangelium.

Q. 241. *In Rubricis specialibus præscribitur, quod Tempore Passionis in Missis de Tempore omittuntur : 1° Psalmus* **Judica**, *ante Confessionem ; 2°* **Gloria Patri**, *ad Introitum, et Ps.* **Lavabo**; *an hæc servanda sunt in Missis Votivis privatis ?*

R. Hæc non omittuntur in Missis Votivis, nequidem si Votivæ dicerentur de Cruce, aut de Passione Domini.

Q. 242. *An Hymnus* **Gloria in excelsis** *dicitur in Missis Votivis privatis ?*

R. Cum Hymnus *Gloria in excelsis* signum quasi sit Festivitatis vel Solemnitatis, ideo, ut appareat differentia inter Festa, eorumque Commemorationes quæ per Missas Votivas privatas peraguntur, regula datur, quod Hymnus iste non dicitur in Missis Votivis privatis.

Quædam tamen dantur ab hac regula exceptiones, scilicet :

1° In Missis Votivis quæ de B. Maria Virgine in die **Sabbato** celebrantur, dicitur Hymnus ; quia Sabbatum ab antiquissimo tempore nonnihil habuit et habet solemnitatis in honorem ejusdem B. Mariæ Virginis.

2° In Missis Votivis quæ celebrantur, vel de S. Angelo particulari, vel de SS. Angelis Custodibus, vel de SS. Angelis generatim, quocumque Hebdomadæ die celebrentur, dicitur Hymnus *Gloria in excelsis*, cujus prima verba ab Angelis primum in Nativitate Domini fuerunt cantata.

3° In Missis Votivis quæ celebrantur de Sancto quocumque in ejus die obitus, dicitur Hymnus ; quia tunc Missa Votiva aliquo modo fit semifestiva : est enim partim Votiva, quia Officio diei non correspondet, et partim Festiva, quia eo die celebratur quo Sanctus obiit, seu quo Sancti proprius dies festus peragitur.

Exemplum. Die 23 Septembris, celebratur Festum semiduplex S. Lini, Papæ et Martyris ; eodem die occurrit Festum simplex S. Theclæ, Virginis et Martyris, cujus Commemoratio tantum fit in Officio et Missa S. Lini ; si quis eo die de S. Thecla Missam Votivam celebrare vellet, diceret in hac Missa Hymnum *Gloria in excelsis*, quia Missa Votiva celebratur in die obitus, seu die Festivo S. Theclæ, et ideo, licet Votiva, partim est Festiva.

4° In Missis Votivis quæ celebrantur de Sancto, vel de Mysterio, infra Octavam eorum Festi, dicitur etiam Hymnus ; quia Octava est prorogatio alicujus Festi ad octo dies continuos, qui dies aliquo modo censentur esse unus dies; ideoque, durante Octava, Missa Votiva de eo Sancto, vel Mysterio cujus Octava celebratur, etiam fit quasi semifestiva, quæ censetur celebrari in die festivo hujus Sancti vel Mysterii.

Exempla. Die 4 Julii, dicuntur Officium et Missa de 6 die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli ; in Diœcesi Mechliniensi fit, in hoc Officio, et in hac Missa SS. Apostolorum, Commemoratio Octavæ S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Diœcesis Patroni, cujus Festum celebratur 1 Julii, ritu duplici 1 classis cum Octava ; qui hoc die celebraret Missam Votivam de S. Rumoldo, eam celebrabit more Votivo quidem, sed ta-

men, ratione Octavæ S. Rumoldi, dicet Hymnum *Gloria in excelsis*.

Die 11 Decembris, celebratur Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis ; hoc die Missa Votiva de Immaculata Conceptione celebraretur more Votivo quidem, sed tamen, etiamsi dies 11 Decembris non esset Sabbatum, diceretur Hymnus *Gloria in excelsis*, ratione Octavæ Immaculatæ Conceptionis, cujus Missa Votiva celebratur.

Pro Missa Votiva de Mysterio exemplum ex Kalendario Ecclesiæ universalis non potest dari, quia Mysteria de quibus Votivæ Missæ dici possunt, aut non habent Octavam, aut, si habent, Octava eo ritu jam celebratur, ut Missis Votivis non detur locus, ex. gr., Octava SS. Corporis Christi ; attamen, in iis Ecclesiis particularibus posset exceptio pro recitatione Hymni *Gloria in excelsis* applicabilis aliquando esse, in quibus, ratione Tituli, aut ex privilegio, unum vel alterum celebraretur cum Octava Mysterium, puta, SS. Nominis Jesu; SS. Cordis D. N. ; Pretiosissimi Sanguinis D. N. ; SS. Trinitatis.

Q. 243. *Quot Orationes dici debent et possunt in Missis Votivis privatis ?*

R. Dictum fuit supra, in responso ad Quæstionem 208, ad II, Missas Votivas privatas esse ritus simplicis ; Festi simplicis itaque naturam et valorem habent ; unde regula datur, in Missis Votivis privatis tot dicendas esse Orationes, quot in Missis Festi simplicis dicuntur ; ergo saltem tres dici debent ; possunt tamen dici plures, ad arbitrium Sacerdotis, scilicet quinque, vel ad summum septem ; et si ad arbitrium Sacerdotis adduntur, oportet ut numerus omnium Orationum sit impar ; ideo dicitur posse adjungi usque ad quinque, vel ad septem.

Cæterum regulæ expositæ in prima Tractatus Sectione, de numero et ordine hujusmodi Orationum in Missis ritus simplicis, observandæ omnes sunt in Missis Votivis privatis. (Cfr. Sectio I, Caput IV, Artic. II, Q. 72 ; Artic. III, QQ. 86, 88 ad 92.)

Q. 244. *Quæ dicendæ sunt Orationes in Missis Votivis privatis, et quo ordine ?*

R. In Missis Votivis privatis dici debent Orationes sequentes, et sequenti ordine : prima Oratio est ipsa Oratio substantialis Missæ Votivæ, scilicet de eo cujus Missa Votiva dicitur objecto : — secunda Oratio dici-

tur ea quæ Officio diei correspondet, Oratio Missæ propriæ diei ; — tertia dicitur ea quæ in Missa diei secundo loco dici debuisset, nempe Commemoratio specialis, si sit facienda, alias Commemoratio communis. (Cfr. Q. 74.)

Exempla. 1° Die 13 Julii, celebratur Festum semiduplex S. Anacleti, Papæ et Martyris, pro cujus Missa indicatur secunda Oratio *A cunctis*, et tertia « ad libitum ». Si hoc die dicitur Missa Votiva privata in honorem S. Aloysii Gonzagæ, prima Oratio erit S. Aloysii, secunda S. Anacleti, tertia *A cunctis*. — Si dicitur Missa Votiva de SS. Sacramento, prima Oratio erit SS. Sacramenti, secunda S. Anacleti, tertia *A cunctis*. — Hisce Orationibus completur numerus ternarius Orationum qui requiritur : ideo Oratio tertio loco assignata in Missa S. Anacleti, scilicet Commemoratio communis ad libitum Sacerdotis eligenda, in Missa Votiva S. Aloysii potest omitti.

2° Die 23 Septembris, celebratur Festum semiduplex S. Lini, Papæ et Martyris ; in ejus Missa indicatur secunda Oratio S. Theclæ, Virginis et Martyris, tertia vero *A cunctis*. In Missa Votiva privata S. Aloysii Gonzagæ, secunda Oratio dicetur S. Lini, tertia S. Theclæ ; et quia tres requisitæ Orationes jam adsunt, Oratio *A cunctis*, tertio loco assignata in Missa S. Lini, utpote Commemoratio communis, negligi potest, et dici non debet.

Nota. I. In Decreto generali S. Rituum Congregationis, de Missis Votivis, statuitur : « Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa Votiva de SS. Sacramento. Quod si infra Octavam Missa Votiva dicatur, secunda Oratio erit de Octava, tertia autem de tempore. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3.)

Super hac Decreti præscriptione animadvertere juvat :

1° Quoad Missam Votivam de SS. Sacramento, dubitatum fuit aliquando, pro casu quod nulla Commemoratio specialis in Missa diei facienda erat, « an in Missa Votiva SS. Sacramenti pro tertia Oratione dicenda sit ea quæ secundo loco erat dicenda ratione temporis occurrentis, vel potius ea quæ est assignata secundo loco infra Octavam ejusdem SS. Sacramenti? » (Cfr. Q. 81, Nota, nn. 11 et 15.) Et S. Rituum Congregatio : « Orationem temporis occurrentis dicendam esse censuit. » (Decret. 4 Julii 1705, n. 2155, antiq. 3723.) Hanc dispositionem rememorari voluit in præsenti Decreto S. Congregatio.

Exemplum datur supra pro Missa Votiva in Festo S. Aniceti.

2° Animadvertere juvat quoad Missam infra Octavam, quod tertia Oratio « de tempore » intelligenda est illa quæ in Missa de die infra Octavam indicatur secunda, et quæ, nulla occurrente Commemoratione speciali, est Commemoratio communis pro Octavis a Rubricis assignata (cfr. Q. 81, Nota).

Exemplum. Die 13 Septembris, dicitur Officium et Missa de sexta die infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V.; in Missa diei dicitur secunda Oratio de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. Si Sacerdos hac die celebrat Missam Votivam in honorem S. Joseph, Sponsi B. M. V., in Missa dicat secundam Orationem de Octava Nativitatis B. Mariæ V., et tertiam de Spiritu sancto. — In Titulo IX Rubricarum generalium, indicatur quidem quod, tempore anni ab Octava Pentecostes usque ad Adventum currente, in Festis semiduplicibus et simplicibus dicitur secunda Oratio *A cunctis*, et tertia ad libitum (cfr. Q. 81, Nota 9); sed præsens Octava, infra hoc tempus celebrata, est quasi parenthesis in hoc tempore, quæ ipsa constituit aliquod tempus de quo ratio est habenda; jamvero pro hujusmodi tempore, nempe pro Octavis B. Mariæ Virginis, Rubrica indicat Orationes supra dictas (cfr. Q. 81, Nota 10); et proinde Oratio de tempore, in nostro casu, erit, non *A cunctis*, de tempore a Pentecoste ad Adventum, sed de Spiritu sancto, de tempore Octavarum B. Mariæ Virginis.

Nota. II. Si contingit Missam Votivam privatam dici de eo cujus Commemoratio in Missa propria diei fit, patet quod in Missa Votiva hæc Commemoratio omittitur, ne bis de eodem dicatur Oratio; et tunc tertio loco dicetur ea Oratio quæ in Missa diei tertia præscribitur.

Exemplum. Si 23 Septembris celebranda est Missa Votiva de S. Thecla, ejusdem dicetur prima Oratio; secunda erit S. Lini; sed tertia dicenda erit *A cunctis*, et non iterum, ut patet, S. Theclæ. Similiter, in Missa quæ Votiva celebraretur, die 11 Decembris, de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis, secunda Oratio diceretur S. Damasi, tertia autem de Feria Adventus, omissa Commemoratione Octavæ Immaculatæ Conceptionis.

Nota. III. Exceptiones ad propositam regulam notantur sequentes:

Si quis Feria V dixit Officium Votivum de SS. Sacramento, aut Feria VI Officium Votivum de Passione

Domini, et celebrat Missam Votivam de SS. Corde Jesu, animadvertere debet, ob identitatem Mysterii non posse dici in Missa Votiva secundo loco Orationem Officio diei correspondentem, nempe de SS. Sacramento, aut de Passione Domini. (Cfr. dicta Q. 95.) S. Rituum Congregatio declaravit in tali casu in Missa Votiva de SS. Corde Jesu, si non occurrant aliæ Commemorationes speciales, secundam Orationem esse dicendam, non de Officio Votivo diei, sed de tempore. (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 11.) Igitur dicentur secunda et tertia Oratio illæ ipsæ quæ pro Missa ipsius Officii Votivi indicantur.

Idem dicendum est, juxta Decretum citatum, si dicitur Missa Votiva de Passione Domini, quando recitatum fuit Officium Votivum de SS. Sacramento, et viceversa; item si dicitur Missa Votiva de S. Cruce, quando recitatum fuit alterutrum horum Officiorum Votivorum.

Q. 245. *Quid animadvertendum est pro tertia Oratione in Missis Votivis de B. Maria Virgine, et de Sancta Familia?*

R. I. Singulare quid pro Missis Votivis privatis de B. Maria Virgine præscribitur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. IX, n. 15); etenim pro tertia Oratione, si hæc est Commemoratio communis, præscribitur dicenda, non Oratio quæ in Missa diei secundo loco dici debuisset, sed Oratio *de Spiritu sancto*. Quæ Rubrica, observanda in quacumque Missa Votiva de B. M. V., etiam in Votiva Septem Dolorum, et Immaculatæ Conceptionis præscripta est, ut vitetur talis Oratio in qua B. Mariæ Virginis jam fit mentio, qualis est, ex. gr., Oratio *A cunctis;* ne bis de eadem B. Maria Virgine fiat mentio in Orationibus præscriptis. (Cfr. Q. 117.) Præterea mysticæ rationes etiam possunt afferri, quare tertia hæc Oratio selecta fuerit speciatim *de Spiritu sancto*.

Exemplum. Die 13 Julii, in Festo semiduplici S. Anacleti, si Missa Votiva privata celebratur de B. Maria Virgine, tertia Oratio itaque non dicetur *A cunctis*, ut supra in exemplo allato, sed *de Spiritu sancto,* neglectis, in quantum quæstio est de Orationibus quæ dici debent, Orationibus *A cunctis,* et ad libitum,

quæ secundo et tertio loco in Missa S. Anacleti præscribuntur ; in altero exemplo autem supra allato, tertia Oratio *de Spiritu sancto* non dicetur, quia dicenda occurrit tertio loco Commemoratio S. Theclæ ; quod ex sequenti Quæstione 247 intellectum habebitur.

II. Hac occasione quæri potest, quæ Oratio in casu tertio loco sit dicenda in Missa Votiva de Sancta Familia, in cujus Oratione nominantur B. Virgo Maria et S. Joseph. Hucusque authentica declaratio desideratur. Salvo meliori, videtur non perperam in casu etiam dici Oratio *de Spiritu sancto*, loco Commemorationis communis *A cunctis*, vel alterius de B. Maria Virgine.

Q. 246. *Quid notandum est de Orationibus in Missis Votivis 1° de S. Joseph ; 2° de SS. Apostolis Petro et Paulo ; 3° de Sancto Ecclesiæ Titulari ; 4 de Omnibus Sanctis ; 5° in Feria III Rogationum ?*

R. 1° In Missa Votiva quæ celebratur de S. Joseph, quo tempore Oratio *A cunctis* dicenda venit, si tertio loco dicenda est hæc Oratio, dicitur, omisso nomine S. Joseph (cfr. QQ. 121, 2° ; et 123, 1°).

2° In Missa Votiva de solo S. Petro Apostolo, dicitur secunda Oratio S. Pauli ; et in Missa Votiva de S. Paulo Apostolo, dicitur secunda Oratio S. Petri (cfr. Q. 79) ; qua dicta, dicitur tertio loco Oratio quæ Officio diei correspondet ; et si nulla ulterius Commemoratio specialis est facienda, cum numerus ternarius requisitus adsit, nulla Commemoratio communis addi debet.

Si Missa Votiva communis de SS. Apostolis Petro et Paulo celebratur, et eo tempore anni dicenda venit tertio loco Oratio *A cunctis*, hujus loco dicitur, juxta Rubricam (Tit. IX, n. 15), Oratio B. Mariæ V. *Concede nos famulos* (cfr. QQ. 121, 3° ; et 123, 1°).

Sed in Missa Votiva Omnium SS. Apostolorum, quæ assignatur in Missalis Appendice pro Feriis tertiis non impeditis, dici debet Oratio *A cunctis*. (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1884, n. 3612, antiq. 5914, ad 1.)

3° Si Missa Votiva celebratur de Sancto Titulari Ecclesiæ in ejus Ecclesia, quo tempore dicenda foret tertio loco Oratio *A cunctis*, tunc vel omittitur ejus mentio in

Oratione *A cunctis*, vel hujus loco dicitur Oratio « ad poscenda suffragia Sanctorum » : *Concede, quæsumus* (cfr. QQ. 121, 4° ; et 123).

4° In Missa Votiva Omnium Sanctorum tertio loco semper dicitur pro Commemoratione communi Oratio *de Spiritu sancto*, quæ secunda est infra Octavam Omnium Sanctorum, quando dicitur Missa de die infra Octavam.

5° Si in Feria III Rogationum Officium fit de hac Feria, in omni Missa Votiva quæ celebratur, secunda Oratio sumitur, non de Officio, scilicet de Dominica præcedente, sed de Rogationibus.

Nota. De Orationibus in Missa Votiva pro Gratiarum Actione, vide quæ dicta fuerunt Q. 233.

Q. 247. *Nonne aliquando plures quam tres Orationes dici debent in Missis Votivis privatis ?*

R. Prænotatur quod Orationes *A cunctis*, et *de Spiritu sancto*, in exemplis (QQ. 244 et 245) diei 13 Julii, tertio loco assignatæ, sunt aut censentur Commemorationes communes (cfr. QQ. 80 ad 88) ; quæ, in Missis assumptæ ad habendum, quando requiritur, numerum trium Orationum, locum cedunt Commemorationibus specialibus (cfr. QQ. 75 ad 79) ; et ideo in altero exemplo supra posito, diei 23 Septembris, quæstio non est pro tertia Oratione, de Oratione *A cunctis*, neque de Oratione *de Spiritu sancto*, occurrente jam Commemoratione speciali S. Theclæ, quæ ea est quæ numquam omitti possit. Unde profecto intelligetur deduci jam posse sequens ad propositam Quæstionem responsum :

Affirmative ; plures aliquando dici debent quam tres in Missis Votivis privatis Orationes: scilicet, quando in Missa quæ Officio correspondet, duæ, aut aliquando plures quam duæ factæ fuerunt Commemorationes speciales; nulla enim in Missis Votivis privatis omitti potest Commemoratio specialis ; et in tali casu quidem numerus impar non requiritur, quia non adduntur hujusmodi supra ternarium numerum Orationes ad arbitrium Sacerdotis, sed ex præcepto ipsius Rubricæ Missalis.

Exemplum. Die 23 Septembris, in Festo semiduplici S. Lini,

occurrit perpetuo Festum S. Theclæ, cujus fit Commemoratio, quæ natura sua est specialis ; ast fieri potest (ex. gr., anno 1899), quod eodem die 23 Septembris occurrat Feria major Quatuor Temporum, cujus Commemoratio facienda itidem est tamquam specialis ; unde in Missa S. Lini assignantur Commemorationes Feriæ et S. Theclæ. In Missa Votiva privata S. Aloysii jam omnino debebunt dici quatuor Orationes, prima S. Aloysii, secunda S. Lini, tertia Feriæ majoris Quatuor Temporum, quarta S. Theclæ. Quatuor numero sunt Orationes, sed quia a Rubrica Missalis præscribuntur, et ex arbitrio Sacerdotis non adsit iste numerus par Orationum, ideo non debebit addi quinta Oratio, ut numerus impar habeatur.

Ex alio titulo etiam, plures aliquando dici debent quam tres Orationes, nempe quando Orationes Votivæ late dictæ addendæ sunt Orationibus Missæ propriis, nempe Commemoratio SS. Sacramenti expositi, et Oratio ab Ordinario imperata. (Cfr. QQ. 89, 90.) Istæ enim, quando dicendæ sunt, in Missis Votivis privatis omnino dici debent ; et quia earum proprius locus venit post Orationes a Rubricis ipsius Missæ præscriptas, cum tres jam præscribantur, necessario quarto aut quinto loco istæ Orationes imperatæ dici debent. Iterum ratione istarum Orationum, casu quo dici debent, numerus impar non erit observandus : non enim eæ sunt quæ ad arbitrium Sacerdotis adduntur, nam ex præcepto addi debent ultra numerum a Rubricis requisitum.

Q. 248. *Quo loco, et quo ordine dicuntur Orationes, quas in Missis Votivis privatis ad arbitrium suum Sacerdos addit ?*

R. Ex præcedentibus constat, in Missis Votivis privatis debere dici primo Orationem propriam Missæ ; dein Commemorationes speciales quotquot sunt ; quæ si sufficienti numero non dentur ut ad requisitum trium saltem Orationum numerum perveniatur, supplentur per Commemorationes communes ; has omnes Commemorationes sequuntur, si dicendæ sint, Orationes Votivæ late dictæ, seu ab Ordinario vel ab ipsis Rubricis imperatæ. Pro his omnibus Orationibus, a Rubrica præscriptis, modo habeatur numerus trium saltem Orationum, et insuper pro Orationibus Votivis late dictis, non attendi debet ad imparitatem numeri.

Orationes Votivæ stricte dictæ, quas Sacerdos ad

arbitrium suum addit (cfr. QQ. 89 ad 92), dicendæ sunt post omnes supradictas Orationes; et pro eis servandus est ordo dignitatis, et, si sumantur ex serie Orationum diversarum, ordo juxta quem in Missali ponuntur. Quando autem, addita hujusmodi Oratione Votiva stricte dicta, numerus omnium Orationum esset par, necessario Sacerdos debebit et alteram addere, ut numerus impar habeatur.

Exemplum. Supposita iterum Missa Votiva privata S. Aloysii, die 23 Septembris, in Festo S. Lini, occurrente Feria aliqua Quatuor Temporum, et Festo simplici S. Theclæ; et supposita quoque imperata Oratione pro Papa; dicendæ erunt in Missa Orationes sequentes: 1 S. Aloysii, 2 S. Lini, 3 Feriæ Quatuor Temporum, 4 S. Theclæ. 5 pro Papa. Si Sacerdos ad arbitrium suum voluerit addere Orationem, ex. gr., ad postulandam continentiam, poterit hoc facere; sed quia tunc, ratione hujus arbitrii, numerus Orationum jam haberetur par, debebit in casu addere et aliam ad arbitrium suum; si elegerit Orationem, ex. gr., de B. Maria Virgine, dicet post Orationem quintam pro Papa, sextam de B. Maria Virgine, septimam tandem ad postulandam continentiam.

Q. 249. *An in Missis Votivis privatis unquam dici possunt Sequentiæ?*

R. Negative; unde si Missa Votiva celebretur de Septem Doloribus B. Mariæ V., omittenda erit Sequentia *Stabat Mater*, quæ non nisi in Missis Festivis dici potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1673, n. 1490, antiq. 2656, ad 2.)

Item recitari nequit Sequentia *Veni sancte Spiritus*, in Missis Votivis de Spiritu sancto, neque Sequentia *Lauda Sion*, in Missis Votivis de SS. Eucharistiæ Sacramento (Decret. 21 Martii 1795, n. 2550, antiq. 4464, ad 2); istæ Sequentiæ in Missis horum Mysteriorum quæ tamquam Votivæ dici debent, non indicantur. (Cfr. Q. 139.)

Q. 250. *An Symbolum in Missis Votivis privatis recitari potest? Quæ datur exceptio?*

R. I. Ut appareat differentia inter Festa eorumque Commemorationes quæ per Missas Votivas peraguntur, ideo Symbolum *Credo* non dicitur in Missis Votivis privatis, etiamsi in cantu aut cum solemnitate externa

celebrentur. — Regulam ponit Decretum S. Rituum Congregationis (30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3) : « Missæ Votivæ hujusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo*, etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale Indultum, in die Dominica, et in Festis duplicibus, vel etiam infra Octavas celebrentur. »

Igitur, si Missæ Votivæ privatæ celebrantur, sive de SS. Trinitate, sive de SS. Sacramento, sive de B. Maria V., sive de SS. Angelis, sive de Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, sive de quocumque Mysterio aut Sancto, in cujus Festo dici debet Symbolum, dici non potest in Missis Votivis de eisdem.

II. Hæc regula ante sine exceptione subsistens, inde a publicatione præfati Decreti unam habet exceptionem. Posita enim regula pro omissione Symboli in Missis Votivis, additur mox : « nisi sint de die infra Octavam ; quo in casu celebrandæ essent ut in Festo, id est cum *Gloria* et *Credo*. » Itaque in Missis Votivis quæ celebrantur de Mysterio, vel de Sancto, in quorum Festo et per Octavam dicitur Symbolum (cfr. QQ. 143 ad 148), infra Octavam eorum Festi, etiam dicitur Symbolum. — Quod congruum unicuique videbitur ; nam sicut dictum fuit pro Hymno *Gloria* (cfr. Q. 242, ad exceptionem 4^am^), Octava est prorogatio alicujus Festi ad octo dies continuos, qui dies aliquo modo censentur unus dies ; ideoque Missa Votiva hujusmodi fit quasi semifestiva, et ratio quæ existit pro Hymno *Gloria* admitti potest etiam pro Symbolo.

Exempla quæ proponuntur supra pro Hymno *Gloria* (Q. 242, ad exceptionem 4^am^), pro Missis Votivis celebratis 4 Julii, et 11 Decembris, inservire possunt pro præsente casu Symboli, legendo *Symbolum Credo* ubi legitur ibi *Hymnus Gloria in excelsis*.

Q. 251. *Quæ sunt regulæ pro Præfatione, et pro Oratione Canonis quæ incipit :* **Communicantes**, *quando celebrantur Missæ Votivæ privatæ ?*

R. I. 1°. Si Missa Votiva propriam habeat Præfationem, hæc propria semper dicenda est, etiamsi haberetur Octava Præfatione propria gaudens.

2°. Si Missa Votiva propriam non habeat Præfationem, sed contigerit celebrari infra Octavam alicujus

Festi quod suam propriam Præfationem habet, dicitur Præfatio de Octava.

3°. Si Missa Votiva propriam non habeat Præfationem, neque occurrat Octava propriam Præfationem habens, sed contigerit celebrari infra tempus anni ecclesiastici pro quo Præfatio propria datur, quale est tempus Quadragesimæ, tempus Passionis, et tempus Paschale, necnon Feria VI post Octavam Ascensionis, dicitur Præfatio de Tempore.

4°. Si nulla propria ex prædictis Præfatio occurrat, dicitur in Missa Votiva privata Præfatio communis (Cfr. Q. 159.)

5°. Animadvertere juvat, quod nulla ratio habenda est Præfationis, quæ propria foret Missæ conformis Officio diei : hæc negligitur in Missa Votiva.

Nota. De cantu Præfationis in Missis Votivis privatis, qui debet esse in tono feriali, dictum fuit Q. 161 ; quid sit faciendum in diversis casibus ibi expositum reperietur.

Exempla. 1°. Missæ Votivæ de Mysteriis SS. Trinitatis, Spiritus sancti, SS. Eucharistiæ Sacramenti, Passionis, Crucis, SS. Nominis Jesu, SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis D. N.; necnon Votivæ de B. Maria Virgine, et de SS. Apostolis, omnes habent suas proprias Præfationes, quæ itaque dicendæ sunt in omni casu. (Cfr. Q. 157.)

2°. Si die 4 Julii celebretur Missa Votiva de S. Joseph, cujus Missa propriam Præfationem non habet; quia occurrit jam Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum Missa propriam Præfationem habet, in Missa Votiva S. Joseph dicetur Præfatio de Apostolis.

3°. Si de eodem S. Joseph dicitur Missa Votiva in Quadragesima, cum jam nulla Octava cum propria Præfatione occurrat, dicetur in ejus Missa Votiva Præfatio de Tempore Quadragesimæ.

4° Si de eodem S. Joseph dicitur Missa Votiva, ex. gr., a Pentecoste usque ad Adventum, pro quo anni ecclesiastici Tempore nulla datur propria Præfatio, dicetur in ejus Missa Votiva Præfatio communis.

5° Si diceretur eodem tempore hæc Missa Votiva de S. Joseph in aliqua die hebdomadæ, in qua Sacerdos qui Missam Votivam celebrat, Officium dixit, ex. gr., Officium Votivum, cujus Missa propriam habet Præfationem, nempe Votivum de SS. Apostolis (Feria III), aut de SS. Sacramento (Feria V), aut de Passione Domini (Feria VI), aut de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. (Sabbato), etiamsi in Missa Votiva de S. Joseph

Oratio secunda, tamquam Commemoratio specialis de hujusmodi Officio dici debeat, nullo modo tamen dici potest aliqua Præfatio propria de Missa quæ Officio correspondet, sed omnino neglecta hac Præfatione propria, dicenda est Præfatio communis.

II. Quoad Orationem *Communicantes* (cfr. Q. 169), quæ in Missæ Canone infra quasdam Octavas est propria, ex. gr., infra Octavam Ascensionis Domini, hæc in Missis Votivis quoque, quæ infra hanc Octavam celebrantur, est dicenda ; etiamsi Præfatio non diceretur de Ascensione, sed propria Missæ Votivæ, ex. gr., de B. Maria Virgine, in hujus Missa Votiva privata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 3.)

Casus applicari potest huic Octavæ Ascensionis tantum, nam infra alias Octavas quæ hanc Orationem *Communicantes* in Canone habent propriam, Missæ Votivæ privatæ non possunt celebrari.

Q. 252. *Quid notandum est quoad* Ite missa est, *et ultimum Evangelium, in Missis Votivis privatis ?*

R. I. Juxta regulam generalem, in omni Missa servandam (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 1), quando in Missa Votiva dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis* (cfr. Q. 242), dicitur etiam in fine Missæ : *Ite missa est ;* quando vero omissus fuit in Missa Votiva Hymnus *Gloria in excelsis*, in fine Missæ semper dicitur : *Benedicamus Domino.*

II. In omnibus Missis Votivis privatis « numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis », scilicet : *In principio.* (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 2.) Invariabilis est hæc regula, etiamsi Missa Votiva privata celebraretur, ex. gr., tempore Quadragesimæ, quando in Missis de Sanctis, Officio conformibus, legitur semper Evangelium proprium Feriæ ; hoc omittitur in Missis Votivis privatis. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad 28 ; et 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3.)

Q. 253. *Quid animadvertendum est pro Missis Votivis privatis, seu ex causa non publica, quæ celebrantur in cantu*

vel solemniter? Quid notandum est pro cantu, si contingat Missam Votivam privatam solemniter, aut in cantu celebrari?

R. I. Missæ Votivæ privatæ, in cantu vel etiam quantumvis solemniter celebratæ, cum Altaris apparatu et magno musicorum concentu, sed non pro re gravi et ex causa non publica, etiamsi in forma novemdialis vel octidui ante vel post aliquam solemnitatem agantur; nullimode celebrentur in Dominicis, et Festis duplicibus, aut in diebus in quibus nec de Duplici fieri possit, nisi ex Indulto speciali; et in iis *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur; sed easdem normas ac cæteræ Votivæ sequuntur. (Decreta S. Rituum Congregationis, 2 Septembris 1690, n. 1843, antiq. 3232, ad 1; et 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, nn. 1, 2, 3.)

II. Celebrans Missam Votivam privatam, in omnibus debet, si solemniter, aut in cantu eam celebret, uti tono feriali seu simplici; itaque Orationes cantari debent tono simplici feriali; Præfatio, et *Pater noster* in cantu feriali; *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* in tono simplici; excepto tamen *Ite missa est*, in Missis Votivis de B. Maria Virgine, quod cantatur eodem tono quo in omnibus Missis de B. Maria. (Cfr. Tractatus Sacræ Liturgiæ: *Cæremoniale*. Appendix II.)

APPENDIX I

Tabella ordinis servandi pro Missæ Votivæ privatæ celebratione

254. Pro facilitate Sacerdotum qui Missas Votivas privatas celebrare debent, sæpius, in variis Libris precum, necnon in pluribus Directoriis seu Cartabellis, describitur aliqua Tabella, in qua variæ regulæ supra positæ compendiose proponuntur. Hujusmodi Tabellam hic describere juvat, cum debitis explicationibus et notis, quibus semel intellectis, usus postea pro praxi facilior fiet.

Nota. Nihil in Tabella notatur de Sequentia, de Oratione *Communicantes* propria infra Octavam Ascensionis Domini, de ultimo Evangelio; pro quibus Missæ partibus immutabiles exstant regulæ, scilicet, quod Sequentia numquam dicatur (cfr. Q. 249); quod Oratio *Com-*

municantes propria Octavæ Ascensionis recitetur, etiamsi Præfatio Ascensionis non dicatur (cfr. Q. 251, II); quod ultimum Evangelium semper dicatur Initium Evangelii S. Joannis: *In principio* (cfr. Q 252, II).

Missa Votiva	*Color*	*Missa*	*Gloria*	*Orationes*	*Credo*	*Præfatio*	*Bened. Dom. vel Ite missa est.*
SS. Trinitatis	Albus	Propria (1	Omitt.	ut infra (a	Omitt.	Propria	Bened. Dom.
Spiritus sancti	Rubeus	Propria (1	Omitt.	infra (a	Omitt.	Propria	Bened. Dom.
SS. Sacramenti.	Albus	Propria (1	Omitt.	infra (a (a'	Omitt.	Nativit.	Bened. Dom.
SS. Cordis Jesu.	Albus	Festi (2	Omitt.	infra (a (a'	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
Passionis Domini.	Violac.	Propria (1	Omitt.	infra (a (a'	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
SS. Crucis	Rubeus	Propria (1	Omitt.	infra (a (a'	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
B. Mariæ V. (3	Albus	Propria (4	Sab. dic. alias omitt. (5	infra (b	Omitt. (5	Propria	Sabb. Ite m. est, alias Ben. Dom. (6
SS. Angelorum.	Albus	Propria (7	Dicitur	infra (a	Omitt. (5	infra (e	Ite missa est
S. Joseph	Albus	Propria (1	Omitt.	infra (d	Omitt.	infra (e	Bened. Dom.
SS. Petri et Pauli	Rubeus	Propria (8	Omitt.	infra (c	Omitt.	Apostt.	Bened. Dom.
SS. Apostolorum.	ut in Festo	Propria (8	Omitt. (5	infra (a	Omitt. (5	Apostt.	Ben. Dom. (6
Sanctorum.	ut in Festo	Prop. vel de Comm.	Omitt. (5	infra (a	Omitt. (5	infra (e	Ben. Dom. (6
Pro infirmis	Violac.	Propria	Omitt.	infra (a	Omitt.	infra (e	Bened. Dom.
Pro quacumque necess.	Violac.	Propria	Omitt.	infra (a	Omitt.	infra (e	Bened. Dom.

EXPLICATIONES

a. Prima Oratio dicitur Missæ Votivæ; secunda Oratio dicitur Missæ diei, conformis Officio recitato; tertia Oratio dicitur ea, quæ in Missa diei conformi Officio fuisset secunda, scilicet : vel Commemoratio specialis, si occurrat (Simplicis, Octavæ, Feriæ majoris, Vigiliæ), vel secus Oratio, seu Commemoratio communis, ut in Missali pro diversis anni temporibus indicatur. (Cfr. Q. 244.)

In Tabellis positis in Directoriis, Orationes istæ ordinarie indicantur breviori sequenti modo : *2 et 3 diei currentis*.

Si in Missa diei duæ vel plures Commemorationes speciales faciendæ fuissent, istæ omnes (omissa tunc Commemoratione communi), et eodem ordine in Missa Votiva fieri debent. (Q. 247.)

Post Orationes præceptas, quæ ad minus tres numero sunt, dicitur Collecta imperata, si præcepta sit; dein Celebrans ad libitum alias Orationes, dictas Votivas, addere potest usque ad numerum omnium simul Orationum quinque, vel septem. (Q. 248.)

a'. Si Missa Votiva de SS. Sacramento, vel de SS. Corde Jesu, vel de Cruce, celebratur in Feria VI in qua dictum fuit Officium Votivum de Passione ; — aut si Missa Votiva de SS. Corde Jesu, vel de Passione, vel de Cruce, celebratur in Feria V in qua dictum fuit Officium Votivum de SS. Sacramento ; — tunc in Missa Votiva omittitur Commemoratio Officii Votivi diei, et dicuntur Orationes de tempore. (Q. 244, Nota III.)

b. Prima et secunda Oratio ut supra in *a ;* tertia pro Commemoratione communi dicitur *de Spiritu sancto*. (Q. 245.)

c. Prima et secunda Oratio ut supra in *a ;* pro tertia Oratione notandum est quod, quo tempore anni tertia Oratio, seu prima Commemoratio communis est *A cunctis*, ejus loco dicetur Oratio de B. Maria V., quæ incipit *Concede nos famulos*, ex Missa Votiva B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum. (Q. 246, 2°.)

d. Prima et secunda Oratio ut supra in *a ;* pro tertia

Oratione, quæ etiam dicitur ut supra in *a*, notatur quod, quo tempore Oratio *A cunctis* tertio loco dicenda veniet, hæc recitari debet, sed omisso nomine S. Joseph. (Q. 246, 1°.)

Hanc regulam, in Missis Votivis in honorem S. Joseph celebrandis tenendam, sequi etiam potest Sacerdos qui Missam Votivam celebrat in honorem Sancti Titularis Ecclesiæ in qua Sacrum celebrat, cujus cum dicatur Missa, omittenda proinde erit nova nominatio in Oratione *A cunctis*. Attamen, in hoc casu, poterit Sacerdos etiam Orationem *A cunctis* commutare in aliam *Concede*, quæ similiter est ad petenda Suffragia Sanctorum, et quæ describitur in fine Missalis primo loco inter Orationes diversas. (Q. 246, 3°.)

e. Præfatio dicitur de **Octava currente**; quæ si non detur, dicitur de **Tempore** (scilicet vel Quadragesimæ, vel Passionis, vel Paschatis, vel Ascensionis); extra hæc Tempora dicitur **Præfatio communis**. (Q. 251.)

NOTÆ

1. Intelligitur Missa propria, quæ ut Votiva ponitur in fine Missalis, non autem Missa propria Festi. (Q. 226.)

2. Dicitur Missa de Festo SS. Cordis Jesu, cujus Introitus incipit *Miserebitur*, omisso in fine Introitus utroque *Alleluia*, extra Tempus Paschale. (Q. 228.)

3. De B. Maria V. in genere, aut de ejus Festivitate speciali. (QQ. 210, 211.)

4. Scilicet una ex quinque, quæ pro diversis anni Temporibus in fine Missalis inter Votivas assignantur. (Q. 210.) Missæ vero propriæ Festivitatum B. Mariæ V. non dici possunt extra earum Octavas (Q. 211), exceptis Missis Immaculatæ Conceptionis, et Septem Dolorum B. Mariæ V. (Q. 212.)

5. Dicitur tamen Hymnus *Gloria* infra Octavas B. Mariæ V. et Sanctorum; nec non in die obitus Sanctorum. (Q. 242.)

Dicitur Symbolum *Credo* infra Octavas B. Mariæ V. et Sanctorum. (Q. 250, II.)

6. Dicitur *Ite missa est*, quoties in Missa Votiva dictus fuerit Hymnus *Gloria*, alias dicitur *Benedicamus Domino*. (Q. 252.)

7. Propria, id est, vel Votiva de Angelis, quæ ponitur in fine Missalis, vel Missa propria de Festis Angelorum. (Q. 221, Nota 1ª.)

8. Cfr. regulæ speciales pro Missis Votivis de Apostolis traditæ post Q. 221, in Notis 4ª ad 8ªm.

APPENDIX II

De Obligatione dicendi Missas Votivas

Q. 255. *Quæ Missa dicenda est, si quis fidelis petit Missam* in sensu liturgico Votivam, *in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti, aut pro aliqua necessitate ?*

R. Ex variis Decretis S. Rituum Congregationis sequens jus statuitur super obligatione dicendi Missas Votivas.

1° « Diebus, quibus dici possunt Missæ Votivæ privatæ,... Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis, vel accepti manualis stipendii, propriæ obligationi non satisfacit, dicendo Missam de die occurrente : expressa enim voluntas testatorum, vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri. » (Decret. 3 Martii 1761, n. 2461, ad 7, antiq. 4299, ad 14.)

2° Pro Missis Votivis ex fundatione vel legato, monet S. Congregatio, « ne in futurum recipiatur obligatio ad Missas Votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, n. 3.)

3° Missis Votivis a fidelibus petitis per Missæ de die occurrente applicationem satisfieri nequit, sine facultate Sedis Apostolicæ, et Missæ Votivæ non sunt acceptandæ, nisi pro illis diebus in quibus celebrari possunt, et si ob multitudinem non sufficiant dies non impediti, Summus Pontifex aliquando in casu particulari dispensat, ut pro Missis jam acceptatis sufficiat valor Missæ currentis. (Decret. 28 Septembris-3 Octobris 1872, n. 3285, antiq. 5528.)

4° Novissime S. Congregatio præcedentem decisionem mitigavit. Etenim, ad dubium : « Sacerdos cui erogatur eleemosyna ad celebrandum Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut Votivam in honorem alicujus

Mysterii, Beatæ Mariæ Virginis, vel Sancti ; satisfacitne obligationi suæ Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative ; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam de Requie, vel votivam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 4.)

Nota. Supradicta Decreta S. Rituum Congregationis applicari debent pro casu in Quæstione posito, quando eleemosynam exhibens postulat, explicite vel implicite, Missam in stricto **liturgico sensu Votivam**, et requirit non solum Missæ applicationem, sed et Missæ qualitatem.

Jamvero plurimi laicorum distinctionem nesciunt Missam Votivam inter et Missam diei currentis : et sæpius dubium erit quomodo eorum petitio sit intelligenda.

« Quare, ait Lehmkuhl, videtur ratio habenda esse diversarum regionum, in qua Missa in honorem certi Sancti petitur. »

« Si fideles norint communiter, quid sit Missa Votiva, atque eam communiter intendant, cum in honorem certi Sancti Missam postulant ; aut Missa Votiva dicenda est, aut qui dat stipendium monendus est de impedimento, si quod forte existit ; si vero fideles Missarum discrimen non norint, sed Sacerdotis arbitrio sese committant, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo applicari. » (Lehmkuhl, *Theologia moralis*, II, 201.)

Jure præsenti inspecto dicendum igitur est quod, si petitur Missa Votiva in specie, scilicet in sensu liturgico Votiva, diebus liberis obligationi non satisfiat nisi per Missam Votivam ; quod si ritus diei Missam Votivam non permittat, satisfit obligationi per Missam Officio conformem ; attamen, quantum fieri potest dicatur Missa Votiva.

Casus, in quibus per Missam diei, diebus non liberis, obligationi satisfiat, sunt, ex. gr. : si offerens stipendium consentiat ut Missa diei currentis dicatur ; — si sola applicatio fuerit postulata, non qualitas Missæ ;

quando scilicet, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam in honorem alicujus Sancti, etc., non intendens ipsam Missam sensu liturgico Votivam ; — si Missa Votiva differri nequeat in diem liberum ; ex. gr., si in aliquo Festo duplici, aut æquivalenti Officio, petitur Missa pro graviter infirmo, vel agonizante ; — item pluries declaravit S. Rituum Congregatio : Si Missa Votiva sit in cantu fundata, uti de Venerabili, Feria V : vel de B. Maria V. in Sabbato ; vel alia aliis diebus determinatis, quando est Dominica, vel Festum duplex, aut alia dies impediens Votivas, quod, loco Missarum Votivarum, celebrandæ sint Missæ de Festo currenti, et cum applicatione Sacrificii satisfiat, et Benefactorum mens impleatur.

Hic tandem notatur : Quomodo S. Rituum Congregationis verba « propriæ obligationi non satisfacit » dicendo Missam de die loco Votivæ, intelligenda sint, explicant auctores ; nempe : fructus specialis non ita applicatur per Missam diei, quemadmodum per Missam Votivam juxta intentionem stipendium dantis fieri debebat : hæc autem fructus diminutio petenti non quidem affert tantum detrimenti, ut inde grave peccatum oriatur, et Sacerdos teneatur sub gravi novum Sacrificium præstare, aut stipendium restituere; quia intentio essentialiter adimpleta est, et fructus principalis æqualis est in omnibus Missis ; attamen Sacerdos in casu quoad circumstantias accidentales non satisfecit, quia promissis non stetit, et virtutem fidelitatis lædit.

APPENDIX III

De Sacerdote infirmo, dispensato ad legendum, tum Missam Votivam de B. Maria V., tum Missam de « Requiem »

Q. 256. *Quodnam privilegium conceditur aliquando Sacerdotibus cæcutientibus, vel gravi ætate pressis, pro celebratione Missæ ? Quæ variæ conditiones pro casu sunt animadvertendæ ?*

R. I. Sacerdotes senio fatescentes, vel debilitate oculorum laborantes, nonnumquam privilegium obtinent

celebrandi, singulis diebus, Missas, non Officiis dierum conformes, sed de B. Maria V., aut de *Requiem*. Conceditur hujusmodi privilegium a Summo Pontifice, vel a S. Congregatione Rituum ; aliquando etiam Episcopi muniti sunt Apostolica facultate illud Sacerdotibus suæ Diœceseos singillatim id petentibus concedendi.

II. Variæ pro his Missis reperiuntur conditiones a S. Rituum Congregatione positæ, quæ hic breviter referuntur.

1° Conditiones privilegio appositæ non sunt simplices Curiæ formæ, neque meræ ritualitatis et styli, sed obligant in conscientia. (Decret. 16 Martii 1805, n. 2560, antiq. 4498, ad 4.)

2° Missæ quæ celebrari permittuntur, sunt vel Missa Votiva de B. Maria V., vel Missa de *Requiem*.

Missa Votiva B. Mariæ V., intelligitur illa ex quinque Votivis, in fine Missalis assignatis, quæ inscribitur « a Pentecoste usque ad Adventum » ; attamen, modo facile fieri queat, aliæ quatuor pro diversis anni temporibus assignatæ etiam dici possunt. — Quoad Missas proprias Festorum B. Mariæ V., declaravit S. Congregatio, quod Sacerdos non tenetur ad Missam de Festo in Festis B. Mariæ V. (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 1, antiq. 5102, ad 8.)

Missa de *Requiem* intelligitur quotidiana, cum tribus suis Orationibus, quæ quarto loco in Missali describitur.

3° Missa Votiva de B. Maria V. dici debet, juxta tenorem privilegii, « diebus festis et duplicibus » ; sub qua denominatione intelliguntur Dominicæ quæcumque ; Festa duplicia omnia, etiam 1^ae^ classis, necnon Octavæ privilegiatæ, Vigiliæ privilegiatæ, Feriæ privilegiatæ. Itaque dicitur hæc Votiva, ex. gr., in Dominica Palmarum, in Paschate, in Pentecoste, in Nativitate Domini, in Assumptione B. M. V., in Feria IV Cinerum, in Vigilia Pentecostes, etc. (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 1.) — In Sacra Triduo autem Hebdomadæ Sanctæ, Sacerdos cæcutiens ab omni celebratione se abstinebit.

Missa de *Requiem* celebrari potest tantum « diebus ferialibus, vel semiduplicibus », quibus hic in casu in-

telliguntur omnes et soli illi, in quibus per Rubricas licet celebrare Missas de *Requiem* privatas. In his, privilegio donatus non quidem tenetur celebrare Missas de *Requiem*, sed ad arbitrium suum Sacrum faciet vel de B. Maria V., vel de *Requiem*.

4° Missa Votiva de B. Maria V. semper celebrari debet cum paramentis albi coloris, et non coloris Officio diei conformis. (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 2.)

5° In Missa Votiva B. Mariæ V. omitti debet semper Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, etiam in Festis solemnioribus ; item infra Octavas B. Mariæ V. Tantum dici potest Hymnus in Sabbatis. (Decreta 23 Februarii 1839, n. 2788, antiq. 4847, ad 1 ; 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 3 ; 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 2.) — Ex citatis Decretis auctores generatim concludunt quod Sacerdos Hymnum *Gloria* nequidem in ipsis Festis B. Mariæ V., in Missa Votiva dicere possit ; attamen ex ipsis Decretis id non liquido patet, cum hæc Hymnum prohibeant per, seu infra Octavas.

6° Missa Votiva de B. Maria V. semper celebrari debet sine ulla Commemoratione occurrentium Officiorum, aut collecta imperata ; ita ut semper dicantur, secundo loco Oratio de Spiritu sancto, tertio autem Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 4 et 5) ; — sine *Credo*, quamquam dies sit Dominicus, vel solemne Festum quodcumque (Decret. supra citatum ad 3) ; — cum Præfatione de B. Maria, in qua semper dicetur : *Et te in veneratione* (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 4, et Ordo Missæ).

7° In Festo Nativitatis Domini, Sacerdos cæcutiens tres Missas celebrare non potest, sed unam tantum, de B. Maria V. (Decret. 11 Aprilis 1840, n. 2802, ad 3, antiq. 4878, ad 4.)

8° Privilegium datur, dummodo orator non sit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in Oratorio privato, aut, si in Ecclesia publica, hora a populo minus frequentata, et cum alio assistente Sacerdote, quatenus eo indigere videatur.

Si cæcutiens privilegium obtinuit, et postea devenerit ad omnimodam cæcitatem, in eo casu non perseve-

rat privilegium cæcutienti concessum, et non potest licite perseverare in Missæ celebratione, donec novum Indultum fuerit a S. Congregatione obtentum. (Decret. 16 Martii 1805, n. 2560, antiq. 4498, ad 3.) Sacerdos cæcus sub gravi tenetur uti assistentia alterius Sacerdotis, etiamsi in concessione hæc obligatio expressa aliquando non fuisset.

9° Parochus qui hujusmodi privilegium obtinuit, tenetur curare, ut, quoties Missa pro populo debet applicari, alius Sacerdos Missam Officio occurrenti respondentem celebret. Casu quo alius Sacerdos non possit præsto esse, non excusatur quidem Parochus a Missa pro populo applicanda, sed Votivam, quam solum celebrare ipse valet, pro populo tunc applicare tenetur ; Missa Officio correspondens enim hic injungitur tamquam conditio accidentalis, a qua gravis causa, qualis est absentia alterius Sacerdotis, excusare potest ; remanet autem obligatio principalis applicationis pro populo, quæ omnino fieri debet.

§ 2. DE MISSIS VOTIVIS SOLEMNIBUS

Q. 257. *Quæ est causa gravis, et publica, quam Rubricæ requirunt, ut ab Ordinario Missa Votiva solemnis cantanda indici vel permitti possit ?*

R. Causa gravis censetur necessitas, spiritualis vel temporalis, publica seu communis, quæ, per se vel per accidens, afficit Ecclesiam, patriam, diœcesim, regionem, ad commune bonum omnium vel saltem majoris hominum partis. (Cfr. Q. 206.)

Omnes causas graves circumscribere accommodatæ definitionis terminis difficile quidem est ; porro, cum Missas Votivas solemnes indicere solius sit Episcopi, ad ipsum pertinet judicare de causa, an gravis satis et publica sit.

Ex Variis Decretis S. Rituum Congregationis, causæ sufficientes declaratæ fuere : beneficium commune obtinendum, uti pacis, pluviæ, serenitatis ; afflictio communis avertenda, ex. gr., belli, morbi, pestis ; sanitas recuperanda Summi Pontificis, Episcopi, Regis ; electio Summi Pontificis, nominatio Episcopi ; gratiæ agendæ

pro impetrato magno beneficio communi, vel pro depulsa communi afflictione. Item apud Religiosos electio Superioris Ordinis vel Provinciæ in comitiis generalibus vel provincialibus. (Cfr. Q. 206.)

Q. 258. *Indica quasdam causas, quæ reputatæ sunt non satis graves ad celebrandum Missam Votivam solemnem.*

R. Tales inter alias sunt : vestitio vel professio religiosa ; electio abbatissæ ; primitiæ neo-presbyterorum ; jubilæum 50 annorum ; processio quæ instituitur ratione SS. Sacramenti, vel alicujus Festi seu solemnitatis ; novemdialis vel octiduum ante vel post aliquam solemnitatem, quantumvis solemniter celebretur ; Missa in honorem Sancti sub cujus titulo erecta est confraternitas, nonobstante antiqua consuetudine, et concursu populi ; solemnitas alicujus Mysterii vel Sancti extra proprium diem peragenda ; Adoratio perpetua, vel alia expositio SS. Sacramenti, aut preces ad instar Orationis XL Horarum ; et similia. Pro plerisque ex indicatis causis exstant Decreta S. Rituum Congregationis, quæ causæ insufficientiam declarant.

Nota. I. Referre placet sequens S. Rituum Congregationis Decretum quoad Missam Votivam solemnem de Spiritu sancto ad initium scholarum. Ad dubium : « In Seminario Racholensi quotannis celebratur cum magno pompæ apparatu dies, qua fit initium scholarum. Quæritur : Num hujusmodi solemnitas præbeat sufficiens motivum celebrandi, uti fit, Missam Votivam solemnem de Spiritu sancto ? Et quatenus Affirmative, poterit ne Ordinarius indulgere veniam, ut in perpetuum hæc Missa celebretur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Ad primam partem, decernendum ab Episcopo ; Ad secundam, Negative. » (Decret. 16 Junii 1893, n. 3804, ad 7.) — Unde concludi potest quod « Missa Votiva solemnis de Spiritu sancto in initio scholarum celebranda dependet ab Episcopo, qui tamen nequit indulgere veniam, ut in perpetuum hæc Missa celebretur. (Cfr. Index Decretorum, pag. 309 ; cfr. etiam Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 519 et 649.)

Nota. II. Renuntiare placet etiam, quod S. Rituum Congregatio, per Indultum 14 Decembris 1900, utendo facultatibus sibi specialiter a SS. Domino Leone Papa XIII tributis, potestatem fecit Emo ac Rmo Dno Petro Lamberto Cardinali Goossens, Archiepiscopo Mechliniensi, Missam Votivam solemnem in gratiarum actionem in pontificalibus canendi, in Metropolitana ipsiusmet Ecclesia, die 23 Decembris anni 1900, licet Dominica IV Sacri Adventus, qua die auspicatissima quinquagesimum

ipse anniversarium recoluit a suscepto sacro Presbyteratus ordine. — Hujusmodi exceptio confirmat regulam.

Q. 259. *Quibus diebus prohibentur Missæ Votivæ solemnes ?*

R. Prohibentur Missæ Votivæ solemnes sequentibus tantum diebus :

1° in Dominicis majoribus primæ classis, quæ sunt : I Adventus, I Quadragesimæ, de Passione, in Palmis, in Albis (Octava Paschæ), et I post Pentecosten (SS. Trinitatis) ;

2° in omnibus Festis duplicibus primæ classis ;

3° in Feriis pivilegiatis, quæ sunt Feria IV Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ ;

4° in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, et Pentecostes.

(Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis 30 Junii 1896, n. 3922, § II, n. 2.)

Permittuntur itaque Missæ Votivæ solemnes :

1° in Festis duplicibus secundæ classis, duplicibus majoribus, et minoribus, et inferioris ritus ;

2° in Dominicis majoribus secundæ classis, et in omnibus Dominicis communibus ;

3° infra Octavas omnes, etiam privilegiatas ;

4° in Vigilia privilegiata Epiphaniæ, et in Vigiliis minoribus ;

5° in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatæ.

Q. 260. *Quid faciendum est, si diebus prohibitis aliqua Missa Votiva solemnis præscribitur ?*

R. In tali casu celebranda est Missa solemnis vel cantata Officio conformis, cum vel sine *Gloria*, cum Orationibus, cum vel sine *Credo*, etc., prout illa Missa exigit ; sed Orationi principali hujus Missæ addenda est, sub unica conclusione, Oratio Missæ Votivæ ; et sic Missa diei currentis substituitur Missæ Votivæ solemni. Quod si Missa diei vi Rubricarum plures haberet Orationes, istæ dicentur sub altero *Oremus*, et cum altera conclusione. (Cfr. Q. 113, 1°.)

Exemplum. Supposito quod Episcopus præscribat Missam Votivam solemnem per Diœcesim celebrandam *de Spiritu san-*

cto, die 22 Julii, in Festo duplici minori S. Mariæ Magdalenæ ; in iis locis quorum S. Maria Magdalena est Patrona, vel in iis Ecclesiis quarum est Titularis, in quibus ejus Festum celebratur solemniter ritu duplici 1 classis, non poterit præscripta Missa Votiva *de Spiritu sancto* celebrari ; sed in Missa solemni S. Mariæ Magdalenæ, Orationi propriæ hujus Sanctæ addenda erit, sub unica conclusione, Oratio Missæ Votivæ *de Spiritu sancto.*

Q. 261. *Si Ordinarius indicat Missam Votivam solemnem, in Dominica cantandam, ex. gr., pro pace ; quæritur pro quo hæc Missa specialiter applicanda sit ?*

R. Hæc Missa, sive Votiva, sive de die cantetur, applicanda est pro populo, si sit Missa Parochialis, quæ celebratur a Parocho vel ab alio ejus vices subeunte ; si autem non sit Missa Parochialis, libera est ejus applicatio. Hæc Missa vi indictionis Ordinarii specialiter, ex.gr., pro pace, applicari non debet ; Ordinarius enim non præscribit, ut Missa pro pace specialiter applicetur, sed, sicut communiter fieri solet, et prout Quæstio supponit, tantummodo indicit Missam Votivam in Dominica cantandam. Hæc igitur Missa, pro quocumque specialiter applicetur, per preces et orationes quæ in eadem dicuntur, tendit ad finem ad quem ab Ordinario est indicta ; sicut Missæ in honorem Sanctorum tendunt ad illos Sanctos honorandos, etiamsi pro vivis aut defunctis offerantur. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechliniensis, anni 1872, ex Liturgia Q. III.)

Q. 262. *Quænam observanda sunt, in Missa Votiva solemni, pro diversis partibus Missæ ?*

R. Ex Rubricis generalibus, et ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, sequentia proponuntur observanda pro diversis partibus Missæ Votivæ solemnis :

I. Hymnus *Gloria in excelsis* semper dicitur in omni Missa Votiva solemni ; nisi Missa celebretur in colore violaceo, quia tunc Hymnus omittitur.

II. Quoad Orationes in Missa Votiva solemni, dicit Missalis Rubrica (Tit. IX, n. 14) : « In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, dicitur una tantum Oratio ». Omittitur itaque quæcumque Commemoratio occurrentis Officii, etiam Dominicæ, Feriæ majoris, etc., etsi una tantum Missa in Ecclesia celebretur ; id autem intelligitur de

Ecclesiis, ubi onus Missæ Conventualis (cfr. Q. 9) non est, quales sunt Ecclesiæ nostræ parochiales.

III. Sequentia in Missa Votiva solemni, æque ac in Missa Votiva privata (cfr. Q. 249), semper omittitur.

IV. Symbolum *Credo* semper dicitur in omni Missa Votiva solemni, etiamsi celebraretur de Sancto, in cujus Festo Symbolum per se non dicitur.

Excipe casum Missæ Votivæ solemnis quæ celebratur in Feriis hebdomadæ cum colore violaceo ; verum, si Missa Votiva solemnis in colore violaceo celebratur in Dominica, tunc etiam Symbolum dicitur.

V. Præfatio in Missa Votiva solemni iisdem regulis regitur quibus in Missa Votiva privata (cfr. Q. 251, I).

Notare hic juvat duos casus, qui regulis positis quidem commode solvuntur, sed pro quibus forsan dubium occurrere posset, nempe :

1° In Missa Votiva solemni numquam dicitur Præfatio Festi occurrentis, in quo celebratur.

2° Si Missa Votiva solemnis celebretur in Dominica, et si ipsa Missa Votiva, aut Octava, aut Tempus Præfationem propriam non habeat, Præfatio dicitur de SS. Trinitate.

Exempla. Si Missa Votiva solemnis præscriberetur celebranda de S. Joseph, die 25 Julii, in Festo duplici 2 classis S. Jacobi, Apostoli, quod Præfationem in Missa propriam de Apostolis habet ; nulla jam occurrente Octava cum propria Præfatione, nullaque data Temporis anni propria Præfatione, in hac Missa Votiva solemni, si celebratur infra hebdomadam, dicetur Præfatio, non de Apostolis, sed communis.

Quod si dies 25 Julii occurreret in Dominica, in eadem Missa Votiva solemni de S. Joseph diceretur Præfatio, non de Apostolis, ut supra dicitur, sed de SS. Trinitate. Eadem Missa Votiva solemnis de S. Joseph si fuerit præscripta in Festo SS. Rosarii B. Mariæ V. (Dominica I Octobris), dicetur Præfatio SS. Trinitatis ; — in Festo Nativitatis B. Mariæ V. (8 Septembris), dicetur Præfatio B. Mariæ V., occurrente jam Octavæ Nativitatis B. Mariæ V. primo die ; — in aliquo die infra hebdomadam Passionis, dicetur Præfatio de Cruce, quæ propria est Tempori Passionis in anno ecclesiastico (cfr. QQ. 158, 159).

VI. Oratio infra Actionem, seu Canonem, quæ incipit : *Communicantes*, quæ propria habetur in Festis et infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis Domini, et Pentecostes, propria etiam

dicitur in quacumque Missa Votiva solemni infra has Octavas celebrata, etiamsi propriam Præfationem Missa Votiva habeat. (Cfr. Q. 251, II.)

VII. Quoad *Ite missa est*, eadem regula observatur, quæ data fuit pro Missis Votivis privatis (Q. 252, I); itaque dicitur, quando in Missa Votiva solemni dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis* (vide supra ad I); secus dicitur *Benedicamus Domino*.

VIII. Ultimum Evangelium tandem, in Missa Votiva solemni sicut in privata, semper dicendum est Initium S. Evangelii secundum Joannem; quamvis Missa celebretur in Dominica, vel Vigilia, vel Feria proprium Evangelium habente (cfr. Q. 252, II).

Q. 263. *Quid notandum est pro cantu in Missa Votiva solemni?*

R. In Missa Votiva solemni adhibetur semper tonus festivus, seu solemnis, pro Orationibus, Præfatione, Oratione Dominica, et *Ite missa est;* et quando celebratur in colore violaceo, *Benedicamus Domino* cantatur etiam in tono solemni (quemadmodum *Ite missa est* in Festis duplicibus), sicuti describitur in Canone Missæ, in fine. (Cfr. Tractatus Sacræ Liturgiæ: *Cæremoniale*, Appendix II.)

§ 3. DE MISSIS VOTIVIS PRIVILEGIATIS

Q. 264. *Quænam sunt præcipuæ Missæ Votivæ privilegiatæ de quibus hic dicendum est?*

R. Præcipuæ Missæ Votivæ, quæ, etsi solemnes stricto sensu dici nequeant, tamen aliquo modo privilegiatæ dici possunt (cfr. QQ. 205 in Nota, et 207), sunt sequentes:

I. Missa quam celebrare permittunt Rubricæ Missalis (Tit. VI) de Festo transferendo.

II. Missæ Votivæ quatuor Festorum, quorum Solemnitas est transferenda in Dominicam, juxta Indultum 9 Aprilis 1802, Cardinalis Caprara.

III. Missa Votiva quæ celebratur tempore Precum XL Horarum, aut, ex Indulto speciali, in Adoratione perpetua.

IV. Missa Votiva dicta Aurea, quæ ex immemorabili consuetudine celebratur Feria IV Quatuor Temporum Adventus.

V. Missa Votiva in Anniversario Electionis seu Consecrationis Episcopi.

VI. Solemnitas quæ institui potest in honorem Sancti Joannis Berchmans, in nostra Diœcesi, Dominica quæ in mense Novembri tertia occurrit.

VII. Missa Votiva de SS. Corde Jesu, quæ celebrari potest in Feria sexta quæ prima in unoquoque mense occurrit.

VIII. Missa quæ celebratur de Dedicatione, in ipso die Consecrationis seu Dedicationis Ecclesiæ, aut Altaris.

IX. Missa Votiva pro sponso et sponsa.

Ex enumeratione istarum Missarum jam statim patet, ipsas non habere conditiones Missæ Votivæ solemnis stricte dictæ ; etenim : causæ plerumque non sunt stricte graves, neque publicæ ; sed sunt ex circumstantiis valde rationabiles, quæ aliquo privilegio mereantur gaudere ; Ordinarii, seu Episcopi speciale præceptum si pro ipsis desit, ex eis tamen quædam, vel a Rubricis præscribuntur, vel ab Apostolica Sede indulgentur, vel ex consuetudine permittuntur : tandem, ex ipsis nonnullæ solemniter celebrari debent, aut saltem in cantu, aliæ tamen legi tantum possunt (cfr. Q. 207).

Singularum privilegia et conditiones, quæ stricte quidem interpretari debent, ex tenore Rubricarum, vel privilegiorum, in sequentibus proponuntur.

I. De Missa de Festo transferendo

Q. 265. *Quinam sunt duo casus, in quibus Rubrica Missalis permittit cantare Missam de Festo transferendo ? Quid præcise tunc permittit Rubrica ?*

R. I. Rubrica Missalis (Titulo VI) duos sequentes casus designat :

1° Quando Festum Tituli Ecclesiæ alicujus transferendum est, ob occurrentiam cum Festo, vel Dominica, quæ ipsi præferuntur.

2° Quando ob eamdem occurrentiæ causam,transferri debet Festum, ad quod celebrandum in aliqua Ecclesia quotannis datur extraordinarius populi concursus.

II. In utroque casu permittit Rubrica, ut in illa Ec-

clesia cantentur duæ Missæ, una de die, seu de Officio quod præfertur, alia de Festo transferendo. Quinimo, in Ecclesiis, ubi non est obligatio cantandi quotidie Missam, quales sunt omnes nostræ Diœcesis Ecclesiæ parochiales (obligatio enim hæc datur tantum in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis), sufficit ut sola Missa de Festo transferendo cantetur.

Unica tantum Missa de hoc Festo potest cantari ; reliquæ autem Missæ in hujusmodi Ecclesia celebratæ, sive solemnes sint, sive privatæ, omnes celebrari debent de Officio occurrente, quod præfertur.

Exemplum. Supponitur quod S. Norbertus, Episcopus et Confessor, cujus Festum celebratur 6 Junii, sit Titulus alicujus Ecclesiæ, et quod die 6 Junii occurrat, uti fuit anno 1895, Feria V infra Octavam privilegiatam Pentecostes. Juxta regulas Occurrentiæ Officiorum, fit die 6 Junii Officium de Feria V infra Octavam Pentecostes, et Festum S. Norberti, etsi duplex primæ classis, utpote Titularis, transfertur in primam diem liberam. Attamen, vi Rubricæ Missalis, potest in illa Ecclesia, in Feria V infra Octavam Pentecostes, solemniter celebrari vel cantari, non autem legi, Missa una de Festo S. Norberti transferendo.

Q. 266. *Quinam dies excipiuntur, in quibus Missa Votiva solemnis de Festo transferendo non poterit celebrari ?*

R. Dies in quibus nullatenus hæc Missa Votiva de Festo transferendo poterit celebrari, excipiuntur sequentes, juxta Rubricam reformatam Decreto S. Rituum Congregationis, 11 Decembris 1897 :

1° Dominicæ majores 1 classis, scilicet : I Adventus ; I Quadragesimæ ; Dominica Passionis ; Dominica in Palmis ; Dominica in Albis (I post Pascha) ; Dominica SS. Trinitatis (I post Pentecosten).

2° Festa duplicia primæ classis : Paschatis cum duobus diebus sequentibus ; Pentecostes cum duobus diebus sequentibus ; Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, SS. Corporis Christi.

3° Feriæ privilegiatæ : IV Cinerum, et omnes Feriæ Majoris Hebdomadæ.

In his diebus non tantum non potest Missa Votiva celebrari, sed nequidem Commemoratio Festi transferendi fieri potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Aprilis 1853, n. 3009, ad 2, antiq. 5183, ad 13.)

Q. 267. *Quomodo ordinanda est Missa de Festo transferendo?*

R. Missa de Festo transferendo celebranda est eodem prorsus modo ac Missa Votiva solemnis pro re gravi, seu publica Ecclesiæ causa (cfr. Q. 262); itaque cum *Gloria*, *Credo*, unica Oratione, et Evangelio S. Joannis in fine; quemadmodum supra (Q. 262) pro Missa Votiva solemni dictum fuit.

II. De Missis Votivis quatuor Festorum, quorum Solemnitas transfertur in Dominicam sequentem

Q. 268. *Expone rationem et circumstantias institutionis Solemnitatis quorumdam Festorum, quæ in nostra Diœcesi celebratur.*

R. Apostolicæ Sedis Officium est, servandæ ecclesiasticæ disciplinæ rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportune ac suaviter provideatur. Quapropter Summus Pontifex Pius VII, initio hujus sæculi, pro Galliarum Reipublicæ, quæ nostram patriam suæ ditionis fecerat, universo territorio, prout tunc existebat, constituto jam post perturbationis tumultum novo rerum ordine, deliberavit de contrahendo numero dierum Festorum, in quibus fideles eatenus tenebantur præcepto audiendi Missam, vacandique ab operibus servilibus. Statutum fuit, per Indultum pro reductione Festorum, datum Parisiis 9 Aprilis 1802, ab Emo Cardinali a Latere Legato Caprara, in posterum solummodo esse observandos, præter Dominicos dies, quatuor dies Festos, scilicet, Nativitatis D. N. J. C., Ascensionis, Assumptionis B. M. V., et Omnium Sanctorum; in reliquis Festis vero fideles ab utroque præcepto censeri et esse absolutos; ea tamen lege, ut in diebus Festis suppressis, seu abrogatis, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum Officiorum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, quæ et sicuti eatenus consueverant. (Festa abrogata indicantur Q. 11, II, 3°.)

Exceptio tamen statuta fuit pro quatuor Festis, nempe Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum

cujuslibet Diœcesis et Paræciæ, de quibus dicit Indultum quod « in Dominica proxime occurrente in omnibus Ecclesiis celebrabuntur ». (Cfr. Indultum in Collectione Epistolarum Pastoralium pro regimine Archidiœcesis Mechliniensis, Tomo I (III), pag. 45.)

Variæ subinde exortæ sunt difficultates circa interpretationem Indulti, quoad celebrationem quatuor Festorum, pro quibus exceptio fuerat statuta quod in Dominica proxime occurrente celebrarentur. Ex Directoriis pro Ordine Officiorum Archidiœcesis Mechliniensis constat, quod hæc Festa anno 1803, propriis suis diebus totaliter fuerunt omissa, et translata etiam quoad Officium et Missam in Dominicas sequentes.

Ita, ex. gr., anno 1803, 5 Januarii, loco Vigiliæ Epiphaniæ, celebratum fuit Festum S. Hilarii, ex 14 Januarii; 6 Januarii, loco Festi Epiphaniæ, Festum S. Pauli Eremitæ, ex 15 Januarii; 7 Januarii, Festum S. Marcelli, ex 16 Januarii; 8 Januarii, quæ erat Sabbatum, indicatur Vigilia Epiphaniæ; 9 Januarii, Dominica, Festum Epiphaniæ, cujus Octava celebrata fuit per totam hebdomadam sequentem; Feria II post Octavam, 17 Januarii, ordo regularis reassumptus fuit per celebrationem Festi S. Antonii, Abbatis. Et ita de ceteris. Hæc singularis confusio et permistio duravit partim usque ad annum 1805 inclusive.

Ex parte Vicarii Generalis Archiepiscopi Mechliniensis hac de re dubia fuerunt proposita Emo Cardinali Caprara, qui, Decreto dato Parisiis, 21 Junii 1804, varias tradidit regulas, quibus omnia opportune disponi poterant, et sequentia quoad quatuor Festa anno 1802 excepta statuit :

1° Officia Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum cujuslibet Diœcesis et Paræciæ, recitanda erunt a Clero tam privatim, quam publice in Ecclesiis, et Missa de eisdem Festis erit dicenda in proprio suo die.

2° In dicto proprio die fideles neque ad audiendam Missam, neque ad abstinendum a servilibus operibus obligati erunt.

3° Sola Solemnitas præfatorum Festorum differetur in Dominicam subsequentem, in qua Officium quidem a Clero, tam publice quam privatim, et Missa recitabitur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum

ordinem ; canetur tamen una Missa solemnis de Festo illo, more votivo, cum unica Oratione : minime omissa in Cathedralibus, aliisve Ecclesiis, in quibus Officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, altera Missa Conventuali de Festo occurrente. (Cfr. Decretum in Collectione Epistolarum supra citata, pag. 128.)

Notari potest quod Indulta hujusmodi aliis etiam regionibus concessa reperiuntur, pro iisdem, vel pro aliis quoque Festis, ad Solemnitatem in populo recolendam.

Q. 269. *Quænam sunt quatuor Festa, quorum Solemnitas in nostra Diœcesi, juxta Indultum 9 Aprilis 1802, transfertur in Dominicam sequentem ?*

R. Festa quorum Solemnitas, quando infra hebdomadam occurrunt, transfertur in proximiorem Dominicam sequentem, sunt quatuor sequentia : Epiphania Domini ; Festum SS. Corporis Christi ; Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ; Festum Patroni præcipui seu principalis cujuslibet loci, scilicet civitatis, oppidi vel pagi (non vero Festum Titularis Ecclesiæ).

Nota. Quoad Festum Patroni loci, juvat sequentia addere : Indultum 9 Aprilis 1802 indicat Festa « **SS. Patronorum cujuslibet Diœcesis et Paræciæ** » ; sequenti modo intelligenda est hæc indicatio :

1° Per **Patronos parochiæ** non intelliguntur Titulares Ecclesiarum, licet vulgo nomine Patronorum vocentur ; sed tantum proprii **Patroni locorum**, scilicet civitatis, oppidi vel pagi ; quorum solum Festa celebrabantur olim cum feriatione, seu duplici obligatione audiendi Sacrum, et abstinendi, seu vacandi ab operibus servilibus.

Exemplum : In civitate Mechliniæ, Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, quod celebratur 1 Julii, tamquam Patroni loci, habet Solemnitatem translatam in Dominicam pro tota civitate, pro omnibus parochiis civitatis ; Festum vero S. Catharinæ, Virginis et Martyris, quod celebratur 25 Novembris, Titularis Ecclesiæ hujus nominis in civitate Mechliniensi, non habebit Solemnitatem translatam, quia S. Catharina, Titularis Ecclesiæ, non est Patrona loci, nequidem parochiæ S. Catharinæ.

2° Verba Indulti : « **SS. Patronorum cujuslibet Diœcesis vel Paræciæ** », sic sunt intelligenda, quod in locis ubi non habetur specialis Patronus (quæ rara sunt in nostra Diœcesi), ibi transferenda sit Solemnitas Patroni Diœcesis. Sed notandum est, quod in Indulto supponitur Patroni Diœcesis Festum habuisse ante Indultum feriationem, seu duplicem de qua supra obligationem annexam ; jamvero S. Rumoldus tamquam Patronus totius Diœcesis Mechliniensis colitur tantum inde ab Indulto, seu concessione 20 Julii 1838, ejusque Festum celebratur ab omni clero ritu duplici primæ classis cum Octava, sed absque feriatione ; proinde nullibi in Diœcesi, tamquam Diœcesis Patroni, transferenda est ejus Solemnitas.

Q. 270. *In quo consistit illa Solemnitatis translatio ?*

R. Solemnitatis translatio consistit in eo, quod 1° obligatio feriationis, seu audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, translata sit in Dominicam non impeditam quæ Festum hujusmodi proxime sequitur ; — 2° in eadem Dominica Missa unica solemnis, vel cantata celebranda est de Festo, cujus Solemnitas translata est ; eo fine, ut a populo debite colantur die Dominico illa Festa, quorum feriatio supprimitur in eorum die proprio.

Et hic notandum est quod, si in quibusdam locis, uti in pluribus nostræ Diœcesis fit, hæc Festa quatuor a populo etiam colantur et serventur ex devotione, quemadmodum ante Indultum, in suis propriis diebus, ideo tamen non liceat Missam Solemnitatis in Dominica proxime sequenti omittere ; sed standum omnino sit Indulto, et nihilominus debeat in illa Dominica peragi Solemnitas. Ita pluries declaravit faciendum S. Rituum Congregatio, et recenter etiam confirmavit. (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, ad 4.)

Nota. I. In quibusdam locis eadem Dominica Solemnitatis etiam solemniter cantantur Vesperæ ; nihil obstat ; sed animadvertendum est quod, si Vesperæ cantantur de Festo cujus Solemnitas agitur, non omitti possunt Vesperæ Officii currentis, ubi adest obligatio (Decret S. Rituum Congregationis, 30 Januarii 1878, n. 3441, antiq. 5719) ; et quod omnes Clerici in

Sacris constituti et Officio divino addicti tenentur in casu adhuc ad recitandas privatim, si non fuerint cantatæ, Vesperas de Festo occurrente; quia Vesperæ de Solemnitate translata solum devotionis gratia permittuntur. (Decret. 18 Maji 1878, n. 3450, antiq. 5731.)

Nota. II. Quomodo Solemnitas sit instituenda pro Festis Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, quotannis adnotatur in Directorio seu Ordine Diœcesano Officiorum; sed pro Solemnitate Patroni loci, unusquisque Parochus vel Rector debet ipse ordinare, quæ in hunc finem agenda sunt in sua Ecclesia vel Oratorio. In Directorio Diœcesano indicatur quidem Solemnitas S. Rumoldi, Civitatis Mechliniensis Patroni; sed quæ ibi indicantur juvant exclusive clerum hujus Civitatis. Ideo uniuscujusque interest nosse regulas in sequentibus Quæstionibus traditas pro debita institutione Solemnitatis proprii Patroni loci.

Animadvertere juvat quod S. Rituum Congregatio rem opportunam judicavit, pro Ecclesiarum omnium quibus Indultum Solemnitatis favet utilitate, plura declarare ac definire, et antea resoluta resumere per « Decretum declarationis Indulti pro Solemnitate Festorum transferenda », 2 Decembris 1891 (n. 3754); quod Decretum anno 1900 tantum publici juris factum fuit in nova editione Collectionis Decretorum.

Q. 271. *Quomodo celebrari debet Missa Solemnitatis horum Festorum translatæ in Dominicam?*

R. Ex responso Cardinalis Caprara, 21 Junii 1804, et ex variis Decretis S. Congregationis Rituum, sequentia statui possunt de Missa Solemnitatis horum quatuor Festorum:

1° In Ecclesiis parochialibus, et in Oratoriis publicis, in quibus Missa de more in Festis cantatur, debet unica Missa solemnis de Festo quoad Solemnitatem translato more votivo cantari; Officium vero, tam publice quam privatim, et reliquæ Missæ in tali Dominica celebratæ, non possunt dici de Solemnitate translata, sed dicuntur juxta consuetum ordinem, de Officio occurrente in illa Dominica.

Nota. Hæc Missa non potest esse lecta, sed debet esse solemnis, aut saltem cantata. (Decret. 6 Septembris 1890, n. 3735, ad 1.)

2° In hac Missa dicitur *Gloria*, et *Credo*; et in Missa

Solemnitatis SS. Sacramenti dicitur et cantatur Sequentia *Lauda Sion*, ut in ipso Festo.

3° In hac Missa dicitur una tantum Oratio, et Commemorationes quæcumque omittuntur. — Attamen in iis Ecclesiis ubi non adest Missæ Conventualis obligatio, ergo in omnibus nostræ Diœcesis Ecclesiis parochialibus, additur sola Commemoratio Dominicæ sub distincta conclusione. — Ubi vero alia Missa Conventualis de Officio occurrente celebratur, nempe in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in Missa Solemnitatis omittitur Dominicæ Commemoratio, quia Dominicæ Oratio dicitur in altera Missa. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 2.)

Nota. In Missa Solemnitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli non dicenda est Commemoratio Omnium SS. Apostolorum, quæ fit in ipso Festo SS. Petri et Pauli, et de qua agitur Q. 79, Nota II.

4° Præfatio dicitur propria Festi ; si vero Patronus loci non habeat Præfationem propriam, dicitur Præfatio, vel de Octava currente, vel de Tempore, vel de SS. Trinitate. (Decret. 10 Februarii 1888, n. 3683.)

5° In fine dicitur Evangelium Dominicæ occurrentis, in iis Ecclesiis ubi facta fuit Dominicæ Commemoratio; in aliis vero dicitur Initium Evangelii S. Joannis.

Q. 272. *An Solemnitas supradictorum Festorum etiam transferenda est, quando illa Festa incidunt in Dominicam ? Explica.*

R. Casus haberi potest pro Festis Epiphaniæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Patroni loci.

1° Si Festa Epiphaniæ (6 Januarii), et SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii) incidunt aliquo anno in Dominicam, celebrantur necessario cum feriatione in proprio suo die, et Solemnitas non est transferenda ; ideoque Missa cantatur de Festo. In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli fit Commemoratio Dominicæ, ac dicitur ejus Evangelium in fine. (De Commemoratione Omnium SS Apostolorum vide Q. 79, Nota II.)

2° Si Festum Patroni loci incidit in aliquam ex Dominicis primæ classis (Dominica Palmarum excepta), nempe in Dominicam I Adventus, Dominicam I Qua-

dragesimæ, Dominicam Passionis, Dominicam in Albis, Dominicam I post Pentecosten seu SS. Trinitatis; — tunc cantari debet Missa de Dominica, et illius primæ Orationi adjungi, sub unica conclusione, occurrentis Festi Patroni Commemoratio ; quoad reliqua servantur Rubricæ pro Missa hujus Dominicæ, nempe quoad ritum, colorem, Orationes dicendas. Et de dicta Solemnitate nihil amplius fit.(Decret.2 Decembris 1891, n. 3754, ad 3.) Officium Patroni transfertur in primam diem liberam juxta Rubricas Breviarii.

Exemplum : S. Gertrudis, Virgo, apud Nivigellenses celeberrima, cujus Festum in Archidiœcesi Mechliniensi colitur 17 Martii, in pluribus locis Diœcesis est Patrona loci. Potest occurrere Festum in Dominicam Passionis, et necessario debet Officium transferri in primam diem liberam. Sed pro Solemnitate cantabitur Missa Dominicæ Passionis ; ast Orationi Dominicæ adjungetur sub unica conclusione Oratio S. Gertrudis ; dein dicto iterum *Oremus*, dicetur 2 Oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa. Pro reliquis dicitur hæc Missa juxta Rubricas.

3° Si Festum Patroni loci incidit in Dominicam Palmarum, aut in Festum aliquod ex solemnioribus universalis Ecclesiæ, puta Dominicam Paschatis et Dominicam Pentecostes ; — tunc celebrari debet Missa de his Dominicis ; et de Patrono nulla Commemoratio fieri potest ; neque transfertur Patroni Solemnitas, sed tantum transfertur ejus Officium juxta Rubricas. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 3.)

Exemplum : Festum S. Gertrudis, Patronæ loci, de quo supra, potest occurrere in Dominicam Palmarum, et debet Officium ipsius transferri in primam diem liberam post Octavam Paschatis. Pro Solemnitate S. Gertrudis, Patronæ, nihil fieri poterit in Missa Dominicæ Palmarum ; neque transferri potest Solemnitas, sed in casu simpliciter omittitur.

Q. 273. Quænam sunt Dominicæ in quibus, ratione Officii occurrentis Dominicæ, cantari non potest Missa Solemnitatis translatæ ? Quid in casu faciendum est ?

R. I. Ex recentioribus dispositionibus concludendum hodie est, omnes et solas Dominicas majores 1 classis impedire celebrationem Missæ Solemnitatis translatæ. Hanc autem admittunt Dominicæ majores 2 classis, et Dominicæ per annum.

Itaque Missa Solemnitatis cantari non potest in sequentibus Dominicis : Dominica I Adventus ; Dominica I Quadragesimæ ; Dominica de Passione ; Dominica in Palmis ; Dominica Paschatis ; Dominica I post Pascha (in Albis) ; Dominica Pentecostes ; Dominica I post Pentecosten (SS. Trinitatis).

Insuper in casu æquiparantur Dominicis primæ classis Dominicæ in quibus incurrunt vel Vigilia Nativitatis Domini (24 Decembris), vel Festum Circumcisionis Domini (1 Januarii), vel dies Octava Festi Epiphaniæ (13 Januarii). (Cfr. Decreta 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 4 ; et 6 Martii 1896, n. 3890, ad 2.)

Dubium quod hucusque remanserat quoad Dominicas de Passione, I post Pascha, et I post Pentecosten, non amplius existit, ex quo S. Rituum Congregatio declaravit in his Dominicis eas Solemnitates celebrari non posse. Insuper Decretum 13 Septembris 1840 (n. antiq. 4910, ad 4), quo permissum fuerat, in Dominicis I Adventus et I Quadragesimæ, pro Solemnitate colenda Orationem Patroni addere sub unica conclusione Orationi Missæ harum Dominicarum, in nova Decretorum Collectione anno 1898 edita non amplius refertur.

II. In tali casu Missa Solemnitatis transfertur ulterius, scilicet in proximiorem Dominicam sequentem non impeditam.

Exempla : 1. S. Gertrudis, Virgo, cujus Festum in Archidiœcesi Mechliniensi colitur 17 Martii, in pluribus locis Diœcesis est Patrona loci. Anno 1899, hoc Festum occurrit Feria VI post Dominicam IV Quadragesimæ. Juxta regulam traditam, Solemnitas Festi Patronæ loci transferenda est in Dominicam proxime sequentem ; sed anno 1899, hæc Dominica est Dominica de Passione, major 1 classis, quæ non admittit Missam Solemnitatis. — Hucusque in his locis celebrata fuerat in casu hæc Missa ; sed post Decreta citata, anno 1899 fieri non potuit, et in posterum fieri non poterit. — Missa Solemnitatis igitur transferenda est in primam Dominicam sequentem non impeditam : jamvero, anno 1899, sequuntur post Festum quatuor Dominicæ Missam Solemnitatis impedientes : Dominica de Passione, in Palmis, Paschatis, et I post Pascha, omnes majores 1 classis ; et prima Dominica libera, admittens Missam Solemnitatis, est Dominica II post Pascha, 16 Aprilis ; in hac igitur, integro mense jam post Festum 17 Martii, celebranda est Missa Solemnitatis translatæ Festi S. Gertrudis, Patronæ loci.

Diceres, an in tali casu non liceret Missam Solemnitatis anticipare, eamque celebrare in Dominica IV Quadragesimæ ? Ad

hoc licite faciendum requiritur Indultum speciale, quod pro nostra Diœcesi non existit. — Concessa fuerunt hujusmodi Indulta, ut patet ex Decreto *Quebecen.*, 6 Martii 1896 (n. 3890, ad 1) ; sed applicari non possunt nisi ab iis quibus concessa fuerunt.

2. S. Amandus, Episcopus et Confessor, cujus Festum in Archidiœcesi Mechliniensi colitur 6 Februarii, Patronus loci est in pluribus Diœcesis locis. Anno 1894, Dominica proxime sequens post Festum erat Dominica I in Quadragesima : eo anno potuit, (nondum publicato Decreto citato), S. Amandi Solemnitas transferri in hanc Dominicam, et pro Solemnitate colenda Missa hujus Dominicæ cantari, juncta Oratione S. Amandi, sub unica conclusione, Orationi Dominicæ ; in posterum vero, in eo casu, quia Dominica I in Quadragesima impedit Solemnitatem, debebit Solemnitas transferri in Dominicam sequentem, nempe II in Quadragesima ; et in ea tunc cantabitur Missa Solemnitatis de S. Amando, in colore albo, facta Commemoratione Dominicæ, sub distincta conclusione, et dicto hujus Dominicæ Evangelio in fine.

(Cfr. Quæstiones in Conferentiis ecclesiasticis Archidiœceseos Mechliniensis agitatæ, anno 1897. De Liturgia, Q. III. — Collationes Brugenses, II, 1897, pag. 234 et sqq.)

Q. 274. *Quid faciendum est, si in Dominica, in quam transferenda est Festi Solemnitas, occurrat Festum aliquod duplex 1 classis ?*

R. Festa quatuor quorum transfertur Solemnitas sunt primaria ; etenim in Catalogo Festorum, quæ ex Decreto S. Rituum Congregationis, 27 Augusti 1893, uti primaria retinenda sunt, ut talia annotantur. (Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 109.) Hanc qualitatem retinet Missa Solemnitatis horum quatuor Festorum.

Quando in illa Dominica, in quam transferenda est Solemnitas, celebratur aliquod Festum duplex 1 classis, est quasi si occurrerent eadem die duo Festa duplicia 1 classis ; animadvertendum itaque venit, quænam sit qualitas et dignitas utriusque occurrentis, ut dignoscatur an Missa Solemnitatis celebrari possit, an vero transferri ad sequentem Dominicam debeat.

I. Si Festum duplex 1 classis quod celebratur in Dominica est secundarium, profecto poterit in hac Dominica cantari Missa Solemnitatis Festi, quia primarium est, et ideo prævalet.

Exemplum : Supponitur S. Georgium, Martyrem, cujus Festum colitur 23 Aprilis, esse Patronum loci. Anno 1901, Domi-

nica proxime sequens Festum S. Georgii erat Dominica III post Pascha, in qua celebratur Festum Patrocinii S. Joseph, quod in nostra Diœcesi est ritus duplicis 1 classis ; sed hoc Festum est secundarium ; prævalet ergo Missa Solemnitatis Festi S. Georgii, Patroni, quod est primarium ; et hac die cantari debet Missa Solemnitatis S. Georgii, cum Commemoratione solius Dominicæ, sed non occurrentis Festi Patrocinii S. Joseph, et Evangelio Dominicæ in fine (cfr. Q. 271, 3°, 5°).

II. Si Festum duplex 1 classis quod celebratur in Dominica est etiam primarium, quia utrumque occurrens jam est ejusdem ritus et qualitatis, si tunc Festum quod celebratur est personæ dignioris, quam Festum cujus Missa Solemnitatis est celebranda, prævalet Festum in Dominica celebratum, et Missa Solemnitatis non potest cantari, sed debet transferri ad sequentem Dominicam. (Decreta 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 5 ; et 20 Junii 1899, n. 4040.)

Exemplum : Supponitur S. Laurentius, Martyr, cujus Festum celebratur 10 Augusti, Patronus alicujus loci. Anno 1897, 10 Augusti est Feria III, et Solemnitas S. Laurentii, Patroni, occurrit præcise in Dominicam, 15 Augusti. in qua celebratur Festum Assumptionis B. Mariæ V., primarium ; sed cum Festum Assumptionis majoris sit dignitatis quam Festum S. Laurentii, non poterit in Dominicam diem, 15 Augusti, transferri S. Laurentii Solemnitas; erit ergo transferenda in Dominicam sequentem, in diem 22 Augusti.

III. Si Festum duplex 1 classis quod celebratur in Dominica est primarium, sed personæ minus dignæ quam Festum cujus Missa Solemnitatis est celebranda, prævalet Missa Solemnitatis, et celebratur in hac Dominica. (Decreta supra citata ad II.)

Exemplum : Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ celebratur 24 Junii ; si dies 24 Junii est Dominica, et in Feria V præcedente occurrisset Festum SS. Corporis Christi, hujus Solemnitas transferenda in Dominicam sequentem, celebranda venit in Festo S. Joannis Baptistæ; cum autem hoc Festum minoris sit dignitatis quam Festum SS. Corporis Christi, profecto poterit in Dominica, in qua celebratur Festum S. Joannis Baptistæ, celebrari Missa Votiva solemnis de Solemnitate SS. Corporis Christi.

IV. Si Festum duplex 1 classis quod celebratur in Dominica, est ejusdem qualitatis et dignitatis, quam

Festum cujus Missa Solemnitatis in hac Dominica foret celebranda; tunc celebratur Festum occurrens juxta Rubricas; Solemnitas vero transfertur in proximiorem Dominicam non impeditam. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 5.)

Exemplum ad hunc casum pro nostra Diœcesi non se offert.

Q. 275. *Quomodo agendum est, quando duæ Solemnitates in eamdem Dominicam occurrunt transferendæ?*

R. Solemnitas celebranda est de digniori, et transferenda est ad Dominicam subsequentem Solemnitas de minus digno. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3754, ad 6.)

Exemplum. Ubi S. Joannes Baptista est Patronus loci, quando ejus Festum, 24 Junii, occurrit Feria II, et Sabbato sequenti, 29 Junii, Festum SS. Petri et Pauli celebratur, jam in Dominicam, 30 Junii, occurrunt transferendæ Solemnitates duæ, S. Joannis Baptistæ, tamquam Patroni loci, et SS. Petri et Pauli. Dignitate præstat S. Joannes Baptista supra SS. Petrum et Paulum : ideo in Dominicam, 30 Junii, transferenda erit Solemnitas S. Joannis Baptistæ, et Solemnitas SS. Petri et Pauli transferetur in Dominicam sequentem, 7 Julii.

Nota. In civitate Mechliniensi sæpius occurrunt transferendæ in Dominicam I Julii duæ Solemnitates, nempe SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Rumoldi, civitatis Patroni. Pro hoc casu speciale Indultum a Sede Apostolica fuit concessum, die 1 Septembris 1838, scilicet : in Ecclesia Metropolitana cantatur Missa Solemnitatis S. Rumoldi, ut in ejus Festo, cum Commemoratione Solemnitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli, quorum Oratio, ex Missa Festi 29 Junii, conjungitur Orationi S. Rumoldi, sub unica conclusione; nulla fit Commemoratio; dicitur Præfatio Apostolorum, et in fine Missæ dicitur Evangelium S. Joannis : *In principio*. Ita fit quia celebratur Missa conventualis de Festo occurrente.

In omnibus aliis Ecclesiis et Oratoriis publicis Civitatis Mechliniensis, Missa solemnis cantatur de Solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut in eorum Festo ; et Orationi SS. Apostolorum additur, sub unica conclusione, Commemoratio S. Rumoldi, ut in ejus

Festo ; deinde, sub distincta conclusione, dicitur Commemoratio Dominicæ ; dicitur Præfatio Apostolorum, et in fine Evangelium Dominicæ.

Bene advertendum est, ita fieri in Civitate Mechliniensi tantum, vi præfati specialis Indulti, quod non extendi valet ad alia loca Diœcesis, quorum S. Rumoldus est Patronus ; in his, juxta responsum ad Quæstionem datum, Solemnitas S. Rumoldi, minus digni, transferenda est omnino ad Dominicam sequentem, et Dominica 1 Julii fit tantum Solemnitas de digniori Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Q. 276. *Quando Officium Patroni loci, ob occurrentiam Festi, alteriusve Officii prævalentis, transferri debet ultra sequentem Dominicam, an tunc etiam Festi Solemnitas ultra hanc Dominicam reponenda est ?*

R. Negative : id est : data translatione Officii Patroni loci, e proprio die ad diem liberum, ultra Dominicam quæ diem proprium proxime sequitur, non ideo transfertur Solemnitas Patroni ; sed remanet celebranda in prima libera Dominica quæ proprium Festi diem proxime sequitur ; etiamsi Festum nondum fuerit liturgice quoad Officium et Missam celebratum. Si vero Dominica ista ex iis esset quæ Solemnitatem non admittunt, hæc ulterius etiam est transferenda, sed, ut patet, hæc Solemnitatis translatio non pendet ab Officii translatione.

Exemplum. Supponitur S. Georgium, Martyrem, cujus Festum celebratur 23 Aprilis, alicubi esse Patronum loci. Anno 1889, occurrit, 23 Aprilis, Feria III infra Octavam Paschatis : hæc Octava adeo est privilegiata, ut nullum Festum, etiam ritus duplicis 1 classis admittat ; itaque Officium S. Georgii, Patroni, debet transferri in primum diem liberum, qui, anno 1889, habetur 11 Maji, Sabbato post Dominicam II post Pascha.

Missa Solemnitatis S. Georgii, Patroni, debet cantari in prima Dominica post Festum, id est, post diem proprium Festi ; anno 1889, Dominica proxime sequens hunc diem est Dominica in Albis, quæ, ut dictum fuit Q. 272, hanc Missam non admittit ; proinde recurrendum est ad Dominicam sequentem, II post Pascha, 5 Maji ; in ea occurrit Festum duplex S. Pii V, Papæ et Confessoris, et in eam transferri potest, et transferenda est Missa Solemnitatis S. Georgii, Patroni, etiamsi Officium S. Georgii nondum fuerit dictum, et sit transferendum post 5 Maji,

nempe, ut dictum supra fuit, in diem 11 Maji. En ergo casum, in quo Solemnitas fuit celebrata, antequam Officium Patroni fuerit dictum.

Q. 277. *In quibus Ecclesiis et Oratoriis celebranda est Missa Solemnitatis translatæ ?*

R. Missa Solemnitatis translatæ celebrari debet in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis, parochialibus, et conventualibus, nisi in conventualibus regularium et monialium contraria vigeat consuetudo ; et etiam in Oratoriis publicis, in quibus solet Missa cantari in Festis ; sed hæc Missa celebrari non potest in aliis Oratoriis, sive publicis, sive privatis. (Decret. 22 Julii 1848, n. 2974, antiq. n. 5137, ad 4 et 5.)

Placet describere sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An idem Indultum pro Ecclesiis concessum comprehendat etiam Oratoria tum publica tum privata ? Et quatenus negative ad secundam partem, imploratur gratia extensionis ad Oratoria privata Collegiorum, Hospitiorum et aliarum Communitatum, juxta prudens Ordinarii judicium in singulis casibus ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Quoad quæstionem : Indultum comprehendere tantum Oratoria publica ; quoad postulatum, Non expedire. » (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, ad 7.)

III. De Missa Votiva occasione Precum XL Horarum, necnon Adorationis Perpetuæ

Q. 278. *Quid intelligitur per Preces XL Horarum ? Quæ sunt earum quoad Missam privilegia ; et quæ est requisita conditio privilegiorum ?*

R. I. Nomine Precum XL Horarum designantur Preces publicæ cum Expositione SS. Sacramenti, quæ per quadraginta successivas horas, numquam interruptas, tribus diebus instituuntur, servata forma tradita in Instructione Summi Pontificis Clementis XI, diei 21 Januarii 1705, ultimo edita a Cardinale Sanctitatis Suæ Vicario generali, die 1 Septembris 1736. (Refertur hæc Instructio in Tractatu de Administratione Sacramentorum, Q. 188.)

De ejus origine et incremento conferantur quæ ex Benedicti XIV Institutione ecclesiastica XXX, et ex

Gardellini Commentariis notata reperiuntur in Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187).

II. Ad præsentem rem nostram additur, quod in his Precibus, seu in hac Oratione XL Horarum, ut communiter vocatur, Missa pluribus gaudet privilegiis.

Privilegia quoad Missam sunt sequentia :

1° Tam in Expositione, primo die, quam in Repositione, tertio die, cantari potest una Missa Votiva solemnis, de SS. Sacramento.

2° Die secundo Expositionis cantari potest una Missa Votiva solemnis, pro Pace, vel alia, a Summo Pontifice, aut arbitrio Episcopi præscripta.

III. Animadvertendum est, quod hæc quoad Missam privilegia concessa sint tantummodo hac conditione, dummodo hæc Oratio ad amussim juxta Instructionem Clementinam peragatur, et etiam nocte non interrumpatur; nam ubi Instructio non observatur, privilegia pro Missa non sunt concessa, sine speciali Indulto S. Sedis, uti declaravit S. Rituum Congregatio. (Cfr. Decret. 12 Septembris 1840, n. 2814, ad 3, antiq. n. 4897, ad 6.)

Quum vero in permultis locis Expositio et Adoratio SS. Sacramenti per quadraginta horas continuas, etiam nocte non interruptas, fieri non consueverit; sed tribus diebus immediate succedentibus, dempta nocte, peragi soleat, ad formam, ut dicunt, Precum XL Horarum, ideoque Clementina Instructio ad amussim non servetur; idcirco in hujusmodi Expositionibus, Missam Votivam solemnem de SS. Sacramento, aut aliam, cantare non licet, sine Indulto speciali S. Sedis. (Cfr. Tractatus de Administratione Sacramentorum, in Notis post Q. 188.)

Q. 279. *Quid notandum est circa Adorationem perpetuam, in nostra Diœcesi institutam? Quid per Indultum speciale concessum fuit? An hoc Indultum applicari potest aliis Expositionibus, quamvis solemnibus, quæ per annum fiunt?*

R. I. Adoratio perpetua quæ, in die ab auctoritate diœcesana pro singulis Ecclesiis et Oratoriis assignato, instituitur, ita ut uno tantum die, et etiam per noctem,

in singulis Ecclesiis perduret, per se nullum habet privilegium pro cantanda Missa Votiva SS. Sacramenti in Festo duplici et Officio æquivalente.

II. Per speciale Indultum, 11 Decembris 1862, a S. Rituum Congregatione Diœcesi nostræ concessum fuit privilegium, vi cujus, in hac Adoratione perpetua, Missa solemnis unica cantari potest Votiva SS. Sacramenti, ut in Precibus XL Horarum, servatis Rubricis. — Cfr. Litteræ Emi Dni Card. Sterckx, Archiep. Mechlin., mensis Octobris 1862, ad parochos, etc., de Adoratione perpetua restauranda ; et ejusdem Epistola 15 Januarii 1863, qua Adoratio perpetua in Archidiœcesi ordinatur (Litteræ Pastorales, Tom. III (V), pag. 601 ad 638) ; necnon historica Nota de Adoratione perpetua in Diœcesi nostra, in Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187).

III. In omni alia Expositione SS. Sacramenti, et Adoratione, etiamsi fiat tribus succedentibus diebus, quæ peragitur, vel ex instituto aut associatione, vel ex pia fundatione, vel ex alia quavis causa, etiamsi sit cum processione conjuncta, non permittitur Missa Votiva privilegiata dicto Indulto concessa : at, si Rubricæ eo die Missam Votivam privatam admittant, tunc possunt in ejusmodi Expositionibus Missæ Votivæ de SS. Sacramento celebrari, sed modo et ritu Missæ Votivæ privatæ.

Q. 280. *Quomodo ordinanda est hæc Missa Votiva de SS. Sacramento, quæ per præfatum Indultum concessa est ?*

R. Hæc Missa est Votiva solemnis, seu potius privilegiata, de SS. Sacramento ; — sumitur Missa de SS. Sacramento, quæ describitur inter Votivas, in quinta parte Missalis (cfr. Q. 37) ; non autem Missa de Festo SS. Sacramenti, nisi infra Octavam ejusdem Festi ; — cantatur cum *Gloria*, *Credo* ; — in ea omittenda est quælibet Commemoratio et Collecta Missæ conformis Officio tali die currenti (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5) ; — dicitur Præfatio de Nativitate ; — et in fine semper dicitur Initium Evangelii S. Joannis : *In principio.* — Numquam vero in hac Missa Votiva dici potest Se-

quentia *Lauda Sion* (cfr. QQ. 139, 249, 262), nisi infra Octavam Festi.

Exempla. E Directorio anni 1899 describuntur sequentia Festa et Officia :

2 Januarii, Feria II, Octava S. Stephani, Protomartyris. Duplex. In Missa fit Commemoratio Octavarum S. Joannis et SS. Innocentium.

5 Januarii, Feria 5, Vigilia Epiphaniæ. Semiduplex. In Missa dicitur 2 Oratio S. Telesphori, Papæ et Martyris, 3 *Deus, qui salutis*. Non dicitur *Credo*.

18 Januarii, Feria 4, Cathedra S. Petri Romæ. Duplex majus. In Missa fit Commemoratio S. Pauli, et S. Priscæ. *Credo*. Præfatio Apostolorum.

22 Januarii, Dominica III post Epiphaniam, Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph. Duplex majus. In Missa dicitur Commemoratio Dominicæ, et SS. Martyrum Vincentii et Anastasii (semiduplicis simplificati). In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

17 Februarii, Feria 6 (post Cineres), S. Spineæ Coronæ D. N. J. C. Duplex majus. In Missa dicitur Commemoratio Feriæ (majoris in Quadragesima). *Credo*. Præfatio de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

16 Aprilis, Dominica II post Pascha. De ea. Semiduplex. In Missa dicitur 2 Oratio B. Mariæ V. *Concede*, 3 *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

19 Julii, Feria 4, Festum S. Vincentii a Paulo, Confessoris. Duplex.

In omnibus istis diebus, si occurrat Adoratio perpetua, unica et invariabilis servatur regula : Cantatur unica Missa Votiva de SS. Sacramento : *Cibavit* : in qua dicitur *Gloria* ; et unica Oratio SS. Sacramenti, nulla facta Commemoratione occurrentium Officiorum, nequidem Dominicæ, aut Feriæ majoris ; *Credo* ; Præfatio de Nativitate ; in fine dicitur Initium Evangelii S. Joannis : *In principio*, et non de Dominica, aut Feria majori occurrente.

Q. 281. *Quinam dies prohibent Missam Votivam per Indultum concessam ; et quid faciendum est istis diebus ?*

R. I. Hanc Missam prohibent :

1° Dominicæ omnes 1 et 2 classis ;

2° Omnes dies in quibus, juxta Kalendarium tam universale, quam particulare illius Ecclesiæ in qua fit Expositio, occurrit Festum duplex 1 et 2 classis ;

3° Feria IV Cinerum, et Feria II, III, IV Majoris Hebdomadæ ; a mane autem Feriæ V ad mane Sabbati Sancti, a prædicta Expositione omnino est cessandum.

4° Octava Epiphaniæ, Paschæ, et Pentecostes. —

Infra Octavam SS. Corporis Christi, Missa cantatur de eadem Octava, cum Sequentia *Lauda Sion*, absque Commemorationibus et Collectis.

5° Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes.

II. — A) In his Dominicis, Festis, Feriis, Octavis, et Vigiliis exceptis, canenda est Missa diei currentis, in qua color paramentorum Altaris erit quidem albus, sed color paramentorum Celebrantis et Ministrorum convenire debet Festo, vel diei de quo Missa celebratur ; non enim licet ratione Expositionis adhibere pro prædictis paramentis colorem album, si Missa alium colorem requirit, ut declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 29 Januarii 1752 (n. 2417, antiq. 4223, ad 3). In hac Missa dicitur Oratio SS. Sacramenti, sub unica conclusione cum Oratione Missæ, omissis quibuscumque Collectis et Commemorationibus. (Cfr. Q. 94, Nota.)

B) In Feriis tamen IV Cinerum, et II, III, IV Majoris Hebdomadæ, in Missis propriis harum Feriarum non omittitur Oratio super populum ad Postcommunionem. — Insuper notatur quod in his Feriis tonus ferialis, et simplex ferialis, in cantu Orationum, Præfationis, et *Pater noster* sit adhibendus. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5.)

C) Quod si Festum aliquod 1 vel 2 classis occurrat in Dominica, tunc, dictis primo loco, sub unica conclusione, Orationibus Festi et SS. Sacramenti, ut supra, secundo loco, sub distincta conclusione, fit Commemoratio Dominicæ, et dicitur ejus Evangelium in fine Missæ. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad 5.)

Si quis peteret, quare in hoc casu Commemoratio sit facienda Dominicæ, ejusque Evangelium dicendum in fine, cum in responso ad Q. 280 dictum fuerit, in Missa Votiva de SS. Sacramento omittendam esse quamlibet Commemorationem, ergo etiam illam Dominicæ, et in fine semper dici Initium Evangelii S. Joannis ; responderi potest : Missam Votivam, de qua in responso ad Q. 280, esse omnino extra ordinem Officii, quæ proinde nullam cum eo relationem habet ; in præsenti casu vero, Missam celebrandam de Festo duplici 1 vel 2 classis esse Officio diei conformem, in qua numquam omittitur Commemoratio Dominicæ.

(Cfr. Q. 76, II.) — In Decreto citato agitur tantum de Commemoratione Dominicæ; eamdem rationem valere dici potest pro Feria majore, et pro die Octava, de quibus, in casu occurrentiæ Festi duplicis 1 vel 2 classis, etiam, sicuti de Dominica, fieret Commemoratio sub distincta conclusione : sunt enim tales quarum numquam Commemoratio omittitur. (Cfr. Q. 76, II.)

Quæ in responsis ad QQ. 280 et 281 exponuntur, breviter quotannis notantur in Directorio, seu Ordine Officiorum, inter Prænotanda, de quibusdam Missis Votivis, III.

Nota. I. Libet hic animadvertere, quod ea quæ supra dicuntur de Commemoratione SS. Sacramenti, ratione Expositionis pro Adoratione perpetua, applicanda sunt unicæ et soli Missæ solemni, aut cantatæ, quæ celebratur loco Missæ Votivæ de SS. Sacramento impeditæ. In omnibus aliis Missis his diebus celebratis, etiam ad Altare Expositionis, sive sint solemnes, aut cantatæ, sive sint privatæ, pro Commemoratione SS. Sacramenti expositi omnino observari debent regulæ traditæ QQ. 93 et 94.

Exempla. E Directorio anni 1899, pro diversis casibus supra positis solvendis, desumuntur sequentia Festa et Officia, in quibus supponitur occurrere Adorationem perpetuam :

I. — 1°. 19 Februarii, Dominica I in Quadragesima, 1 classis. De ea. Semiduplex. In Missa dicitur Commemoratio S. Bonifacii, Episcopi et Confessoris (duplicis simplificati, Officii Diœcesani), 3 Oratio *A cunctis*. Præfatio Quadragesimæ.

Solutio : Cantatur Missa solemnis de Dominica I in Quadragesima. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum est violaceus. Non dicitur *Gloria*. Orationi Missæ de Dominica additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur omnes Commemorationes in Missa de Dominica præscriptæ. Dicitur *Credo*. Præfatio Quadragesimæ.

In omnibus aliis Missis, ad quodcumque Altare Ecclesiæ celebratis, dicitur Commemoratio SS. Sacramenti, quarto loco, post Orationem *A cunctis*. (Cfr. Q. 94.)

2°. 1 Julii, Sabbato. Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, Patroni Archidiœcesis. Duplex 1 classis. In Missa dicitur Commemoratio diei Octavæ S. Joannis Baptistæ. *Credo*. Præfatio Apostolorum (ratione Octavæ SS. Petri et Pauli).

Solutio : Cantatur Missa solemnis de Festo S. Rumoldi. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum est rubeus. Orationi S. Rumoldi additur, sub una conclu-

sione, Oratio SS. Sacramenti ; dein sub altera conclusione dicitur Commemoratio diei Octavæ S. Joannis Baptistæ. *Credo.* Præfatio Apostolorum.

Si et alia Missa cantatur ad Altare Expositionis, tunc Commemoratio SS. Sacramenti jungitur, sub altera conclusione, Orationi diei Octavæ S. Joannis Baptistæ. In omnibus Missis lectis, etiam ad Altare Expositionis, omitti debet Commemoratio SS. Sacramenti. (Cfr. Q. 93.)

3°. 15 Februarii, Feria 4 Cinerum. De ea. In Missa 2 Oratio SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. (duplicis simplificati), 3 Oratio SS. Martyrum Faustini et Jovitæ (simplicis).

Solutio : Cantatur Missa solemnis de Feria 4 Cinerum. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum violaceus. Omnia cantantur in tono simplici et feriali simplici.

Non dicitur *Gloria.* Orationi Feriæ additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur duæ Commemorationes speciales. Non dicitur *Credo.* Præfatio Quadragesimæ. In fine, dicta Postcommunione Feriæ et SS. Sacramenti, sub altera conclusione additur Oratio super populum, ut præscribitur supra in responso, II, B.

In omnibus aliis Missis dicitur Commemoratio SS. Sacramenti quarto loco, post Orationem SS. Martyrum Faustini et Jovitæ.

4°. 12 Januarii, Feria 5. De 6 die infra Octavam Epiphaniæ. Semiduplex. In Missa 2 Oratio *Deus, qui salutis*, 3 *Ecclesiæ,* vel pro Papa.

Solutio : Missa solemnis cantatur de die infra Octavam Epiphaniæ. Orationi Missæ additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti. Omittuntur 2 et 3 Orationes. Præfatio Epiphaniæ.

In omnibus aliis Missis dicitur Commemoratio SS. Sacramenti quarto loco, post Orationem *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

4° bis. 6 Junii, Feria 3 infra Octavam SS. Corporis Christi. Festum S. Norberti, Episcopi et Confessoris. Duplex. In Missa fit Commemoratio Octavæ.

Solutio : Missa una solemnis cantatur ut in Festo SS. Corporis Christi (non Votiva SS. Sacramenti in fine Missalis). Dicitur unica Oratio SS. Sacramenti. Dici quoque debet Sequentia *Lauda Sion.*

Omnes aliæ Missæ dicuntur ut in Directorio propositum est.

II. — C. — 9 Julii, Dominica VII post Pentecosten. Festum S. Liberti, Martyris. Duplex 2 classis. In Missa fit Commemoratio SS. Martyrum Gorcomiensium (duplicis simplificati, Officii Diœcesani), et Dominicæ. Præfatio SS. Trinitatis. In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

Solutio : Cantatur Missa solemnis de Festo S. Liberti. Color paramentorum Altaris est albus, Celebrantis et Ministrorum rubeus. Orationi S. Liberti additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti ; deinde sub altera conclusione dicitur Oratio Dominicæ. Omittitur Commemoratio SS. Martyrum. Præfatio SS. Trinitatis. In fine dicitur Evangelium Dominicæ.

In hac Missa quidem Commemoratio et ultimum Evangelium

Dominicæ præscribuntur, quia est Missa conformis Officio, in qua occurrentis Dominicæ semper, etiam in Festo duplici 1 vel 2 classis, fit Commemoratio. Non autem præscripta fuit Commemoratio et ultimum Evangelium Dominicæ in exemplo, Quæstione præcedenti 280, pro 22 Januarii posito, quia in illo casu celebratur Missa Votiva de SS. Sacramento, in qua, cum sit Missa Votiva quasi solemnis, occurrentis Dominicæ non fit Commemoratio, neque legitur in fine Evangelium.

Occasione hujus exempli sequens etiam proponitur :

20 Martii, Feria II post Dominicam de Passione. Festum S. Joseph. Duplex 1 classis. In Missa dicitur Commemoratio Feriæ. *Credo.* Præfatio de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

Solutio : Cantatur Missa solemnis de S. Joseph. Orationi S. Joseph additur, sub una conclusione, Oratio SS. Sacramenti; dein, sub distincta conclusione, fit Commemoratio Feriæ. *Credo.* Præfatio de Cruce. In fine dicitur Evangelium Feriæ.

Qui stricto litteram supracitati Decreti 18 Maji 1883 esse servandam censeret, forsan de Commemoratione Feriæ ejusque Evangelio legendo in fine, dubium proponere posset ; etenim in Decreto solummodo pro Dominica in Festo duplici 1 vel 2 classis occurrente ponitur exceptio ; si S. Rituum Congregatio eamdem solutionem desiderasset pro Feria majori, utique non solum Dominicæ, sed et hujusmodi Feriæ mentionem fecisset ; quod cum non fecerit, Commemoratio et ultimum Evangelium Feriæ majoris omittenda esse videntur. Verumtamen magis placuit, ea quæ de Dominica fuere statuta, applicare Feriæ majori Quadragesimæ de qua in casu, cum utriusque conditiones hic non perperam existimari possint eædem. — Eadem animadversio valet pro Commemoratione diei Octavæ S. Joannis Baptistæ in Festo S. Rumoldi, ad exemplum secundum supra propositum.

Nota. II. In Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 187), ex Instructione data in Directorio Diœcesano anni 1864, describitur quomodo sit agendum, casu quo Adoratio perpetua incidat in varios dies anni, in quibus Officia divina et Missæ speciales ritus habent, nempe pro Festo Purificationis B. M. V., pro Feria IV Cinerum, pro Dominica Palmarum, pro triduo sacro Majoris Hebdomadæ, pro Festo S. Marci et diebus Rogationum, pro Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

IV. De Missa Aurea

Q. 282. *Quæ Missa dicitur Aurea, et unde nomen habet ?*

R. I. Missa Aurea dicitur illa quæ, ex immemorabili

consuetudine et cum maximo populi concursu, in variis regionibus cantatur Feria IV Quatuor Temporum Adventus, summo mane, in honorem B. Mariæ Virginis, et in memoriam Incarnationis Domini.

II. Nomen habere videtur : 1° ab extraordinaria magnificentia et pompa, quacum olim celebrabatur ; etenim pretiosissima adhibebantur in hac Missa paramenta, sicuti in majoribus Festis ; luminum copia quoque lucebat, non tantum in coronis et ad Altare, sed et omnes fideles præsentes suum afferebant et accensum tenebant cereum ; quod et hodiedum in Germaniæ partibus quibusdam servatur.

2° Ab excellentia Mysterii in hac Missa commemorati, in qua canitur Evangelium *Missus est Angelus*, referens circumstantias Mysterii Incarnationis Dominicæ. Sicut medio ævo, ratione momenti seu excellentiæ Mysteriorum quæ celebrabantur, Litaniæ Passionis Domini vocabantur *Litaniæ aureæ*, et Legendæ seu Vitæ Sanctorum dicebantur *Legenda aurea*, ita potuit quoque vocari hæc Missa *aurea*.

Cantatur summo mane, quia antiquitus, in Cathedralibus et Abbatialibus Ecclesiis, Missa hæc celebrabatur terminato Matutino, post ultimam Lectionem Homiliæ, sive cujusdam S. Patris, sive etiam Abbatis (unde habemus quatuor celeberrimos Sermones Sancti Bernardi : *Super Missus est*), et Hymnum *Te Deum*. Concursus populi maximus forsan in eo originem habet, quod in pluribus regionibus, in hac Missa, scenica dabatur repræsentatio Evangelii Annuntiationis, a tribus decantati, nempe a Diacono Missæ et a duobus juvenibus, quorum alter B. Mariæ V., alter Angeli Gabrielis personam gerebat. (Cfr. *Le Beffroi*, Tome I. Bruges, 1863, p. 165.)

Nota. I. In quibusdam regionibus, nempe in Polonia, in Bohemia, in nonnullis Diœcesibus Germaniæ, consuetudo existit, a S. Sede approbata, celebrandi cum cantu Missam Votivam de B. Maria V. *Rorate*, ad auroram per integrum tempus Sacri Adventus, usque ad 23 Decembris. Alibi celebratur hæc Missa solemniter per Novemdiale ante Festum Nativitatis Domini.

Nota. II. Hæc Missa non est adnumeranda Missis

Votivis pro re gravi et pro publica causa celebratis; sed dumtaxat haberi potest ut mera populi devotio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Januarii 1752, n. 2417, ad 5, antiq. 4223, ad 6.)

Q. 283. *Quæ Missa sumitur pro hac Missa Aurea?*

R. Pro Missa Aurea sumitur Missa Votiva de B. Maria, in Adventu, quæ incipit: *Rorate*. Dici potest hæc Missa, etiamsi occurrat Festum duplex 2 classis. Si in Feriam IV Quatuor Temporum incidit Festum Exspectationis partus B. Mariæ V. (quod ex speciali concessione in nostra Diœcesi celebratur 13 Decembris), aut dies septima aut Octava Immaculatæ Conceptionis (14 aut 15 Decembris), aut aliud Festum ejusdem B. Mariæ V., cantari debet Missa de Festo aut de Octava, non vero Votiva supra indicata.

Q. 284. *Quomodo ordinatur hæc Missa Aurea?*

R. Dicitur *Gloria*; — pro Orationibus notandum est quod, si alia Missa conventualis non cantetur, sub distincta conclusione fiat Commemoratio Festi duplicis, aut semiduplicis occurrentis, et Feriæ; non autem diei infra Octavam, neque Simplicis, aut Vigiliæ; ideo etiam omitti debere videtur Oratio imperata; — dicitur *Credo*; — Præfatio cantatur de Beata: *Et Te in veneratione*; — dicitur *Ite missa est*, et ultimum Evangelium S. Joannis: *In principio*.

V. De Missa Votiva in Anniversario Electionis, vel Translationis, vel Consecrationis Episcopi

Nota. De institutione Commemorationis quotannis faciendæ Anniversarii, tum Creationis et Coronationis Summi Pontificis, tum Electionis, vel Translationis, et Consecrationis Episcopi Ordinarii in sua Diœcesi, dictum fuit QQ. 97 ad 102. Ibidem etiam traditæ fuerunt regulæ pro Oratione Votiva late dicta, dicenda in his diebus Anniversariis, in omnibus Missis, ab universo clero totius Orbis Catholici pro Summo Pontifice, et ab universo clero Diœcesis pro Episcopo Ordinario.

Hic agitur de Missa solemni in diebus Anniversariis Episcopi celebranda.

Q. 285. *Ubi, et a quibus celebranda est Missa Votiva de*

Anniversario Electionis, vel Translationis, vel Consecrationis Episcopi Ordinarii ?

R. I. Hæc Missa Votiva quotannis, die mensis quo accidit Electio, vel Translatio, vel Consecratio Episcopi, celebranda est in Ecclesia Cathedrali, et quidem præceptive, accedente mandato Episcopi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Augusti 1858, n. 3078, antiq. n. 5274, ad 1.)

Solummodo in hac Ecclesia Cathedrali celebrari potest hujusmodi Missa, non autem in aliis Ecclesiis Diœcesis ; et nequidem tamquam Votiva privata, diebus quibus Missæ Votivæ privatæ permitterentur, potest hæc Missa celebrari, quum ipsa non sit Votivis accensenda nisi in sensu latiori. (Decreta 12 Septembris 1840, n. 2823, antiq. n. 4911, ad 2 ; et 27 Aprilis 1894, n. 3824, ad 3.)

II. Hæc Missa, juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XXXV, n. 1), celebratur solemniter, vel per ipsum Episcopum, vel, eo non celebrante, per aliquam Capituli dignitatem, seu Canonicum ; iste determinatur juxta statuta, vel consuetudinem Ecclesiæ Cathedralis.

Q. 286. *Quæ Missa celebratur pro hujusmodi Anniversario, et quomodo ?*

R. I. Pro Missa hujus Anniversarii sumitur Missa propria, quæ ponitur secundo loco inter Missas Votivas pro diversis rebus, in quinta Missalis parte (cfr. Q. 37), sub titulo : *In Anniversario Electionis, seu Consecrationis Episcopi.*

II. Celebratur hæc Missa post Nonam et Missam Conventualem ; et notatur quod in Missa Conventuali, aut in Missis Conventualibus si plures sint, non fit hujus Anniversarii Commemoratio, quæ in aliis Missis hujus diei per Diœcesim fieri debet (cfr. QQ. 99, 101).

Celebratur in colore albo ; — in ea dicitur Hymnus *Gloria in excelsis*, et Symbolum *Credo* ; — unica tantum dicitur Oratio, pro Episcopo, videlicet : *Deus, omnium fidelium pastor et rector, etc.* (cfr. Q. 99) ; et si Episcopus ipse celebrat, dicit : *me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ præesse voluisti, etc.* — Præfatio dicitur, vel

de Octava, vel de Tempore, vel communis (cfr. Q. 159) ; — in fine dicitur Evangelium S. Joannis : *In principio, etc.*

Q. 287. *Quibus diebus non permittitur Missa propria hujus Anniversarii ? Quid tunc faciendum est ?*

R. I. Hæc Missa Votiva celebrari non potest diebus Dominicis, neque in Festis duplicibus 1 et 2 classis ; neque iis diebus quibus hujusmodi Festa excluduntur, ut sunt Feriæ privilegiatæ ; Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes ; Octavæ Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes ; dies Octavæ Nativitatis Domini, et SS. Corporis Christi. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3575, antiq. 5872, ad 4 et 6.)

II. His diebus cantatur tantum Missa Conventualis, ut consueto, de die vel de Festo ; cum paramentis coloris Missæ convenientis ; cum *Gloria*, et *Credo*, vel sine illis, prout Missa exigit ; et cum Orationibus in his Missis præscriptis. In Festis duplicibus 1 classis nulla fit Anniversarii Commemoratio ; sed in Festis duplicibus 2 classis, aliisque diebus, principali Orationi Missæ additur, sub unica conclusione, Oratio pro Episcopo. (Decreta 18 Maji 1883, n. 3575, antiq. 5872, ad 5 ; et 27 Aprilis 1894, n. 3824, ad 4.)

Q. 288. *An Missa hujus Anniversarii non potest transferri ?*

R. Quando Anniversarium impeditur accidentaliter aliquo Festo duplici 1 classis mobili, ex. gr., eo quod incidat in Triduo Sacro Majoris Hebdomadæ, in Festis Paschæ et Pentecostes, ac duobus diebus sequentibus, Ascensionis, SS. Corporis Christi, etc. ; tunc Missa Anniversarii non potest anticipari, nec transferri, sed debet omitti. — Attamen, si Anniversarium quotannis impediretur, et perpetuo, per aliquod Festum duplex 1 classis quod diei affixum est, ex. gr., si Episcopus fuisset consecratus 24 Junii, in Festo S. Joannis Baptistæ, in tali casu non est omittendum, sed reponendum (Decret. 12 Decembris 1891, n. 3762, ad 1 et 2) ; et transfertur in primam sequentem diem non impeditam ; quia secus, perpetuo impeditum, semper et quotannis omitteretur. (Decret. 30 Augusti 1892, n. 3793, ad 2.)

— Idem notatum fuit de Commemoratione Anniversarii per Diœcesim facienda, Q. 100, in Nota.

VI. De Solemnitate quæ institui potest in honorem Sancti Joannis Berchmans

Q. 289. *Quodnam Indultum concessum fuit nostræ Diœcesi, ad instituendam Solemnitatem in honorem Sancti Joannis Berchmans ?*

R. « Emus et Rmus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterckx, Archiepiscopus Mechlinien. exponens in Archidiœcesi sua Festum Beati Joannis Berchmans Idibus Augusti celebrari haud posse ea, qua par est, solemnitate, præsertim in numerosis institutis catholicæ juventutis educationi addictis, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX supplicibus votis postulavit, ut Festum istud cum Officio et Missa in prædicta sua Archidiœcesi amodo celebrari valeat Dominica tertia Novembris. Sanctitas vero Sua, referente S. Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis, de speciali gratia precibus annuere dignata est, ita ut, retentis die XIII Augusti Officio et Missa jam concessis pro Archidiœcesi prædicta, Dominica, quæ in mense Novembri tertia occurrit, extrinseca Solemnitas in præfati Beati honorem institui possit, cum omnibus Missis de eodem propriis : dummodo non occurrat duplex primæ classis quoad Missam solemnem, et duplex etiam secundæ classis quoad lectas. Servatis Rubricis, ac sub lege, quod in Ecclesiis Choro adstrictis, et in parochialibus, non omittatur Missa vel conventualis vel parochialis, Officio diei respondens. Contrariis non obstantibus quibuscumque. » (Indultum 20 Septembris 1866.)

Quod concessum fuit pro Beato Joanne Berchmans, concessum et remanet, postquam Leo XIII, anno 1888, quinquagesimo sui Sacerdotii anno absoluto, Sanctorum honores eidem solemniter decrevit.

Q. 290. *Indica, ex tenore Indulti concessi, in quibusnam casibus non poterit, in quibusnam vero poterit, celebrari Missa de S. Joanne Berchmans, in Dominica III Novembris.*

R. 1° In omnibus Ecclesiis Choro adstrictis, et par

chialibus, debet Missa conventualis et parochialis conformis esse Officio hac Dominica occurrenti.

2° Si Festum duplex 1 classis occurrat Dominica III Novembris, nulla Missa potest de Sancto Joanne celebrari.

Præterquam quod hujusmodi occurrentia possit obstare celebrationi Missæ Votivæ, in particularibus Ecclesiis, ratione Festi, tum Patroni loci, tum Tituli Ecclesiæ ; aliquando pro tota Diœcesi etiam obstat, quominus Missa Votiva hæc celebretur ; nempe quoties Littera Dominicalis alicujus anni est D ; etenim tunc Festum Omnium Sanctorum celebratur Dominica I Novembris, ejusque dies Octava Dominica II Novembris ; cum autem Anniversarium omnium Ecclesiarum Archidiœcesis in cumulo celebretur, vi Decreti S. Rituum Congregationis, 1 Septembris 1838, ritu duplici 1 classis, in Dominica quæ prima occurrit post Octavam Omnium Sanctorum, data Littera Dominicali D, celebrandum erit Dominica III Novembris ; unde, in tali casu cuicumque Missæ Votivæ in honorem S. Joannis Berchmans non datur locus. Hac de causa, omissa fuit anno 1896 ; omitteturque iterum annis 1903, etc., quoties Littera Dominicalis erit D.

3° Si occurrat Festum duplex 2 classis, Missa solemnis quidem potest de S. Joanne celebrari ; omnes autem Missæ lectæ debent dici de Festo duplici 2 classis occurrente.

4° Præter casus supra exceptos, possunt omnes Missæ, tum solemnes, tum privatæ, in hac Dominica III Novembris, celebrari propriæ de S. Joanne.

Q. 291. *Quomodo ordinanda est hæc Missa Solemnitatis in honorem S. Joannis Berchmans ?*

R. Prænotatur 1°, quod ex supplicatione, qua postulabatur ut *Festum* B. Joannis posset hac Dominica *celebrari cum Officio et Missa*, et ex tenore concessionis, qua conceditur *extrinseca solemnitas* cum Missis propriis de B. Joanne, videtur concludendum Missas de S. Joanne posse celebrari ut in ejus Festo. Conceditur Solemnitas, quam quidem vocat S. Rituum Congregatio extrinseca ; attamen, patet quod vox *extrinseca* hic non significet solemnitatem cantus, thuris, ministrorum, cum et omnes Missæ lectæ, quæ solemnitatem nullam important, possint de S. Joanne celebrari ; Solemnitas vero, saltem in præsenti casu, importat Mis-

sam dictam ut in Festo, quasi si Festum hac die, scilicet in hac Dominica III Novembris celebraretur ; dicitur autem extrinseca, quia Missæ non correspondent Officio hoc die occurrenti, seu sunt Votivæ.

Et plus quidem, sub aliquo respectu, hic conceditur, quam in Solemnitatibus quatuor Festorum, de quibus agitur in parte II hujus § 3 (QQ. 268 ad 277) ; quia ibi una tantum Missa solemnis cantari debet : præsens autem Solemnitas admittit, omnes Missas, non solas solemnes, sed etiam privatas posse celebrari de S. Joanne, quasi si ejus Festum hac die celebraretur.

Prænotatur 2°, quoad Commemorationes in hac Solemnitatis Missa faciendas, plura esse S. Rituum Congregationis Decreta, in quibus agitur de Commemorationibus faciendis in Missis quæ celebrantur, vi specialis privilegii a S. Sede obtenti, ut in die Festo, de Sancto, in die non propria, et occurrente hac die non propria alio Officio proprio.

In Missis privatis hujusmodi Commemorationes Officii diei et aliorum occurrentium certo dici debent. (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 4.)

Pro Missis solemnibus respondit S. Congregatio, servandas esse Rubricas quoad Commemorationes (Decret. 20 Julii 1894, n. 3833, ad 2) ; sed proposito iterum eodem hac super re dubio, supradictum responsum explicavit, rescribens ut servetur Decretum 20 Julii 1894, « scilicet, Commemoratio Officii occurrentis omittatur in Missa solemni, fiat in lectis. » (Decret. 17 Julii 1900, ad 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 537.)

Si ita jam se res habet, statui potest pro Missa solemni S. Joannis Berchmans in casu, id quod præscriptum fuit pro Missis Solemnitatum (cfr. Q. 271, 3°), nempe : In Missa solemni dicitur una tantum Oratio, et Commemorationes occurrentium Officiorum diei omittuntur, excepto quod dicitur Commemoratio occurrentis Dominicæ, sub distincta conclusione.

His prænotatis respondetur : Missa S. Joannis Berchmans dicitur propria, ut in ejus Festo, 13 Augusti ; — in omnibus Missis dicitur Hymnus *Gloria* ; — in Missa solemniter aut in cantu celebrata dicitur, sub distincta conclusione, sola Commemoratio Dominicæ ;

in Missis privatis vero dicuntur Commemorationes : Officii in hac tertia Dominica Novembris regulariter occurrentis, nempe Octavæ diei Dedicationis omnium Ecclesiarum Diœcesis, deinde Festi duplicis minoris simplificati si occurrat, tum Dominicæ, dein Festi semiduplicis simplificati si occurrat, ac tandem Festi simplicis si occurrat ; — ratione Dominicæ dicitur Symbolum *Credo* ; — Præfatio, nisi dicenda sit propria ratione alicujus Octavæ, dicitur SS. Trinitatis ; — in fine dicitur Evangelium Dominicæ. — De Oratione imperata decrevit S. Rituum Congregatio in casu a nostro non ita dispari, quod ipsa poterit ad libitum Celebrantis legi, vel omitti, in Missis privatis, omittenda vero erit in Missis solemnibus, aut cantatis. (Decret. 15 Maji 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad 2.)

Nota. Hujusmodi privilegia Solemnitatum particularium non sunt adeo rara, et facile a S. Sede impetrantur.

Et hic placet notare. quod S. Rituum Congregatio permisit quidem Reverendissimis locorum Ordinariis, ut ipsi designent diem ad recolendam Solemnitatem externam pro duobus Festis, nempe SS. Cordis Jesu, et S. Aloysii Gonzagæ. Sufficiat hic de utraque hac Solemnitate aliquid indicasse.

1° Festi Sacratissimi Cordis Jesu externa Solemnitas in aliam diem a Rmis Ordinariis locorum designatam potest in unoquoque anno transferri. etiam cum privilegio celebrationis Missæ propriæ de ipsomet SS. Corde Jesu ; hoc autem privilegium excluditur, quoad Missam solemnem a duplicibus 1 classis, et a Dominicis privilegiatis item 1 classis. et quoad Missas lectas etiam a duplicibus 2 classis, necnon a Dominicis, Feriis, Vigiliis Octavisque privilegiatis : non omittenda est tamen Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio. (Cfr. Decret. 23 Julii 1897, n. 3960.) In ipso Decreto rationes et conditiones hujus Solemnitatis longius exponuntur.

2° In S. Aloysii Gonzagæ, Confessoris, Solemnitatis die ab Ordinariis designata, omnes Missæ propriæ de S. Aloysio celebrari possunt, dummodo non occurrant duplex 1 classis, aut Dominica privilegiata 1 classis, quoad Missam solemnem ; aut etiam duplex 2 classis, necnon Dominica, Feria, Vigilia, Octavaque privilegiata quoad Missas lectas ; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus. (Cfr. Decret. 27 Junii 1896, n. 3918.) Rationes et conditiones hujus Solemnitatis longius describuntur in ipso Decreto. (Cfr. etiam Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 513 et sqq.)

VII. De Missa Votiva de Sacro Corde Jesu, quæ celebrari potest in Feria sexta, quæ prima in unoquoque mense occurrit

Q. 292. *Quodnam Indultum concessum fuit a Leone XIII, pro Feria sexta quæ prima unoquoque in mense occurrit ?*

R. Ad fidelium pietatem erga SS. Cor Jesu impensius fovendam, « in iis Ecclesiis et Oratoriis, ubi Feria sexta, quæ prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur, Beatissimus Pater Leo XIII indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa Votiva de Sacro Corde Jesu ; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut duplex primæ classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis ; de cætero servatis rubricis. » (Decretum S. Rituum Congregationis, 28 Junii 1889, n. 3712.)

Plura occurrunt animadvertenda in hoc Indulto, quæ in sequentibus Quæstionibus exponuntur.

Q. 293. *Ubinam potest hæc Missa Votiva celebrari ? Quo ritu est celebranda ? An requiritur solemnitas extrinseca ?*

R. I. Missa hæc celebrari potest in Ecclesiis et Oratoriis ; cumque in Indulto nulla fiat Oratoria publica inter et privata distinctio, lato sensu, haud strictiori, Indultum est accipiendum ; itaque etiam in Oratoriis semipublicis et privatis eam posse celebrari dicendum est. In singulis Ecclesiis autem et Oratoriis unicam tantum indulgeri hujusmodi Missam Votivam, piis exercitiis additam, ex tenore Indulti ejusque mente patet.

II. Ex privilegiis huic Missæ concessis clarum est, ipsam eodem ritu esse celebrandam, quo Missa Votiva solemnis pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa ; — itaque dicitur *Gloria*, et *Credo* ; — et unica tantum ipsius Missæ Oratio, omissis Commemorationibus quibuscumque, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 20 Maji 1890, n. 3731, ad 1) ; — in fine dicitur semper Initium Evangelii S. Joannis.

De formulari Missæ Votivæ de Sacro Corde Jesu dicitur Q. 228.

III. Missa hæc non est necessario cum solemnitate extrinseca celebranda ; sed potest celebrari, vel solemnis, vel cantata, vel etiam privata ; etenim Indultum non distinguit. — Quod comprobatur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto : Ad dubium : « An hæc verba « Missa Votiva Sacratissimi Cordis Jesu, ritu Missæ Votivæ solemnis celebranda » intelligi queant etiam de Missa lecta, seu sine cantu ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ». (Decret. 20 Maji 1892, n. 3773.)

Q. 294. *Quænam Officia obstant celebrationi hujus Missæ Votivæ ?*

R. Celebrationi Missæ Votivæ de Sacro Corde Jesu, in Feria VI prima cujusvis mensis, obstant Officia sequentia : 1° Festa duplicia 1 classis tantum ; valde privilegiata jam est hæc Missa quæ permittitur in Festis duplicibus 2 classis ; quo patescit piissimi Pontificis desiderium ut in SS. Cor Jesu devotio universi Cleri fidelisque populi augeatur in dies. (Ephemerides liturgicæ, III, 1889, pag. 448.)

2° **Festa Domini** generatim indicantur in Indulto tamquam impedientia Missam Votivam de Sacro Corde Jesu ; unde dicendum, ea omnia impedire, quæcumque sit eorum classis. Igitur in Circumcisione Domini, non licebit Missam Votivam celebrare ; — idem est dicendum pro Officiis Passionis, vel Instrumentorum Passionis Domini, quæ occurrunt in Feriis sextis Quadragesimæ, ubi concessa fuerunt (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 178, et Nouvelle Revue théologique, XXIV, 1892, pag. 215) ; — necnon pro Festis Inventionis S. Crucis, 3 Maji ; et Transfigurationis Domini, 6 Augusti. — Nuperrime, ad dubium : « Utrum eadem Missa dici possit in Festo Purificationis B. Mariæ V., cum hoc Festum incidit in supradictam Feriam VI ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative, attento mysterio, ob quod Festum Purificationis B. Mariæ V. æquiparatur Festo Domini. » (Decret. 27 Martii 1902, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 291.)

Non quidem versantur hæc omnia in eodem Myste-

rio ; tamen sunt Festa Domini, quæ generatim Indultum indicat.

Officium Votivum de Passione Domini, quod persolvi potest, juxta Apostolicum Indultum generale 5 Julii 1883, Feriis sextis liberis, non impedit hanc Missam, cum non sit proprie dictum Festum.

3° **Feriæ privilegiatæ** ; unica tantum assignari potest, si tamen Feriam nominare placet Feriam VI in Parasceve, quæ ex alio titulo impedit, utpote inter Festa duplicia 1 classis relata.

4° **Vigiliæ privilegiatæ** ; unica tantum occurrere potest, nempe Vigilia Epiphaniæ.

Ad dubium : « Utrum Missa Votiva de Sacro Corde Jesu..... dici possit Feria VI, quæ prima in Januario mense occurrit, quando in illam diem incidit Vigilia Epiphaniæ ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 29 Novembris 1901, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 698.)

5° **Octavæ privilegiatæ** ; animadvertendæ veniunt tamquam impedientes Octavæ privilegiatæ quatuor, nempe, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi.

6° His diebus, Missam de Sacro Corde Jesu prohibentibus, addenda est dies 2 Novembris, in qua fit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, et in qua, juxta Rubricam particularem hujus diei, omnes Missæ dicuntur de *Requiem*, excepta una Missa Conventuali in Ecclesiis Cathedralibus, quæ dicitur post Tertiam, de Octava Omnium Sanctorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Maji 1895, n. 3855, ad 2.)

Nota. Ad dubium : « Utrum præfata Missa Votiva celebrari possit diebus festis de præcepto in Ecclesiis ubi unus tantum Sacerdos adest, qui applicare tenetur pro populo ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 27 Martii 1902, ad 2 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 291.)

Q. 295. *Quænam conditio apponitur in Indulto, ut Missa Votiva de Sacro Corde Jesu possit celebrari tamquam Votiva privilegiata ?*

R. Exercitia peculiaria in honorem divini Cordis ma-

ne in Ecclesia, vel Oratorio peragenda sunt, scilicet ante Missam, vel ejus tempore, vel post Missam ; Missa debet esse his exercitiis conjuncta, et unum cum his moraliter actum constituere. Unde non comprobarentur Indulti verba, si Missa summo mane fieret, tempore antemeridiano autem exercitia pia ; multo minus, imo nullimode , si exercitia post meridiem peragerentur, ex. gr., laudes vespertinæ ; in his casibus non liceret Missam Votivam celebrare.

Exercitia quæcumque ea esse possunt, dummodo pro objecto habeant honorem SS. Cordis Jesu. Sed notanda veniunt verba Indulti, quibus requiritur ut hæc exercitia peragantur **approbante loci Ordinario**.

Mens S. Rituum Congregationis, hæc verba consulto addentis, forsan est, consilio prudentiaque prævertere quæcumque singularis devotionis exercitia, quæ a privatis possent aliquando institui, minus Sacræ Liturgiæ regulis comprobata.

In Archidiœcesi Mechliniensi, ad petitionem plurium rectorum Ecclesiarum, Ordinarius proposuit aut approbavit sequens exercitium :

Post Missam, sive solemnem, sive cantatam, sive privatam, exponitur SS. Sacramentum ; deinde Sacerdos legit precem Reparationis, vulgo dictam *Akt van eerboet*, *Amende honorable*, ab Ordinario, aut ab alio Episcopo approbatam ; recitari quoque possunt Litaniæ de Sacro Corde Jesu, approbatæ Decreto S. Rituum Congregationis, 27 Junii 1898, ex quo hæc facultas extensa fuit ad totum orbem, per Indultum 2 Aprilis 1899 ; quo facto, cantatur *Tantum ergo* et *Genitori*, cum Oratione SS. Sacramenti, et servatis consuetis ritibus ac cæremoniis datur Benedictio cum SS. Sacramento.

Hujusmodi exercitium certo sufficiens est, ut valeat Missa Votiva de SS. Corde Jesu, diebus liberis, celebrari.

VIII. De Missa quæ celebratur in ipso die Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ, aut Altaris

Q. 296. *Quid notandum est de Officio divino, quod a clero Ecclesiæ consecrandæ recitari debet in ipso die Consecra-*

tionis ? Quæ Missa celebrari debet in ipsa Ecclesia, peracta Consecratione ?

R. Prænotatur : 1° quod ex majoribus Ecclesiæ festivitatibus una est novi templi Dedicatio, quæ solemniori cum apparatu celebratur, quæ reputatur inter Festa primaria, et declarata fuit esse Festum Domini.

2° « Incumbere debent Episcopi ut Ecclesiæ saltem Cathedrales et Parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores Ecclesias, si nolint uti jure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdotibus eas benedicendi. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Augusti 1875, n. 3364, antiq. 5621, ad 1.)

3° Quamvis de jure omni die Ecclesiæ Dedicatio fieri possit, decentius tamen, ait Pontificale Romanum, in Dominicis diebus vel Sanctorum solemnitatibus fit.

4° Cum quotannis jam in nostra Diœcesi nonnullæ Ecclesiæ consecrentur, juvat pauca adnotare de iis quæ in hac functione observari debent, tum pro Officio divino recitando, tum pro Missa celebranda.

I. In ipso Dedicationis cujusdam Ecclesiæ die, Officium a clero hujus Ecclesiæ, a primis Vesperis usque ad Primam inclusive, dicitur de Tempore, vel de Festo, prout præscriptum habetur in Calendario seu Directorio; sed, peracta Consecratione, cessat omnino istud Officium, et ibi incipit festus dies Dedicationis, qui ritum habet duplicis 1 classis cum Octava, et cujus Officium inchoatur, et a clero hujus Ecclesiæ dicitur, inde ab Hora minori Tertia. (Decret. 7 Septembris 1844, n. 2868, antiq. 4979.)

Exemplum : Supponitur Ecclesiam ab Episcopo consecrari, die 28 Septembris, Feria II, in Festo semiduplici S. Wenceslai, Ducis et Martyris, et functionem inchoari hora 8va.

Clerus Ecclesiæ consecrandæ adscriptus dicet, pro Officio diei 28 Septembris, Commemorationem S. Wenceslai in secundis Vesperis Dominicæ, dein Matutinum cum Laudibus, et Primam de Festo S. Wenceslai, ritu semiduplici, nihil addito aut mutato. Sed inde a Tertia, relicto totaliter Officio S. Wenceslai, inchoatur Officium Dedicationis Ecclesiæ, ritu duplici 1 classis cum Octava. Proinde clerus istius Ecclesiæ dicet Tertiam, et sequentes Horas, non de Officio S. Wenceslai, quod omnino negligitur, sed de Communi Dedicationis Ecclesiæ, cum Oratione descripta pro ipsa die Consecrationis.

Quæ insuper a clero eodem observanda sunt pro celebratione Vigiliarum ante sacras Reliquias, per Matutinum et Laudes de Communi plurimorum Martyrum, vide descripta in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 31, II.

II. Peracta autem Consecratione, Missa solemnis debet in Ecclesia consecrata celebrari, vel per Episcopum, vel per Sacerdotem, conformis Officio Dedicationis, sicuti in Missali describitur pro Anniversario De dicationis, cum Oratione propria pro ipso die Consecrationis. Missæ privatæ, si tunc quæ celebrentur præter solemnem, item sunt dicendæ de Dedicatione.

Q. 297. *Quomodo ordinari debet Missa, quæ in Ecclesia consecrata, peracto Consecrationis ritu, celebratur?*

R. Missa hæc, solemniter celebranda, cum sit conformis Officio Dedicationis, quod inde a Tertia proprium hujus diei Officium est, stricte loquendo non potest dici Votiva, sed est festiva. Sumitur Missa : *Terribilis est locus iste, etc.*, ut in Commune Dedicationis pro Anniversario, in quarta Missalis parte (cfr. Q. 36).

Dicitur *Gloria in excelsis.*

Oratio unica in ea dicitur, nempe : *Deus, qui invisibiliter etc.*, quæ in Missali describitur, pro ipso die Dedicationis, post Missam indicatam. Attamen in hac Missa fieri debent, si occurrant, Commemorationes quæ in quocumque Festo duplici 1 classis locum habent; omissa tamen Commemoratione Officii occurrentis quod post Primam neglectum fuit ; etenim ad dubium : « In hac Missa, sive agatur de Consecratione Ecclesiæ, sive de Consecratione Altaris, debent ne fieri illæ Commemorationes, quæ ne in Duplicibus quidem 1 classis omittendæ, uti de Dominica, de Feria privilegiata (intellige majori), etc. ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Negative, si agatur de Consecratione Altaris ; Affirmative, si agatur de Consecratione Ecclesiæ. » (Decret. 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, Dub. III, ad 1.)

Dicitur *Credo.*

Præfatio dicitur, juxta regulas communes, vel de Octava, si aliqua Octava tunc celebratur ; vel de Tem-

pore, si Tempus anni currens propriam habet ; vel alias de SS. Trinitate, aut communis, prout Consecratio fuerit facta in Dominica, aut infra hebdomadam. Non autem dicitur Præfatio Festi post Primam omissi, nisi istud celebretur cum Octava.

In fine dicitur Evangelium S. Joannis : *In principio*, nisi facta fuerit Commemoratio Dominicæ, aut Feriæ quæ proprium Evangelium habet.

Q. 298. *Quinam sunt dies per annum, in quibus prohibetur celebratio festivitatis Dedicationis ?*

R. Etsi de jure omni die fieri possit Dedicatio alicujus Ecclesiæ, dantur tamen per annum Festivitates solemniores, vel etiam dies non festivi, in quibus, propter summa mysteria commemoranda, Solemnitas Dedicationis prohibetur perfecte et in omnibus suis partibus celebrari. Etenim :

A) Sunt dies in quibus peragi quidem de jure poterit ritus Consecrationis Ecclesiæ, sed neque Officium poterit dici de Dedicatione, neque Missa poterit de Dedicatione celebrari ; scilicet :

Dominicæ I Adventus, I Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis.

Festa Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis cum duobus sequentibus diebus, Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, et SS. Corporis Christi.

Feria IV Cinerum, et omnes totius Hebdomadæ Sanctæ.

Casu quo Dedicatio Ecclesiæ fiat in uno ex his diebus, non poterit Officium de Dedicatione dici inde a Tertia, sed continuabitur Officium proprium diei, et transferetur Officium de Dedicatione ad primum diem liberum, cum Octava incompleta, vel etiam sine Octava, prout primus dies liber occurrerit infra, vel post Octavam factæ Dedicationis ; neque poterit post ritum Consecrationis Missa solemnis celebrari de Dedicatione, sed celebrabitur de die occurrente ; Orationi principali seu propriæ hujus Missæ adjungetur Commemoratio diei Dedicationis, sub unica conclusione. (Decret. 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, Dub. III, ad 3.)

B) Sunt dies in quibus, peracta Ecclesiæ Consecratione, poterit quidem celebrari Missa solemnis de Dedicatione, non autem poterit inde a Tertia dici Officium de Dedicatione ; scilicet :

Festa SS. Cordis Jesu, Circumcisionis Domini, Assumptionis B. M. V., Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Annuntiationis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum.

Octavæ Epiphaniæ, Paschatis a Feria IV ad Sabbatum, et Pentecostes a Feria IV ad Sabbatum.

Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes.

In his diebus si fiat Ecclesiæ Consecratio, Officium inde a Tertia non poterit dici de Dedicatione, sed continuabitur Officium proprium diei, et transferetur Officium de Dedicatione, ut supra dictum fuit.

Missa autem una solemnis poterit de Dedicatione celebrari, quæ in Ecclesiis parochialibus et ruralibus, iisque ubi nulla viget Chori obligatio, sequenti modo ordinabitur :

Dicitur Hymnus *Gloria in excelsis*.

Oratio dicitur de die Dedicationis, sed ei adjungitur, sub unica conclusione, Oratio Officii aut Festi occurrentis.

Dicitur *Credo*.

Præfatio, si Officium aut Festum occurrens propriam habeat, de hoc dicitur ; alias dicitur de Octava, aut de Tempore, aut SS. Trinitatis, aut communis, ut supra Q. 297 dictum fuit.

Ultimum Evangelium dicitur S. Joannis : *In principio*.

Si autem Ecclesia consecrata ex iis est, ubi viget Chori obligatio, quales sunt Cathedrales, Collegiatæ, aut illæ Regularium Ecclesiæ in quibus quotidie Missa conventualis celebratur, duæ jam deberent in casu Missæ celebrari ; sed hæc indicare nobis sufficiat.

(Cfr. Ephemerides liturgicæ, I, 1887, pag. 542 et sqq.)

Nota. I. Ex præcedentibus juvat animadvertere, quoad dies seligendos pro Consecratione Ecclesiarum :

1° Quosdam per annum dies tali honore vel mysterio decorari, ut in ipsis certe non deceat christianam plebem ritu Dedica-

tionis distrahere ; tales sunt Nativitas Domini, Feria IV Cinerum, Dominicæ Palmarum, Triduum sacrum, Pascha.

2° Quia omnino decet ut, peracta Ecclesiæ Consecratione, ejus Dedicationis Missa propria celebretur, non esse seligendos dies a Rubricis exceptos, in quibus Missa hæc de Dedicatione non posset celebrari.

3° Non esse seligendos quidem hos dies, in quibus Missa de Dedicatione posset celebrari, non vero Officium proprium de Dedicatione posset dici ; quia valde congruit, ut solemnitas Dedicationis suo proprio die celebretur, non solum cum Missa, sed etiam cum proprio Officio, et cum Octava.

Itaque « decentius », ut dicit Pontificale, fiet Ecclesiæ Consecratio « in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus » ; sed talis seligatur dies, in quo impedimentum nullum, neque pro Missa, neque pro Officio Dedicationis occurrat ; insuper hodiedum Dominicos dies vix aut non esse seligendos patet.

Nota. II. In iis Diœcesibus, quæ speciali gaudent concessione omnium Ecclesiarum Dedicationis Anniversarium uno die celebrandi, simul cum aliis Ecclesiis Diœceseos celebrandum est hocce Anniversarium in Ecclesiis recenter consecratis ; itaque in nostra Mechliniensi Diœcesi ab omnibus, nulla excepta, Ecclesiis celebrandum est Anniversarium Dominica post Octavam Omnium Sanctorum.

Q. 299. *Quænam Missa celebrari debet occasione Benedictionis solemnis Ecclesiæ, vel Oratorii ?*

R. In Rituali Romano describitur (Tit. VIII, Cap. 27) « Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, ut ibi SS. Missæ Sacrificium celebrari possit » ; non enim semper, mox post ædificationem, datur opportuna occasio Consecrationis Ecclesiæ per Episcopum, et ex altera parte, quamprimum usui tradere novam Ecclesiam ordinarie necesse est, aut multum desideratur. (Cfr. etiam Q. 296, Prænotatur 2°.)

Hujusmodi Benedictio fieri potest omni die, et de licentia Episcopi, per Sacerdotem ; de ea agitur in Tractatu de Administratione Sacramentorum (Q. 342). Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

« Peracta Benedictione, dicitur Missa de Tempore occurrenti, vel de Sancto. » (Rituale Romanum, loco citato, n. 12.) Hæc verba sequenti modo intelligenda sunt : Missa dicitur, vel solemnis, vel cantata, vel privata, eodem ritu quo Missa Votiva solemnis pro re gravi (cfr. Q. 262), de Mysterio, vel de Sancto, in cujus

honorem Ecclesia fuit benedicta. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq, 5907, ad II.) Ast, si eo die hujusmodi Missa non potest celebrari, ob præstantiam Festi, aut Officii occurrentis (cfr. Q. 259), tunc dicitur Missa de occurrenti Festo, aut Officio (cfr. Q. 260).

Numquam autem potest dici Missa de Communi pro Dedicatione : hæc enim convenit solemni Ecclesiæ Consecrationi per Episcopum factæ.

Missa occasione Benedictionis celebratur, vel ab ipso qui Ecclesiam benedixit, vel ab alio Sacerdote.

Nota. Benedictio et impositio primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda quando fit ab Episcopo, ea expleta potest Episcopus, juxta Pontificale Romanum, si velit, aut alius Sacerdos, in dicto loco celebrare Missam de Sancto, in cujus nomine Ecclesia fundatur.

Hæc Missa, si celebratur, celebrari debet ut Votiva solemnis pro re gravi, exclusa omni Commemoratione ; eam prohibent tantum dies infra annum solemniores. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, ad 1.)

Rituale Romanum nihil dicit de Missa celebranda in casu, quando hæc functio fit a Sacerdote delegato. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 341.)

Q. 300. *Quid notandum est de Missa celebranda occasione Consecrationis Altaris, quæ fit sine Ecclesiæ Dedicatione ?*

R. I. Quando Altare fixum (cfr. Tractatus de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, QQ. 11 et 32) consecratur, tunc nihil mutandum venit in recitatione Officii, quod occurrit eo die quo fit hujusmodi Consecratio ; attamen celebrandæ sunt Vigiliæ ante Sacras Reliquias (cfr. Q. 296, I).

Peracta autem Altaris Consecratione, Missa solemnis debet celebrari in Altari consecrato, aut in uno ex consecratis, si plura simul fuerunt consecrata.

Celebratur Missa de Communi Dedicationis, ut in die Dedicationis Ecclesiæ (cfr. Q. 297) ; sed dicitur Oratio specialis pro Consecratione Altaris, nempe : *Deus, qui ex omni etc.*, quæ describitur in Missali post Missam de Anniversario Dedicationis Ecclesiæ ; servatis regulis quæ traduntur QQ. 297 et 298.

II. Quando consecratur Altare portatile (cfr. Tracta-

tus de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 12), nihil mutatur in recitatione Officii eo die occurrentis, sed et neque Vigiliæ sunt celebrandæ ante Sacras Reliquias.

Peracta Consecratione, celebratur Missa super tabulam consecratam, vel super unam ex tabulis consecratis, si plures fuerunt consecratæ. Hæc Missa non debet cum extrinseca solemnitate celebrari, et sufficit quod legatur ; attamen dicitur omnino sicuti pro Altari fixo consecrato, quemadmodum supra ad I notatur.

IX. De Missa Votiva pro Sponso et Sponsa

Q. 301. *Quænam Missa vocatur* pro Sponso et Sponsa *?*

R. Missa « pro Sponso et Sponsa » vocatur illa, in quinta parte Missalis inter Votivas descripta (cfr. Q. 37), cujus Introitus incipit *Deus Israel*, quæ cum formulari speciali dicitur pro iis qui Matrimonio juncti sunt, et continet solemnem Matrimonii contracti Benedictionem, per speciales Orationes, quibus Ecclesia spirituales effectus conjunxit.

Hæc solemnis Matrimonii Benedictio dari numquam potest nisi intra Missam ; ejusque speciales Orationes dicuntur ad duas diversas Missæ partes, nempe : 1° dicto *Pater noster*, ante Orationem : *Libera nos, etc.* ; 2° in fine, ante Orationem : *Placeat tibi, etc.*

Inter hanc Missam Votivam et Benedictionem Sponsorum talis connexio existit, ut formulare hujus Missæ non possit recitari, nisi in eadem fiat nuptiarum Benedictio ; absque Benedictione numquam potest hæc Missa dici, etiam diebus quibus Missæ Votivæ privatæ permittuntur.

« Benedictio enim Nuptiarum in Missali posita, si Sponsi eam petierint, (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro Sponso et Sponsa abstrahi numquam potest, sed infra eam omnino debet fieri. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § VI.)

Nota : Speciales cæremoniæ, et alia plura quæ in Missa pro Sponso et Sponsa præscribuntur in ordine ad Benedictionem nuptiarum, exponuntur in Tractatu de Administratione Sacramentorum, QQ. 309 ad 313.

Q. 302. *A quo nuptiæ benedicendæ sunt ?*

R. Nuptiæ benedicendæ sunt a Parocho sponsorum ; vel, ex ejusdem, sive Ordinarii licentia, ab alio Sacerdote. — Matrimonii celebratio, et nuptiarum Benedictio non ita connexæ sunt, ut ab uno eodemque Sacerdote fieri debeant ; sed Matrimonium, coram Parocho celebratum, benedici potest, cum ipsius, aut Ordinarii licentia, ab alio Sacerdote qui Missam celebrat ; attamen omnino requiritur, ut ille Sacerdos qui Missam celebrat etiam Benedictionem impertiatur ; et non potest unus Missam celebrare et alter Benedictionem Matrimonii dare.

Q. 303. *Quid statuitur de Missa pro Sponso et Sponsa tempore feriato ?*

R. De Missa pro Sponsis speciatim statuitur quod, tempore feriato, seu clauso, etiamsi data fuerit per Episcopum licentia Matrimonium contrahendi, numquam licet, neque Missam hanc Votivam dicere, neque Commemorationem pro sponsis ex hac Missa in Missa diei facere, neque solemnem Benedictionem nuptis ex hac Missa impertiri. Si sponsi tempore feriato Missam exposcant, Missa diei celebranda est, sine nuptiarum Benedictione, et sine nuptorum Commemoratione.

« Verum, ex Decreto Generali S. Romanæ Universalis Inquisitionis, dato die 31 Augusti 1881, Benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis conjugibus, qui eam quacumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro Sponso et Sponsa simul celebranda, diebus præscriptis. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § VI.)

Tempus feriatum, quo scilicet prohibitæ sunt solemnitates nuptiarum, earumque Benedictio, currit a Dominica I Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive ; et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis, etiam inclusive.

Q. 304. *Quibus diebus per annum, extra tempus clausum, dici non potest Missa Votiva pro Sponso et Sponsa ?*

R. Prohibetur hæc Missa Votiva extra tempus clausum :

1° in Dominicis omnibus ;

2° in Festis de præcepto in populo, et in omnibus Festis duplicibus 1 et 2 classis ;

3° infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, et Pentecostes, et in die Octava SS. Corporis Christi ;

4° in Vigilia Pentecostes ;

5° in iis Ecclesiis parochialibus in quibus una tantum Missa celebratur, prohibetur etiam hæc Missa Votiva in diebus Rogationum, si habeatur Processio, nam in tali casu Missa Rogationum in præcepto est ; necnon in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, 2 Novembris, si decantatur Officium Defunctorum.

Q. 305. *Quo ritu celebranda est Missa Votiva pro Sponso et Sponsa ?*

R. Missa hæc, licet dici possit in diebus quibusdam, qui excludunt Missas Votivas privatas, ex. gr., in Festis duplicibus majoribus et minoribus, sequitur tamen ipsa in omnibus naturam Missæ Votivæ privatæ, etiamsi celebraretur in cantu et cum solemni externo apparatu. (Cfr. QQ. 240 ad 253.)

In ea adhibetur color paramentorum albus, quia in sponsa benedicenda supponitur carnis integritas.

Omittitur *Gloria*. — Dicuntur tres saltem Orationes : prima videlicet Oratio Missæ Votivæ propria, secunda Officii diei, et tertia, si Commemoratio specialis non occurrat (cfr. Q. 73), illa quæ in Missa Officii semiduplicis secundo loco tamquam Commemoratio communis diceretur pro varietate temporis (cfr. Q. 81) ; quod si in Missa Officii diei duæ vel plures Commemorationes speciales fuerint factæ, tunc in Missa pro Sponsis plures quam tres Orationes necessario deberent dici (cfr. Q. 247.) — Omittitur semper Symbolum. — Præfatio semper dicitur communis, nisi propria alicujus Octavæ, vel de Tempore in Kalendario assignetur ; numquam vero dicitur Præfatio quæ propria foret Missæ Festi eodem die celebrati (cfr. Q. 251). — In fine dicitur : *Benedicamus Domino*, et Evangelium S. Joannis : *In principio*.

Q. 306. *Per exempla explica quæ erit tertia Oratio, quando Votiva hæc celebratur in Festo duplici, quod per se unam tantum habet Orationem.*

R. In responso ad Quæstionem præcedentem dicitur, tres saltem Orationes esse dicendas in Missa Votiva pro Sponso et Sponsa, et, casu quo Commemoratio specialis aliqua non sit facienda, tertiam Orationem eam dici, quæ, si Officium semiduplex hoc die occurreret, in hujus Missa secundo loco indicaretur dicenda tamquam Commemoratio communis. Quod ut intelligatur, sint exempla sequentia :

1° Die 4 Octobris celebratur Festum duplex majus S. Francisci, Confessoris, in quo Missa Votiva pro Sponso et Sponsa potest celebrari ; hoc Festum occurrit eo anni ecclesiastici tempore, quod incipit ab Octava Pentecostes et ducitur usque ad Adventum, et quo, juxta Titulum IX Rubricarum generalium Missalis, in Festis semiduplicibus dicitur secundo loco Oratio *A cunctis* (cfr. Q. 81) ; si hoc die celebranda erit Missa Votiva pro Sponso et Sponsa, supponitur Festum S. Francisci esse semiduplex, et quæritur, quænam Oratio, hoc supposito, in ejus Missa dicenda foret secundo loco, deficiente Commemoratione speciali ; ex citato Titulo IX Rubricarum notum fit dicendam esse Orationem *A cunctis* ; hæc igitur Oratio dicetur tertio loco in Missa Votiva, præmissis prima Oratione ipsius Missæ Votivæ, et secunda S. Francisci, quæ est Officii proprii hujus diei.

2° Supponitur quod Missa Votiva pro Sponsis sit dicenda die qua in nostra Diœcesi celebratur Festum B. Mariæ Virginis sub titulo Auxilium Christianorum, duplex majus.

A) Potest hoc Festum in die sua propria, 24 Maji, occurrere tempore Paschali, ante Festum Ascensionis ; tempore Paschali vero in Festis semiduplicibus dicitur 2ª Oratio B. Mariæ V. *Concede*, 3ª *Ecclesiæ*, vel pro Papa (cfr. Q. 81). In supposita Missa Votiva pro Sponsis dicetur 2ª Oratio Festi occurrentis B. Mariæ V. ; tertia vero Oratio juxta regulam datam dicenda foret *Concede*, ejusdem B. Mariæ V. ; quod fieri nequit, ne bis de B. Maria V. dicatur Oratio (cfr. Q. 117). — Ideo aucto-

res dicunt quod in casu applicanda venit regula juxta quam in Missis Votivis de B. Maria V. pro Commemoratione communi dicitur Oratio de Spiritu sancto (cfr. Q. 245) ; vel potius Rubrica Missalis quæ, postquam statuit in Votivis B. Mariæ V. dici tertiam Orationem de Spiritu sancto, statim adjungit : « sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. » (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15 ; cfr. Q. 81.)

Alii auctores putant in casu pro tertia Oratione dicendam esse Orationem *Ecclesiæ*, vel pro Papa, indicatam pro tempore Paschali. — Prævalet sententia eorum qui putant dicendam esse Orationem de Spiritu sancto.

B) Aliquando debet transferri Officium hujus Festi usque post Octavam SS. Sacramenti (ex. gr., anno 1902 transfertur in 7 Junii). Eo tempore anni, a Pentecoste usque ad Adventum, in Festis semiduplicibus dicitur 2ª Oratio *A cunctis*, 3ª ad libitum (cfr. Q. 81). In Missa Votiva pro Sponsis hac die celebrata, in qua 2ª Oratio dicitur de Festo B. Mariæ V., 3ª Oratio dicenda foret *A cunctis*, in qua nominatur B. Maria V. — In casu putant quidam auctores dici posse Orationem *A cunctis*, omissa mentione B. Mariæ V. (cfr. Q. 121, 1°). Alii opinantur pro Oratione *A cunctis* suffici posse Orationem de Spiritu sancto. — Prævalet sententia eorum qui putant dicendam esse Orationem de Spiritu sancto.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 568 ; et Collationes Brugenses, V, 1900, pag. 314.)

Q. 307. *Quæ Missa dicitur, et quo modo, cum extra tempus clausum, diebus impeditis benedicendæ sunt nuptiæ ?*

R. Si extra tempus clausum, diebus impeditis, qui supra in responso ad Quæstionem 304 indicantur, celebretur nuptiarum solemnitas, et benedicendæ sint nuptiæ, ex. gr., in aliquo Festo duplici 2 classis, tunc celebratur Missa Officio conformis. In hac Missa autem dicitur Commemoratio nuptiarum ex Missa Votiva pro Sponso et Sponsa ; etenim hæc Commemoratio numquam omittitur, etiamsi occurreret aliquod Festum duplex 1 classis (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Aprilis 1822, n. 2619, antiq. 4587, ad 6) ; et dicitur sem-

per sub altera conclusione, post Commemorationes speciales aut communes in Missa diei præscriptas, sed ante Orationes Votivas sive imperatas ; numquam autem dicitur sub unica, aut prima conclusione cum prima Oratione Missæ. (Cfr. Decret. 30 Junii 1896, n. 3928, § VI.)

Insuper in hac Missa dicuntur Orationes propriæ pro Benedictione nuptiarum, positæ in Missa Votiva pro Sponso et Sponsa, scilicet, post *Pater noster*, et ante Orationem *Placeat*, eodem modo et ritu quo dicuntur alias in ipsa Missa Votiva.

Dicitur in principio responsi « extra tempus clausum » ; nam tempore clauso nihil jam permittitur, ut in responso ad Quæstionem 303 dictum fuit.

Q. 308. *Quid faciendum est, si conjuges, quorum nuptiæ benedici non possunt, exoptant Missam pro se offerri ?*

R. In Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 311) dicitur quæ nuptiæ benedici possunt. Si autem conjuges, quorum nuptiæ benedici non possunt, ex. gr., quia mulier in præcedenti Matrimonio jam benedicta fuit, vel quia currit tempus feriatum, exoptant tamen, expletis Matrimonii ritibus, Missam celebrari, dicitur vel alia Votiva pro devotione Sponsorum, si Rubricæ permittant Votivam dici ; vel Missa Officio diei conformis. In omni casu dicitur absque Commemoratione nuptiarum.

Pro Matrimoniis mixtis autem notetur Instructio S. Sedis Apostolicæ, de die 15 Novembris 1858, juxta quam Matrimonia mixta extra Ecclesiam, absque Parochi Benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrari debent, exclusa etiam semper celebratione Missæ. (Cfr. quæ hac super re fusius dicuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 300 in fine.)

Q. 309. *An pro Benedictione solemni nuptiarum Missa Votiva pro Sponso et Sponsa diebus permissis celebrari debet ?*

R. Affirmative ; hoc patet, tum ex Rubrica Ritualis Romani (Tit. VII, Cap. 2, n. 4) ; tum ex Rubrica speciali Missalis Romani, quæ ponitur ante Missam Votivam pro Sponso et Sponsa ; tum ex sequenti Decreto

S. Rituum Congregationis, de die 23 Junii 1853 (n. 3016, antiq. 5190, ad 1) : « Missa in nuptiis semper debet esse Votiva pro Sponso et Sponsa ut in Missali, præterquam in Festis de præcepto, etc. » Attamen, Sacerdos non tenetur Missam pro Sponsis applicare, nisi ab iisdem stipendium acceperit. (Decret. S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, 1 Septembris 1841.)

Notatur quod in una Missa plures nuptiæ benedici possunt ; et tunc Orationes Benedictionis semel tantum dicuntur, et omnino prout dantur in Missali, absque ulla mutatione. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 542, Q. 9.)

(Cfr. Collationes Brugenses, I, 1896, pag. 96-101 ; IV, 1899, pag. 185-189 ; et V, 1900, pag. 314-319.)

CAPUT II

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS

ARTICULUS I

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS REGULÆ GENERALES

§ 1. De numero Missarum pro Defunctis

Q. 310. *Quot, et quæ in Missali recensentur Missæ de* Requiem *?*

R. In Missali recensentur quatuor diversæ Missæ de *Requiem* :

Prima inscribitur : *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,* estque propria pro hac generali Defunctorum Commemoratione, quæ celebratur quotannis die 2 Novembris.

Secunda inscribitur : *In die obitus seu depositionis Defuncti,* et dicitur in exsequiis alicujus Defuncti, unde vocatur *Exsequialis ;* dicitur etiam, ut patet ex Rubrica speciali posita post hanc Missam, *in die tertio, septimo, et trigesimo depositionis Defuncti,* exceptis Orationibus, quæ pro his diebus propriæ describuntur post hanc Rubricam.

Tertia inscribitur : *In Anniversario Defunctorum.*

Quarta inscribitur : *In Missis quotidianis Defunctorum* ; vocatur *Quotidiana*, et dicitur dum per annum Missa de *Requiem* pro uno, vel pro pluribus Defunctis celebratur extra dies supra recensitos.

Q. 311. *Quæ rationes dantur ab auctoribus, cur diversæ istæ Missæ ab Ecclesia præscribantur ?*

R. « Pia omnium Mater Ecclesia catholica, tum vivis tum defunctis filiis suis per salutare Missæ Sacrificium subvenire satagit. Ideo non tantum in die **Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum** offert **pro omnibus** divinum Sacrificium, sed illico **post mortem pro quolibet** in communione sua defuncto Hostiam salutarem sacrificat, ejusque memoriam renovat **die tertio**, juxta exemplar Christi die tertio resurgentis, et **die septimo**, ad monitum Ecclesiastici (Cap. XXII, ℣. 13 : « Luctus mortui septem dies » ; atque **trigesimo die**, juxta exemplum filiorum Israel, qui triginta diebus fleverunt Moysen defunctum (Deuter., Cap. XXXIV, ℣. 8), complet dies luctus et planctus. Elapso dein anni curriculo, **anniversarium** celebrandi antiquissimum tenet usum ; et etiam **per annum** Hostiam vivificam pro Defunctis immolat. Hinc distinguuntur variæ Missæ de *Requiem.* » (Müller, *Theologia moralis*, Lib III, Tit. I, § 36.)

Alias mysticas rationes nos docent Gavantus (*Thesaurus sacrorum Rituum*, P. I, Tit. V, n. 3), et Cavalieri (*Opera*, Tom. III, Cap. IV, n. 1), qui de his diebus dicit : Die itaque tertio solemnior fieri solet mortuorum recordatio, ut pius Dominus, quidquid peccaverint cogitatione, verbo et opere, erga Deum, proximos et seipsos, misericorditer indulgendo, Sanctæ Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. — Septimo quoque die, Josephi Ægypti Proregis instar, qui Jacob patris sui exsequias celebrans (Genesis, Cap. L, ℣ 10), implevit dies septem luctus. Septimus item dies Sabbatum est, symbolum futuræ quietis, unde Dominum Sabbati precamur ut requiem æternam eis donet ; etc.

Q. 312. *Quinam dies pro Defunctis censentur solemnes, seu privilegiati ?*

R. Ex enumeratione quatuor diversarum Missarum de *Requiem* statim jam deducere licet, tres primas Missas eas esse quæ dicendæ veniunt in diebus quos pro Defunctis **solemnes** seu **privilegiatos** quodammodo vocare licet, et qui sunt : Generalis Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, die 2 Novembris quotannis facta ; — deinde pro particularibus Defunctis : dies obitus, dies depositionis, et etiam dies intermedii obitum inter et depositionem ; necnon, juxta recentem dispositionem Rubricæ generalis reformatæ (Tit. V, n. 3), dies post acceptum nuntium de alicujus obitu ; — dies ab obitu seu depositione tertius, septimus et trigesimus ; — dies ab obitu seu depositione anniversarius. — Hisce diebus Missa pro Defunctis dicta censetur ritus duplicis, cum reliquis per annum diebus, qui non solemnes seu privilegiati sunt, Missa sit ritus simplicis. Et eo sensu Missa lecta, seu privata potest dici solemnis, seu privilegiata, si nempe ritui duplici respondeat.

Ex his insuper diebus qui pro particularibus Defunctis solemnes sunt, potiores sunt dies ab obitu ad depositionem, minores vero reliqui.

Q. 313. *Speciatim indica quandonam unaquæque ex his quatuor Missis celebretur.*

R. I. **Prima Missa** dicitur : *a*) in Commemoratione Fidelium Omnium Defunctorum, 2 Novembris ;

b) in die obitus seu depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario defuncti Papæ, Cardinalis et Episcopi, cum insertione illius propriæ Orationis, ex diversis quæ post quartam Missam assignantur, quæ dignitati Defuncti respondet. (Rubrica particularis Missalis, ad Orationes diversas pro Defunctis.) — Ecclesia enim hac agendi ratione summis dignitatibus vult etiam post mortem aliquam distinctionem tribuere, quia, quæ raro adhibentur pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine (Gavantus, *Thesaurus sacrorum Rituum*, P. IV, Tit. XVIII) ;

c) item in die obitus seu depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario Sacerdotis, potest dici, cum Oratione propria pro Sacerdote.

Hanc primam Missam posse in casu dici pro Sacerdote Rubrica Missalis non indicat ; sed constat ex sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « Quænam dicenda sit Missa in die obitus vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis ; prima, quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.;* an illa, quæ est secundo loco posita, quæ est in die obitus seu depositionis in communi cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes;* et insuper quænam dicenda sit Missa in exsequiis solemnibus post sepulturam cadaveris ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Una vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris vel in anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur. » (Decret. 29 Januarii 1752, n. 2417, ad 8, antiq. 4223, ad 14.)

II. **Secunda Missa** potest dici pro defuncto Sacerdote ; dicitur autem pro Clerico Sacerdote inferiori, et pro laico : in eorum die obitus seu depositionis ; item in omnibus Missis quæ celebrari de *Requiem* possunt a defuncti obitu usque ad factam sepulturam (cfr. Q. 344) ; item ad nuntium obitus alicujus in locis dissitis defuncti (cfr. Q. 346, 3°) ; eadem Missa dicitur quoque, mutatis Orationibus, in die eorumdem tertio, septimo et trigesimo.

III. **Tertia Missa** potest dici pro defuncto Sacerdote ; dicitur autem pro Clerico Sacerdote inferiori, et pro laico : in eorum die anniversario.

IV. **Quarta Missa** sumitur pro omnibus Defunctorum Missis quæ in aliis anni diebus quam prædictis celebrantur, etiamsi pro Papa, Cardinali, Episcopo aut Sacerdote dicantur.

Q. 314. *In quibus conveniunt quatuor illæ Missæ ?*

R. In quatuor istis Missis pro Defunctis eadem sunt Introitus, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium et Communio ; ita ut in omnibus conveniant, et una ab aliis non differat, nisi in Orationibus, Epistolis et Evangeliis, quæ tria diversa in quatuor diversis Missis assignantur.

Q. 315. *Quid notat Rubrica circa Epistolas et Evangelia harum Missarum, et quis eorum usus saltem convenientior est ?*

R. Orationes diversas pro diversis casibus et circum-

stantiis, in his Missis dici debere indubium est. Quoad Epistolas et Evangelia autem, dicit specialis Rubrica in fine quartæ Missæ posita : « Epistolæ et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis ».

Huic Rubricæ, etiamsi late patenti, limites tamen præscribuntur.

Etenim, in die depositionis et anniversarii Summi Pontificis semper debere dici Epistolam et Evangelium ex prima Missa (non autem Orationem), patet, tum ex Rubrica posita ante Orationes diversas pro Defunctis, tum ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 31 Maji 1817 (n. 2578, ad 12, antiq. 4536, ad 13, 3°) ; item, in die depositionis et anniversarii Episcoporum, eamdem primam Missam (præter Orationem) esse dicendam, ex Rubrica indicatam sequente, et ex Decreto S. Rituum Congregationis, diei 5 Martii 1870 (n. 3213, antiq. 5445, ad 5), eruitur ; quæ dicta de die depositionis et anniversarii, valere etiam pro die tertio, septimo et trigesimo eorumdem Defunctorum, concludunt auctores.

Deinde, Missas primam, secundam et tertiam, cum respectivis Epistola et Evangelio, diebus qui in earum titulis inscribuntur esse dicendas, certe ipsos titulos ubertim evincere auctores plures affirmant, aut saltem convenire omnes dicunt ; quia ob quamdam congruitatem unicuique Missæ assignata fuerunt ; absonum enim merito censeretur, si in Missa exsequiali aliquis Sacerdos, unice quia placet, diceret hæc ex quarta Missa.

Permittit autem hæc Rubrica, exempli gratia : in Missa de *Requiem*, pro defuncto Sacerdote, quocumque die celebrata, legere Epistolam et Evangelium ex prima Missa ; — in Missa de *Requiem* non exsequiali, celebrata pro membro confraternitatis, societatis, collegii, in die quo Missa ordinaria seu, ut vocatur, quotidiana permittitur, legere Epistolam et Evangelium ex Missa secunda ; — in Missis de *Requiem* quotannis celebratis pro defunctis membris confraternitatis, societatis, collegii, extra diem anniversarii proprie dicti, dicere Epistolam et Evangelium ex Missa tertia ; — tandem in Missa de *Requiem* quotidiana, loco Epistolæ et Evangelii ex quarta Missa, dicere Epistolam et Evangelium

ex una trium præcedentium Missarum, ad arbitrium ejus qui celebrat.

§ 2. De modo celebrandi Missas de « Requiem »

Q. 316. *Quid in celebranda quacumque Missa de* **Requiem,** *tum privata tum solemni, omittendum est, quid mutandum ?*

R. Quæ in celebratione Missæ de *Requiem*, pro diversis Missæ partibus, observanda veniunt, quoad omissionem, aut mutationem quarumdam precum, quorumdam rituum, sequentibus verbis indicat Rubrica Missalis :

« In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus : *Judica me Deus*, sed pronuntiata Antiphona : *Introibo ad altare Dei*, et responso a ministro : *Ad Deum, qui lætificat etc.*, dicitur ℣. *Adjutorium nostrum*, et Confessio, cum reliquis ut supra. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur : *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur : *Requiem æternam ;* nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluja*, nec *Jube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo ;* nec osculatur librum in fine. Non dicitur *Credo*, non benedicitur aqua in Calicem fundenda : dicitur tamen Oratio : *Deus, qui humanæ substantiæ etc.* Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri.* Ad *Agnus Dei* non dicitur : *miserere nobis*, cujus loco dicitur : *dona eis requiem ;* nec tertio : *dona nobis pacem*, cujus loco dicitur : *dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis etc.*, nec datur pax. In fine non dicitur : *Ite missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace.* Et non datur Benedictio : sed dicto *Placeat*, et osculato Altari, dicitur, ut supra : *In principio erat Verbum etc.* Alia omnia ut in aliis Missis. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 1.)

Quæ hic e Missali proponuntur, longius exponuntur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, ubi de Missis privatis de *Requiem* explicantur ritus et cære-

moniæ, Q. 305. Quæ proprie pertinent ad ipsas Missæ Rubricas, exposita fuerunt partim in Sectione I præsentis Tractatus, et partim declarantur in sequentibus hujus Capitis Quæstionibus.

Nota. In Missis de *Requiem* Sacra Communio fidelibus administrari potest; ac si distribuitur ante vel post Missam de *Requiem*, Benedictio alias post distributionem extra Missam data omitti debet. (Decreta S. Rituum Congregationis, 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 2; et 27 Junii-23 Julii 1868, n. 3177, antiq. 5403. Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 190.)

Q. 317. *Quid insuper in celebratione Missæ solemnis de* **Requiem** *servandum est ?*

R. « In Missa solemni non incensatur Altare ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur : Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum : non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant unus a dexteris, et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans : nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et Altare incensantur ut supra : incensatur solus Celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem : sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur. »

« Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam, et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit Absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, nn. 2, 3.)

Hæc e Missali hic descripta, longius exponuntur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, ubi de Missa de *Requiem* solemni explicantur ritus et cæremoniæ, Q. 306.

Q. 318. *Quid animadvertendum est pro cantu in Missa solemni de* Requiem *?*

R. 1° Celebrans uti debet, in cantu Orationum in Missa, tono simplici feriali ; in cantu Præfationis, et Orationis Dominicæ, cantu feriali.

2° Pro iis quæ a Choro, vel a cantoribus debent cantari, qualia sunt Introitus, Kyrie, Graduale, Tractus, Sequentia *Dies iræ*, etc., notari debet quod S. Rituum Congregatio pluribus Decretis requirit ut omnia cantentur. Etenim, per Decretum 11 Septembris 1847 (n. 2959, antiq. 5118, ad 2), rescripsit: « canenda esse omnia, quæ precationem suffragii respiciunt » ; rogata vero ab Episcopo Portus Aloisii, « utrum verba illa « precatio suffragii » includant Sequentiam *Dies iræ*, quæ vix vocari potest oratio vel precatio ; item utrum in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium », respondit : « Affirmative. » (Decr. 9 Maji 1857, n. 3051, antiq. 5243, ad 1.) — Quod autem rescripserat ad Episcopum Briocensem, postulantem pro speciali gratia dispensationem super Sequentia *Dies iræ* cantanda, ob angustiam temporis et defectum cantorum, præsertim in ecclesiis ruralibus, scilicet : « aliquas strophas illius cantores prætermittere posse, » expunctum fuit e nova editione Decretorum. (Cfr. Decret. 12 Augusti 1854, antiq. n. 5208, ad 12, nunc n. 3029.) — Et recentius ad dubium : « An sufficiat ut in quibusdam Missis de *Requiem*, anniversariis late sumptis quæ cum Diacono et Subdiacono cantantur, Sequentia *Dies iræ* legatur tantum a Celebrante, aut debeat etiam cantari a Choro ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam. » (Decret. 2 Maji 1900, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 459.)

Hic quoque notari potest quod docet Cæremoniale Episcoporum de cantu et usu organi in Missis Defunctorum. Regula dabatur primitus sequens : « In Missis et Officiis Defunctorum, nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo. » (Lib. I, Cap. XXVIII, n. 13.) Attamen, in editione typica anni 1886, immutata aliquantum fuit hæc regula, nam eodem loco nunc legitur : « In Officiis Defunctorum organa non pulsantur ; in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus. »

Q. 319. *Quid generatim pro Missis de* Requiem *notandum est, relate ad Festum aut Officium occurrens, vel anni tempus, in quibus celebrantur ?*

R. In Missis de *Requiem* nulla habetur ratio Festi aut Officii occurrentis, vel anni temporis, in quibus celebrantur ; hæc omnino negliguntur, et nulla umquam fit eorum Commemoratio ; nihil ex eis quæ in his specialia præscribuntur observatur ; unde, Præfatio semper dicitur communis ; in Oratione Canonis, quæ incipit *Communicantes*, nihil mutatur, et in fine semper dicitur Evangelium S. Joannis : *In principio.* Oratio imperata omittitur ; nisi pro defuncto vel defunctis sit dicenda, quemadmodum expositum fuit Q. 131.

Preces autem, post Missas aliquando dicendæ ex præscripto Summi Pontificis aut Episcopi, etiam post Missas de *Requiem*, prout præscriptum fuerit dicuntur ; et ita, sicuti post alias Missas lectas, etiam post Missas de *Requiem* privatas dicendæ sunt Preces (tria *Ave Maria* scilicet, cum *Salve Regina*, et Orationibus) a Leone XIII præscriptæ. — Quæ sint observanda pro his Precibus exponuntur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 324.

Q. 320. *An versus :* **Requiem æternam dona eis Domine ; Requiescant in pace,** *et similes, aliquando mutari possunt ?*

R. Quæcumque preces in proprio Missarum de *Requiem* mentionem habent animarum Defunctorum in numero plurali, in Introitu, Graduali, Tractu, Sequentia, Offertorio et Communione ; item adprecatio *Requiescant in pace*, quæ in fine Missæ dicitur ante Orationem *Placeat, etc. ;* semper, etiamsi pro uno tantum Missa celebraretur, plurali numero dici debent. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.) — Dici potest in singulari *Requiescat in pace* tantum in Absolutione post Missam, quando Absolutio est pro uno Defuncto.

§ 3. De Orationibus in Missis de « Requiem »

Q. 321. *Describe diversas Orationes pro Defunctis, et indica quid in quibusdam sit animadvertendum.*

R. A. — In Missis quatuor pro Defunctis sequentes dantur Orationes :

1) In 1ª Missa : Oratio in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum :

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor : animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum ; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur : Qui vivis et regnas.

2) In 2ª Missa : Oratio in die obitus, seu depositionis Defuncti :

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti : ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci ; ut, quia in te speravit et credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per Dominum.

Pro defuncta dicitur : *pro anima famulæ tuæ N.*

3) Post 2ªm Missam : Oratio in die tertio, septimo, et trigesimo :

Quæsumus Domine, ut animæ famuli tui N. cujus depositionis diem tertium (*vel* septimum, *vel* trigesimum) commemoramus, sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris consortium : et rorem misericordiæ tuæ perennem infundas. Per Dominum.

Pro defuncta dicitur : *ut animæ famulæ tuæ N.*

4) In 3ª Missa : Oratio in Anniversario Defunctorum :

Deus, indulgentiarum Domine : da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum.

Nota. *a*) Si pro uno masculo tantum celebratur Missa Anniversarii, dicitur : *da animæ famuli tui, cujus anniversarium.*

b) Si pro una femina tantum celebratur, dicitur : *da animæ famulæ tuæ, cujus anniversarium.*

Prædictas duas mutationes pluralis numeri in singularem proponit Missale pro casu quo Anniversarium pro uno, vel pro una tantum celebratur.

c) Si pro uno et una tantum fit Anniversarium (non rara enim sunt Anniversaria fundata pro patre et matre, vel pro marito et uxore), consultius erit dicere Orationem Missæ in plurali, nempe : *da animabus famulorum tuorum*, omissis verbis *famularumque tuarum* ; verbum *famulorum* enim censeri potest utrumque genus continere. — Non licet dicere : *da animabus famuli famulæque tuæ,quorum anniversarium* ; etenim ad dubium: « Si Missa de *Requiem* legatur pro uno et una defunctis, an liceat mutare Orationem hoc modo : *animabus famuli tui et famulæ tuæ* ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 14 Junii 1901, ad 9 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 403.)

d) Si pro pluribus masculis tantum fit Anniversarium, dicitur : *da animabus famulorum tuorum,quorum anniversarium.*

e) Si pro pluribus feminis tantum, dicitur : *da animabus famularum tuarum, quarum.*

5) In 4ª Missa : Oratio prima, pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus :

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus ; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

6) In eadem Missa : Oratio secunda, pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus :

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator : quæsumus clementiam tuam ; ut nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. (Per Dominum.)

7) In eadem Missa : Oratio tertia, pro omnibus fidelibus defunctis :

Fidelium, Deus, etc. ; ut supra Oratio 1.

B. — Post Missas quatuor de *Requiem*, describuntur sequentes Orationes diversæ pro Defunctis :

1) In die depositionis, et anniversario Summi Pontificis :

Deus, qui inter summos sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti : præsta, quæsumus ; ut, qui unigeniti Filii tui vices in terris gerebat, sanctorum tuorum pontificum consortio perpetuo aggregetur. Per eumdem Dominum nostrum.

2) Pro defuncto Episcopo :

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. pontificali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus ; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum.

Pro defuncto Sacerdote, dicitur eadem Oratio, sed ubi dicitur *pontificali*, dicatur *sacerdotali*. In Secreta et Postcommunione habentur verba : *famuli tui N. Pontifícis* ; pro Sacerdote ibi dicetur *Sacerdotis* pro *Pontificis*. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Januarii 1752, n. 2417, ad 8, antiq. 4223, ad 14 ; et Q. 313, I.)

Si pro pluribus Episcopis Missa celebratur, dicitur : *famulos tuos pontificali..... aggregentur consortio* ; si pro pluribus Sacerdotibus, dicitur : *famulos tuos sacerdotali..... aggregentur consortio.*

Notat hic Missale, quæ Orationes sint dicendæ pro defunctis Cardinalibus, in quorum Collegio triplex distinguitur ordo, nempe Episcoporum, qui sex numero sunt, Presbyterorum, qui quinquaginta numerantur, et Diaconorum, qui quatuordecim sunt.

Omittimus quæ ad Episcopum Cardinalem, et ad Diaconum Cardinalem referuntur.

Pro Presbytero Cardinali, ait Missale, dicitur in Oratione quæ supra describitur : *famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, sacerdotali fecisti dignitate etc.* Inter Presbyteros Cardinales quidam habentur, qui Sacerdotes tantum sunt, et non Episcopalem consecrationem acceperunt ; sed plerique ex eis sunt Episcopi, vel Romæ in Curia residentes, vel in diversis per orbem catholicum diœcesibus degentes ; pro his, qui consecrationem Episcopalem acceperunt, dicitur Oratio sequenti modo : *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem, Pontificali fecisti dignitate vigere, etc.* In Secreta vero, et Postcommunio-

ne dicetur quoque : *famuli tui N. Presbyteri Cardinalis Pontificis.*

Ad dubium : « Anne in Oratione Missæ de Requie pro Cardinali Presbytero, sed Episcopo, cuidam Ecclesiæ consecrato et adscripto, dicendum sit, ut docet Castaldi (Praxis Cærem. lib. II, sect. VI, cap. V, num. 6) *Deus, qui inter..... famulum tuum N. Presbyterum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere, etc.* ; vel potius *famulum tuum N. Episcopum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere* ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, ad primum ; Negative, ad secundum. » (Decret. 23 Septembris 1885, n. 3642, ad 4, antiq. 5949, ad 5.)

3) Pro defuncto Episcopo, alia Oratio :

Da nobis, Domine, ut animam famuli tui N. Episcopi, quam de hujus sæculi eduxisti laborioso certamine, sanctorum tuorum tribuas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Notandum hic est quod, si defunctus sit Archiepiscopus, nihil ideo mutare liceat in hac Oratione, quia non est nominanda dignitas Archiepiscopalis, quæ ordinem non constituit, nisi quatenus Archiepiscopus sit Episcopus.

4) Pro defuncto Sacerdote, alia Oratio :

Præsta, quæsumus Domine, ut anima famuli tui N. sacerdotis, quem in hoc sæculo commorantem, sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosa semper exsultet. Per Dominum.

Pro pluribus simul potest hæc Oratio dici, et tunc dicetur : *ut animæ famulorum tuorum Sacerdotum, quos in hoc sæculo commorantes..... semper exsultent.*

5) Pro uno defuncto :

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur : ut animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas ; et sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.

6) Pro una defuncta :

Quæsumus Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ : et a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum.

7) Pro patre et matre Sacerdotis :

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcipisti : miserere clementer animabus patris et matris meæ, eorumque peccata dimitte ; meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum.

Nota. Hæc Oratio dicitur a Celebrante pro propriis parentibus, non pro parentibus alterius.

In Secreta hujus Orationis agitur de Sacrificio quod offert Sacerdos pro animabus patris et matris ; etiamsi Sacerdos non applicet fructum Sacrificii pro animabus patris et matris, dicere debet hanc Secretam uti jacet, et nihil in ipsa sub hac ratione mutare potest. Sacrificium, quod pro aliquo offertur, vero intelligendo tamen sensu, offertur pro omnibus vivis et defunctis, quatenus omnes de eo pro intentione et dispositione participent. (Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 114.)

8) Si pro patre tantum Sacerdotis celebrantis, vel pro matre tantum dicenda sit Oratio, dicitur in singulari, nempe : *clementer animæ patris mei* (vel *matris meæ*), *ejusque peccata dimitte ; meque eum* (vel *eam*) *in æternæ etc.*

9) Pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus :

Deus. veniæ largitor, etc. ; ut supra in quarta Missa de *Requiem* (A, n° 6).

10) Pro his qui in cœmeterio requiescunt :

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt : famulis et famulabus tuis, et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus,da propitius veniam peccatorum ; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eumdem Dominum.

11) Pro pluribus defunctis :

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere : propitiare animabus famulorum, famularumque tuarum, et omnia eorum peccata dimitte ; ut mortalitatis vinculis absolutæ, transire mereantur ad vitam. Per Dominum.

12) Pro pluribus defunctis, alia Oratio :

Animabus, quæsumus Domine, famulorum, famularumque

tuarum misericordiam concede perpetuam : ut eis proficiat in æternum, quod in te speraverunt, et crediderunt. Per Dominum.

Nota. In quibusdam ex supra descriptis Orationibus ponitur littera N., ad quam exprimitur defuncti nomen ; at, cognomen, dignitas, titulus, aut quæcumque qualitas, nisi in ipsa Oratione exprimantur, exprimi non possunt. Orationes vero in quibus littera N. non apponitur, tam in Missa quam in Officio, sine nomine sunt legendæ.

Q. 322. *Quomodo Orationes pro Defunctis sunt dicendæ in diversis casibus, qui non penitus respondent iis qui in præcedenti responso proponuntur ?*

R. Etiamsi tot numero jam describantur in Missali Orationes diversæ pro Defunctis, fieri potest quod Sacerdos celebret Missam, cum intentione quæ non penitus respondet iis casibus qui in præcedenti responso proponuntur, nempe in Missis quæ celebrantur pro Defunctis extra dies solemnes seu privilegiatos (cfr. Q. 312). Determinandum est, quæ Oratio sit dicenda ut respondeat intentioni Celebrantis, vel Missam petentis.

1° Si Missa quotidiana de *Requiem* celebratur pro duobus, aut pluribus defunctis masculis :

Sumi potest Oratio *Inclina*, pro uno defuncto (quinta ex diversis, cfr. Q. 321, B, n. 5), dicendo in plurali : *ut animas famulorum tuorum, quas.... esse consortes.* — Vel, consultius forsan, sumitur una alterave ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (ibid. nn. 11, 12), demendo *famularumque* et dicendo: *animabus famulorum tuorum.* (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 109.)

2° Si Missa celebratur pro duabus, aut pluribus defunctis feminis :

Sumitur Oratio *Quæsumus Domine*, pro una defuncta (sexta ex diversis, ibid. n. 6), dicendo in plurali : *miserere animarum famularum tuarum... mortalitatis exutas.* — Vel, consultius forsan, ut supra ad 1^{um}, sumitur una ex duabus nn. 11 aut 12 descriptis, dicendo : *animabus famularum tuarum, et omnia earum peccata.*

3° Si Missa celebratur pro duobus defunctis, quorum unus est vir, altera mulier :

Sumitur una ex duabus Orationibus pro pluribus

defunctis (ibid. nn. 11, 12), et dicitur : *animabus famulorum tuorum* tantum, verbum enim *famulorum* censeri potest utrumque genus continere. — Non licet mutare Orationem sequenti modo : *animabus famuli tui et famulæ tuæ :* obstat enim Decretum S. Rituum Congregationis citatum Q. 321, A, ad 4.

4° Si Missa celebratur pro pluribus defunctis, quorum plures viri et una femina :

Sumitur una ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (ibid. nn. 11, 12), et dicitur : *animabus famulorum tuorum,* ut supra ad 3^{um}.

5° Si Missa celebratur pro pluribus defunctis, quorum unus vir et plures feminæ :

Sumitur una ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (ibid. nn. 11, 12), et dicitur : *animabus famulorum tuorum,* ut supra ad 3^{um}.

Nota. Hujusmodi mutationes in Orationibus legitime fieri licere credendum est ; ex eo quod ipsum Missale in quibusdam casibus designet mutationes faciendas de singulari in plurale (cfr. Q. 321, B, 2, 4), aut de plurali in singulare (ibid. A, 4) ; et quia ejusmodi mutationes singularis numeri in pluralem, vel vice versa, videntur spiritui Rubricarum optime cohærere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 110.)

6° Si vero Missa celebratur pro pluribus defunctis non certo designatis, in genere, quorum numerus, qualitates et nomina ignota sunt, regula sequens datur per Decretum generale S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896 (n. 3920, ad III) : « Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant ; eodemque ordine quo sunt inscriptæ. » Itaque dicuntur in casu Orationes tres, nempe 1^{a} pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus ; 2^{a} pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus ; 3^{a} pro omnibus fidelibus defunctis ; descriptæ in Quæstione præcedenti (A, nn. 5, 6, 7).

7° Tandem fieri potest, quod Sacerdos stipendia Missarum accipiat « ad intentionem dantis », quæ intentio nescitur an pro vivis sit, an pro defunctis : quando Sacerdos in casu, ritu permittente, celebrat Missam quotidianam de *Requiem,* dicet Orationes, ut in præcedenti

casu 6°, quæ pro Missis quotidianis prostant, numero et ordine quo ibi sunt inscriptæ. Cum enim intentio non sit patefacta, id significat satis esse stipem offerenti, ut Sacrificium applicetur ad intentionem suam, et Missa de *Requiem* celebretur pro defunctis in genere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 214.)

Q. 323. *Refer Decretum generale S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, super Orationibus in Missis Defunctorum.*

R. Non idem sentiebant omnes auctores in interpretandis Rubricis, tum de numero Orationum quæ in diversis Missis de *Requiem* dici debent, tum de ordine quo in diversis casibus dicendæ sunt Orationes in Missis quotidianis ; et varia S. Rituum Congregationis Decreta diversimode interpretabantur.

Ideo S. Rituum Congregatio, ut omne tollatur dubium super Orationibus dicendis in Missis Defunctorum, per Decretum generale (30 Junii 1896, n. 3920), declaravit :

I. « Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quæ celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX et die Anniversaria, necnon quandocumque pro Defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat ; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, et in Anniversariis late sumptis. »

II. « In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis. »

III. « Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant ; eodemque ordine quo ibi sunt inscriptæ. »

IV. « Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricæ pote-

statem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato. »

Ad hujus Decreti normam concinnata fuit Rubrica generalis Missalis (Tit. V, nn. 3 et 4), per Decretum *Urbis et Orbis*, diei 7 Decembris 1897, approbatum die 11 Decembris 1897.

Hæc est igitur certa lex in posterum servanda, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Pro intelligentia Decreti supradicti, et Rubricæ, proponuntur duæ sequentes Quæstiones, quot nempe, et quæ Orationes sint dicendæ in diversis Missis de *Requiem*.

Q. 324. *Quot numero dicuntur Orationes in diversis Missis de* **Requiem** *?*

R. Prænotatur : Quandonam, seu quibus diebus singulæ ex quatuor Missis de *Requiem* debeant, aut possint dici, explicabitur postea, in sequentibus Articulis, ubi de singulis hisce Missis traduntur regulæ : in præsenti Quæstione, præsupposito quod Missæ de *Requiem* in diversis indicatis diebus et casibus permittantur, notatur tantum, quot Orationes in his Missis sint dicendæ.

1° *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum*, in omnibus Missis, sive solemnibus, sive cantatis, sive lectis, unica dicitur Oratio.

2° *In die Obitus, seu Depositionis defuncti*, quo termino hic intellige totum spatium mortem inter et sepulturam alicujus defuncti, in omnibus Missis, quæ alicubi pro eo defuncto possunt de *Requiem* celebrari, sive solemnes sint, sive cantatæ, sive lectæ, unica dicitur Oratio.

Exemplum : Si quis fidelis nocte defunctus sit, et jam sequenti mane, ac sequentibus diebus, usque ad diem depositionis seu exsequiarum inclusive, Missæ pro ejus animæ refrigerio sint dicendæ, modo ritus Officiorum his diebus occurrentium permittat Missas de *Requiem* celebrare, ubicumque Missæ istæ celebrentur, in omnibus dicetur unica Oratio.

Item in Missis de *Requiem* celebratis *pro die Obitus, seu Depositionis defuncti*, ex. gr., occasione exsequiarum quæ fiunt infra biduum a sepultura, quæ jam fuerit fa-

cta ob causas morbi cujusdam contagiosi, aut civilis vetiti, unica dicitur Oratio.

3° *In diebus tertio, septimo, et trigesimo ; et in die Anniversario ab Obitu, seu Depositione, etiam in Anniversariis late sumptis*, in Missis solemnibus et cantatis, quæ hisce diebus, pro defunctis, quorum interest, privilegiatæ sunt, unica dicitur Oratio.

Imo, si ritus Officii his diebus occurrentis permittat Missas de *Requiem* lectas celebrare, in Missis lectis pro defuncto, vel defunctis his diebus celebratis, etiam unica dicitur Oratio.

Exemplum : Si quis fidelis petit a Sacerdote celebrari Missam lectam de *Requiem*, tali determinato die qui Anniversarius est ab Obitu, seu Depositione alicujus defuncti, et si tali die permittitur celebrare Missas lectas de *Requiem*, Sacerdos in hac Missa de *Requiem*, quæ Anniversarii est, unicam dicet pro defuncto Orationem.

4° *Quandocumque pro defunctis Missa solemniter celebratur*, nempe sub ritu qui duplici respondet ; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu, in Missa de *Requiem* solemni, vel cantata, quæ eo die pro defuncto hoc celebratur, vi privilegii novi, unica dicitur Oratio. (Cfr. QQ. 344, 345.)

Notandum hic est, to *solemniter* non intelligi de solemnitate extrinseca quacum Missa celebratur, sed de qualitate intrinseca Missæ, qua Missa hujusmodi censetur esse quasi ritus duplicis (cfr. Q. 312). Attamen in casu, scilicet accepti nuntii de alicujus obitu, requiritur, sed aliunde, quod Missa pro defuncto celebrata, ut de *Requiem* liceat ipsam celebrare, sit solemnis vel cantata.

5° *In Missis quotidianis Defunctorum*, quæ scilicet celebrantur extra dies supra sub 1°, 2°, 3° et 4° recensitos, *si sunt solemnes*, seu cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, *aut cantatæ*, tres dici debent Orationes, et non possunt plures quam tres dici.

Notari hic potest, quod disciplina pro hoc quinto casu fuit mutata ; ante Decretum 30 Junii 1896, to *solemniter* in Rubrica Missalis (Tit. V, n. 3) ita fuit intellectum, quod in omni Missa solemni de *Requiem*, scilicet cum assistentia Diaconi et Subdiaconi celebra-

ta, quocumque die, etiam extra dies pro Defunctis privilegiatos, unica tantum esset dicenda Oratio ; idemque, ex variis S. Rituum Congregationis Decretis, docebant plures auctores de omni Missa de *Requiem* cantata. In præsenti vero, Decretum supra citatum, et Rubrica Missalis (Tit. V, n. 3) reformata, non amplius permittunt illud verbum *solemniter* eo modo interpretari, et regula supra data tenenda est.

6° *In Missis quotidianis Defunctorum, si sunt lectæ,* debent tres Orationes dici ; sed potest Celebrans, si placuerit, plures dicere : si autem plures quam tres vult dicere, duo observanda sunt : — servabit nempe numerum imparem cum aliis præscriptis Orationibus, id est, dicet tunc Orationes numero quinque, vel septem ; — insuper Orationi pro omnibus Defunctis, nempe *Fidelium*, quæ in casu trium Orationum tertia erat, ut sequenti Quæstione dicetur, assignabit postremum locum, id est, Orationem *Fidelium* in casu dicet quinto, vel septimo loco, ita ut postrema omnium Orationum sit.

Q. 325. *Quæ dicuntur Orationes in diversis Missis de* Requiem, *in casibus qui proponuntur Quæstione præcedenti ?*

R. 1° *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum,* in qua dici debet Missa prima ex quatuor diversis Missis de *Requiem* (cfr. Q. 313), dicenda est Oratio hujus Missæ, nempe *Fidelium* (cfr. Q. 321, A, 1).

2° *In die Obitus, seu Depositionis defuncti,* item quando Missa celebratur *pro die Obitus, seu Depositionis defuncti,* distinguendum est :

a) Si Missa celebratur pro Summo Pontifice, pro Cardinali, pro Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem* (cfr. Q. 313, I, *b, c*), sumitur Oratio quæ dignitati respondet defuncti, ex diversis Orationibus quæ assignantur post Missas de *Requiem* (cfr. Q. 321, B, 1 ad 4).

b) Si Missa celebratur pro Clerico qui Sacerdos non est, et pro laico, in quo casu dicitur Missa secunda de *Requiem* (cfr. Q. 313, II), sumitur Oratio ex ista secunda Missa : *Deus, cui proprium etc.* (cfr. Q. 321, A, 2).

3° *In diebus tertio, septimo, et trigesimo,* distinguendum est ut supra (2°) :

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2°, a).

b) Pro Clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa secunda de *Requiem*, sumitur Oratio quæ in Missali post secundam Missam describitur : *Quæsumus Domine, etc.* (cfr. Q. 321, A, 3).

In die Anniversario ab Obitu, seu Depositione, etiam in Anniversariis late sumptis, iterum distinguendum est ut supra :

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2°, a).

b) Pro Clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa tertia de *Requiem* (cfr. Q. 313, III), sumitur Oratio ex hac tertia Missa : *Deus, indulgentiarum Domine, etc.* (cfr. Q. 321, A, 4), cum variationibus indicatis pro numero et genere.

4° *Quando pro defuncto solemniter celebratur post acceptum nuntium de ejus obitu*, iterum distinguitur :

a) Pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo, aut pro Sacerdote, in quibus casibus dicitur Missa prima de *Requiem*, sumitur Oratio quæ dignitati respondet Defuncti, ut supra (2°, a).

b) Pro clerico non Sacerdote, et pro laico, in quo casu dicitur Missa secunda de *Requiem*, ut in die Obitus seu Depositionis (cfr. Q. 313, II, et Q. 346, 3°), sumitur Oratio ex ista secunda Missa : *Deus, cui proprium etc.* (cfr. Q. 321, A, 2) ; idque fit etiamsi Missa celebraretur post Defuncti sepulturam, aut in die qui ab Obitu seu Depositione tertius, vel septimus, vel trigesimus numeraretur.

Nota. Hac super re datur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « In Missa de Requie pro defuncto in loco dissito cum primo nuntius mortis accipitur, aliqui putant sumendam esse Orationem de die tertia, omisso verbo *tertium* (quæ tamen minime convenire videtur, quando accepto nuntio per telegraphum, Missa canitur ante ipsius defuncti depositionem), vel dicendo « cujus obitus diem commemoramus ».

Alii vero putant in casu esse semper dicendam Orationem de die obitus, omisso forte verbo « hodie », si depositio jam facta fuerit. Quænam ex his opinionibus est in praxi sequenda ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Recitanda Oratio prout est in Missali. » (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad IV.) — Sensus hujus Decreti declaratur in Indice generali sequentibus verbis : « In Missa de Requie pro Defuncto in loco dissito, cum primo nuntius mortis accipitur, Oratio recitari debet, prout est in Missali (in die obitus). » (Index generalis, pag. 297.)

5° *In Missis quotidianis Defunctorum, si sunt solemnes, aut cantatæ*, distinctio sequens facienda est :

a) Si Sacrificium offertur pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis *certo designatis* : tunc ex tribus Orationibus dicendis, prima Oratio erit dicenda pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis, ex diversis Orationibus quæ in Missali, post quartam Missam de *Requiem*, pro defunctis describuntur (cfr. Q. 321, B, 1 ad 12, et Q. 322), juxta qualitatem ejus, vel eorum aut earum, pro quo aut qua, vel quibus Sacrificium offertur et applicatur ; — secunda Oratio dicetur ea quam ad suum libitum elegerit Celebrans, ex. gr., pro patre et matre, etc.; — tertia Oratio dicenda est pro omnibus Fidelibus Defunctis, nempe *Fidelium etc.*

b) Si Sacrificium offertur pro defunctis *in genere*, pro defunctis *non certo designatis*, quorum numerus, qualitas et nomina ignota sunt, vel ad intentionem dantis (cfr. Q. 322, 6 et 7), tunc tres Orationes dici debent illæ quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptæ ; sumuntur ergo Orationes : prima, pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus : *Deus, qui inter apostolicos sacerdotes etc.* ; — secunda, pro defunctis fratribus, propinquis, et benefactoribus : *Deus, veniæ largitor, etc.* ; — tertia, pro omnibus Fidelibus defunctis : *Fidelium etc.* (cfr. Q. 321, A, 5, 6, 7).

Nota quod in hoc casu b) secunda Oratio non potest, ut supra in casu a) sumi ea quam ad libitum suum elegerit Celebrans ; textus enim Decreti 30 Junii 1896 (cfr. Q. 323, III) non permittit ut secunda Oratio sumatur ad libitum, cum præscribat Orationes in casu esse dicendas quæ in Missali prostant, eodemque or-

dine quo sunt inscriptæ. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 214-216.)

6° *In Missis quotidianis Defunctorum, si sunt lectæ,* Orationes tres dicendæ sunt, ut supra, sub 5°, pro Missis solemnibus aut cantatis præscribitur, tum in casu a), tum in casu b).

Sed, si placuerit Celebranti in his Missis lectis dicere plures quam tres Orationes, dicet primo et secundo loco Orationes, ut supra præscribuntur tum in casu a), tum in casu b) ; deinde, seposita tertia Oratione pro omnibus Fidelibus defunctis, nempe *Fidelium,* dicet tertio et quarto loco Orationes ad suum libitum, ex diversis quæ pro Defunctis describuntur in Missali post Missas de *Requiem* (cfr. Q. 321, B, 1 ad 12), servato pro Orationibus ad libitum ordine Missalis ; et si placuerit septem Orationes dicere, dicet etiam quinto et sexto loco Orationes ex iisdem diversis ; tandemque postremo loco, quinto scilicet, vel septimo, reponet Orationem *Fidelium,*pro omnibus Fidelibus defunctis, quæ alias tertio loco fuisset dicta : huic enim, semper et in omni casu, quando plures Orationes dicuntur in Missis de *Requiem,* ultimus locus est assignandus.

Nota. Si in Missis de *Requiem* præscriberetur Oratio imperata, pro Defuncto, vel Defunctis, hæc non potest dici in iis Missis in quibus una tantum permittitur Oratio (cfr. Q. 324, 1 ad 4) ; in iis autem Missis, in quibus tres Orationes debent dici (cfr. ibid. 5 et 6), Celebrans dicet hanc Orationem imperatam tertio loco, deinde reponet quarto loco Orationem pro omnibus Fidelibus defunctis : *Fidelium* ; et in tali casu non debet servari impar numerus pro Orationibus in his Missis præscriptus (cfr. QQ. 323, IV, et 324, 6) ; si vero, in quotidianis Missis Defunctorum lectis, placuerit Celebranti plures Orationes addere (cfr. Q. 324, 6), tunc dicet tertio loco Orationem imperatam, et post hanc Orationes ad suum libitum, assignato Orationi *Fidelium* postremo loco, et servato numero Orationum impari. (Cfr. QQ. 104, et 131, II.)

§ 4. De Sequentia « Dies iræ »

De auctore hujus Sequentiæ dictum fuit Q. 139, V.

Q. 326. *Da regulas pro recitatione, vel omissione Sequentiæ* **Dies iræ**, *in diversis Missis de* **Requiem**.

R. Per Decretum 30 Junii 1896 (n. 3920), S. Rituum Congregatio declaravit : « Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quæ diebus ut supra privilegiatis fiunt ; in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis juxta Rubricas. » Ad normam hujus Decreti concinnata fuit, per Decretum 11 Decembris 1897, Rubrica generalis Missalis, Titulo V, n° 5.

Itaque regulæ pro recitatione, vel omissione Sequentiæ *Dies iræ*, possunt sequenti modo proponi :

1° In quibusvis Missis de *Requiem* solemniter, id est, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, aut in cantu celebratis, tum quando in ipsis unica dicitur Oratio, tum etiam quando in eis tres Orationes debent dici, semper dicenda est Sequentia *Dies iræ*.

2° Pro Missis lectis de *Requiem* distinguendum est :

a) Quando celebrantur Missæ lectæ in iis diebus, qui pro Defunctis privilegiati sunt ; nempe : in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum ; in die, et pro die Obitus seu Depositionis ; in diebus tertio, septimo, et trigesimo ; in die Anniversario, etiam late sumpto ; verbo, quando in hujusmodi Missis lectis unica dicitur Oratio (cfr. Q. 324, nn. 1, 2, 3) ; tunc in Missis lectis de *Requiem* semper recitari debet Sequentia *Dies iræ*.

b) In Missis de *Requiem* quotidianis lectis, in quibus dicendæ sunt tres Orationes (cfr. Q. 324, n. 6), Sequentia *Dies iræ* recitari vel omitti potest, ad arbitrium Sacerdotis celebrantis. — An ideo propositum semper in casu eam omittendi quasi regula convenit ? Sacerdos propriæ ædificationi et animarum refrigerio intentus, non quasi fixum statutumque habebit semper Sequentiam omittere, sed sæpius quidem eam recitare optimo animo deliberatum tenebit.

De cantu Sequentiæ in Missis solemnibus aut cantatis, confer quæ dicta fuerunt Q. 318.

ARTICULUS II

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM

Q. 327. *Pauca refer de introductione ritus, quo præstituto die 2 Novembris Commemoratio agitur, per Officium et Missam, Omnium Fidelium Defunctorum.*

R. I. Quidam auctores putant Amalarium Metensem († circa 857) intendisse Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, ubi dicit : « Sicut Sanctorum anniversaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra, ita defunctorum ad utilitatem illorum et nostram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. (*De ecclesiasticis Officiis*, Lib. IV, Cap. 44.) Et alibi : « Post officium Sanctorum officium pro mortuis. » (*De Ordine Antiphonarii*, Cap. 65.)

II. Quidquid sit de Amalarii intentione, certum est, tantum post sæculum et amplius, Commemorationem universalem Defunctorum, celebrata pridie Commemoratione Omnium Sanctorum, fuisse institutam a Sancto Odilone, Abbate Cluniacensi († 1049), pro omnibus monasteriis Cluniacensibus ; ipse enim decrevit : « ut sicut in ecclesiis Dei, quæ per orbem terrarum longe lateque constructæ sunt, in die Kalendarium Novembrium agitur festivitas omnium Sanctorum, ita apud nos agatur festivo more Commemoratio omnium fidelium defunctorum, qui ab initio mundi fuerunt usque in finem. » (Mabillon, *Acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti*.) — Apud Cluniacenses prima vice celebrata fuit hæc Commemoratio anno 998.

III. Inter primos qui S. Odilonis exemplum sunt secuti, notatur Notgerus, Episcopus Leodiensis († 1007) ; et quoniam tunc temporis Mechliniæ Dominium numerabatur inter possessiones Ecclesiæ Leodiensis, æstimare licet, jam a primæva institutione in Civitate

Mechliniensi fuisse celebratam Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem.

IV. Hunc vero ritum Summi Pontifices non tantum approbaverunt, sed etiam ad universam propagarunt Ecclesiam, ut notat Martyrologium Romanum, in elogio S. Odilonis, ad Kalendas Januarii.

Q. 328. *Quid notandum est pro celebratione Missarum in hac Commemoratione ?*

R. Omnes Missæ, præter unam conventualem in Cathedralibus et Collegiatis, celebrari debent de *Requiem*, etiamsi Officium fieret de Festo duplici ; et dicitur Missa prima de quatuor assignatis.

Hæc tamen Missa applicari potest ad libitum Sacerdotis, vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquibus aut aliquo tantum, ut respondit S. Rituum Congregatio, per Decretum 4 Augusti 1663 (n. 1275, antiq. 2241, n. 9) ; in omni casu tamen dicenda est unica Oratio *Fidelium*.

Missa cujuscumque Sacerdotis hoc die gaudet eodem privilegio, ac si esset in Altari privilegiato celebrata, ex Decreto Clementis XIII, diei 19 Maji 1761.

Nota. Per Litteras in forma Brevis, 21 Augusti 1746, Benedictus XIV omnibus et singulis, in Hispaniarum et Portugalliæ regnis et dominiis actu commorantibus Sacerdotibus facultatem, perpetuo futuris temporibus duraturam concessit, ut in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missas singuli celebrare possint et valeant ; ad finem ut multiplicatis in hoc die Ecclesiæ militantis suffragiis, piorum animæ in purgatorio detentæ subleventur ; et sub conditione, ut pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere fiat applicatio secundæ et tertiæ Missæ, et pro his duabus Missis nullum prorsus stipendium quocumque prætextu aut colore accipi valeat.

In aliis locis tale privilegium non exstat ; et illicitum est, non obstante quacumque consuetudine, ut hoc die ab uno Sacerdote tres Missæ celebrentur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Januarii 1676, n. 1554, antiq. 2762.)

Sæpe postulatum fuit, ut hujusmodi facultas ad alia regna protenderetur ; sed ejus extensio hucusque concessa nondum fuit. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. IV, nn. 9, 10, 11 ; et ejusdem Litteræ Apostolicæ, 21 Augusti 1746, *Quod expensis*, apud Mühlbauer, Decreta S. Rituum Congregationis, Tom. II, pag. 102.

Q. 329. *Quid de speciali gratia indultum fuit pro quibus-*

dam Missis de **Requiem**, *infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum celebrandis ?*

R. In plerisque Ecclesiis parochialibus, per octo dies continuos inde a die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, varia pro animarum requie pia exercitia locum habent. Hucusque, absque Indulto speciali, licitum non erat infra hoc octiduum Missas de *Requiem* celebrare, nisi in diebus quibus Rubricæ Missas privatas, seu quotidianas de *Requiem* permittunt. De speciali vero gratia, nuper permisit S. Rituum Congregatio, « ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint Anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis, semel in anno fieri solent ; necnon illa, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus privilegiatis. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3753, ad V.)

Reputantur hujusmodi Missæ, infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, tamquam Anniversaria late sumpta (de quibus postea dicetur in Articulo V) ; et celebrantur sub ritu qui duplici respondet, ergo cum unica Oratione (cfr. Q. 324, 3°) ; debent esse solemnes, aut in cantu. Infra hanc Octavam igitur possunt quotidie celebrari, excepta Dominica, et exceptis Festis, si alicubi occurrerent, quæ duplicia majora, aut 1 vel 2 classis sunt. — Si autem alio tempore extra Octavam Defunctorum celebrantur, prohibentur hujusmodi Anniversaria in Festis duplicibus 1 et 2 classis, ac majoribus et Festis de præcepto ; in Dominicis ; infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, et SS. Corporis Christi ; in Feriis privilegiatis, IV Cinerum, et Hebdomadæ Sanctæ ; in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes ; et tempore solemnis Expositionis SS. Sacramenti.

Q. 330. *Quid fit, si* 1° *dies 2 Novembris sit Dominica ; et* 2° *sequenti die alicubi celebretur, ritu duplici 1 classis, Festum S. Huberti tamquam Patroni principalis loci ; aut*

3° *hoc sequenti die Festum S. Huberti celebretur alicubi cum magno populi concursu ?*

R. Ad I. Cum pugnet admodum cum celebritate, lætitia ac mysteriis per Dominicam repræsentatis, celebratio Commemorationis Defunctorum, ideo casu quo 2 Novembris sit Dominica, Commemoratio Fidelium Defunctorum transferri debet in Feriam II sequentem, 3 Novembris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3864, ad 2.) In hac die 3 Novembris celebratur in nostra Diœcesi Festum duplex minus S. Huberti, Episcopi et Confessoris ; dicitur Officium de S. Huberto, Missæ vero celebrandæ sunt de *Requiem*.

Ad II. Casu quo ratione Dominicæ Commemoratio Defunctorum transferatur in 3 Novembris, si hac die celebratur alicubi Festum Patroni principalis loci, vel Titularis Ecclesiæ, nempe in locis in quibus S. Hubertus est Patronus, aut Titularis, cum eædem rationes, ob quas hæc Defunctorum Commemoratio facienda non est in Dominica, ferme militent occurrente hujusmodi Festo, Commemoratio Fidelium Defunctorum in his locis transferenda erit in Feriam III, 4 Novembris. (Decretum supra citatum.)

Ad III. Ubi Festum S. Huberti non quidem est patronale, sed celebratur cum magno populi concursu, cum non posset in sequentem diem hæc solemnitas transferri sine obloquio aliisve incommodis, licet, quando ratione Dominicæ Commemoratio Defunctorum transfertur in 3 Novembris, in qua celebratur Festum S. Huberti, cantare in illis Ecclesiis unam Missam de Festo S. Huberti, dummodo cantetur etiam altera Missa de *Requiem* pro Defunctis. Ita facere licet in nostra Diœcesi, juxta particulare Rescriptum S. Rituum Congregationis, 7 Septembris 1850, *Mechlinien.*

Nota. « Si autem in solemni hac Defunctorum Commemoratione Expositio SS. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur ; sed reliquæ sint pro Defunctis, ad Altare Expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3864, ad IV.) — In casu licet quidem Officium Defunctorum dicere, sed Absolutio post Missam debet

omitti. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 187, Appendix II in fine.)

Q. 331. *Quæ Missa cantatur, si hoc eodem die contingat occurrere diem Depositionis Defuncti, et præsente corpore Missam de* **Requiem** *pro Defuncto celebrari ?*

R. Per Decretum 20 Septembris 1687 (n. 1788, antiq. 3149), S. Rituum Congregatio resolvit, in hoc casu, ultra Missam de Commemoratione Fidelium Defunctorum, ubi hæc obligat (quæ obligatio solum Cathedrales et Collegiatas afficit Ecclesias, non alias quæ conventualium Missarum lege minime tenentur), cantandam esse, præsente corpore, Missam unicam ut in die Obitus seu Depositionis. Aliæ autem Missæ omnes, etiamsi pro Defuncto celebratæ, dicendæ sunt de Commemoratione Fidelium Defunctorum. (Cfr. etiam Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 5.)

Et ad dubium : « Quænam Missa de Requie sumenda est in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, quando in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum occurrit alicujus Defuncti dies depositionis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Missa erit ut in die obitus. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 354.)

ARTICULUS III

DE MISSA IN DIE OBITUS SEU DEPOSITIONIS

Q. 332. *Quid intelligitur per diem Obitus seu Depositionis ?*

R. Obitus dies ille proprie est quo quis vivere desinit. Depositio idem plane significat, si *deponere* accipiatur pro *demoliri* et *solo æquare* ; ita S. Petrus (II, Cap. I, ℣. 14) dicit : « Certus quod velox est depositio tabernaculi mei. » At, si *deponere* sumatur pro *credere, committere fidei et diligentiæ alterius*, ita ut dicatur *depositio* ipsa *cadaveris terræ traditio*, idem non est depositio quod obitus. — Ab Ecclesia tamen dies isti, mortis scilicet ac sepulturæ, in præsenti materia Missæ de *Requiem*, confunduntur et pro iisdem accipiuntur; unde

in Collecta orat Sacerdos pro anima « *quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti* », licet Missam celebret in die sepulturæ jamque præterito die obitus ; hoc autem, non quia non sunt in casu diversi hi dies, sed quia moraliter censentur idem dies. — Insuper, distinctiva superscriptio hujus secundæ Missæ « *in die Obitus seu Depositionis* » includit non tantum diem quo defunctus obiit, et diem quo corpus cum consuetis precibus terræ mandatur, sed etiam dies intermedios ; adeo ut totum spatium quod mortem inter et sepulturam intercedit, reputetur in favorem Defuncti tamquam unus dies. Hinc tamen non est inferendum, singulis diebus in hoc tempore inclusis iterari privilegia pro defuncto in obitu seu depositione concessa : semel enim tantum, seu in uno solum ex præfatis diebus, privilegia concessa sunt.

Porro Missa de *Requiem* quæ hoc temporis spatio pro defuncto celebratur, et cujus regulæ hic jam sunt tradendæ, vocatur **Exsequialis** ; estque secunda ex quatuor de Missis de *Requiem*, cum Oratione propria, sicut notatum fuit Q. 325.

Exsequiæ, quæ in Liturgia etiam vocantur **Agendæ Defunctorum**, vel **Funus**, exprimunt non tantum Missam, sed et omnia quæ aguntur præter Missam occasione Depositionis, quæ sunt : Processio ad deferendum corpus ad Ecclesiam, Officium, Absolutio, Sepultura. De his agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum.

§ 1. De Missa exsequiali, præsente corpore defuncti

Q. 333. *Quodnam est Ecclesiæ votum de celebranda Missa præsente corpore defuncti ?*

R. Ecclesia in votis maxime habet, ut **præsente Defuncti corpore**, Missa, et quidem Missa de *Requiem* pro Defuncto celebretur. Dicit enim Rituale Romanum : « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit retineatur, ut Missa, præsente corpore Defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » (Tit. VI, Cap. I, n. 4.)

Ideo privilegia quam maxima concessa sunt pro Missa quæ, juxta expressum Ritualis Romani votum,

pro Defuncto celebratur, præsente ejus corpore ; et paucæ tantum obstare valent causæ, quominus Missa hujusmodi de *Requiem* celebretur.

Q. 334. *Indica generatim quænam obstare possint, quominus præsente cadavere, Missa exsequialis de* Requiem *celebretur.*

R. Rituale dicit : « Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis præsente corpore celebrari poterit ; dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet. » (Tit. VI, Cap. 1, n. 5.) Unde obstare possunt :

1° Magna diei celebritas, de qua speciatim dicetur in Quæstione sequenti ;

2° Missa Conventualis (cfr. Q. 9), ubi obligat ;

3° Missa Parochialis (cfr. QQ. 10, 11) ; ita ut in Ecclesiis Parochialibus, in quibus una tantum Missa celebratur, in diebus Dominicis, et Festivis, etiam pro foro abrogatis, quibus Parocho onus Missæ pro populo celebrandæ incumbit, Missa Parochialis celebrari, et Missa exsequialis ad diem proximum non impeditum transferri debeat, nisi alius Sacerdos ad cantandam Missam de *Requiem* vocari possit ;

4° Officia divina ; ex. gr., in diebus S. Marci, et Rogationum, ac in Vigilia Pentecostes : si in Parochia, in qua præter Parochum nullus est alius Sacerdos, facienda sit sepultura quæ anticipari vel differri non possit, non potest omitti functio diei, neque potest Missa hujus functionis pro sepultura celebrari, sed facienda est sepultura sine Missa defunctorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Julii 1869, n. 3208, antiq. 5439.

Q. 335. *Indica dies in quibus Missa exsequialis, præsente corpore, prohibetur ob magnam eorum celebritatem.*

R. Generalem Ritualis notam magnæ dierum celebritatis, plurimis Decretis S. Rituum Congregatio optime determinavit, ita ut sequentes indicari possint hujusmodi dies, in quibus non permittitur Missam exsequialem, præsente Defuncti corpore, de *Requiem* celebrare :

1° Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ, scilicet, Feria V in Cœna Domini, Feria VI in Parasceve, et Sabbatum sanctum.

2° Festa duplicia 1 classis quæ in nostra Diœcesi festivantur, seu quæ sunt de præcepto pro populo ; scilicet Festa : Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, Ascensionis Domini, Assumptionis B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum.

3° Festa duplicia 1 classis sequentia, etiamsi in nostra Diœcesi non sint de præcepto : Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, Annuntiationis B. Mariæ V., Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, et Titularis cujusque Ecclesiæ.

Nota. Ad postulatum ut S. Rituum Congregatio decernere velit, quod Missa exsequialis, præsente cadavere, cani possit etiam in hujusmodi Festis, quando incidunt in dies infra hebdomadas et celebrantur sine concursu populi, S. Congregatio rescripsit : « Non expedire. » (Decret. 16 Novembris 1898, n. 4003, Q. I, ad 3.)

4° Dominicæ in quibus transferuntur Solemnitates quatuor sequentium Festorum, quæ etiam sunt duplicia 1 classis, scilicet : Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Patroni principalis cujusque loci. (De hac translata in Dominicam Solemnitate dictum fuit QQ. 268, 269.)

Nota. Non semel declaravit S. Rituum Congregatio, prohiberi Missam exsequialem de *Requiem*, præsente corpore Defuncti, in his ipsis quatuor Festis, necnon in Dominicis, in quibus transfertur eorum Solemnitas. Sed per recentiora Decreta, ipsa Congregatio disciplinam hac super re mutavit ; rescripsit enim prohibitionem celebrandi Missam de *Requiem* exsequialem, præsente corpore, non subsistere, die quo celebratur Officium Festi cujus Solemnitas transfertur. Itaque anteriora Decreta sua vi destituuntur, et remanet tantum prohibitio hujusmodi Missæ exsequialis de *Requiem*, præsente corpore, in Dominicis, in quibus transfertur horum quatuor Festorum Solemnitas. (Cfr. Decreta 6 Martii 1896, n. 3890, ad I, 1 ; et 16 Novembris 1898, ad I, 1.)

5° Dies quibus in aliqua Ecclesia expositum est SS. Sacramentum solemniter, seu ob publicam causam ; exempli gratia, Adorationis perpetuæ, Orationis XL Horarum ; sed Missa exsequialis de *Requiem* prohibetur tempore Expositionis tantum.

Nota. 1° Ex indicatione dierum, Quæstionibus 334 et 335 proposita, patet, paucos esse per annum dies, in quibus, præsente Defuncti corpore, Missa de *Requiem* non possit celebrari; et revera Ecclesiam in votis maxime habere, ut quantum fieri potest, hæc Missa dicatur. Quod ut manifeste constet, indicantur sequentes per annum dies, alias maxime ob dignitatem vel necessitatem privilegiati, in quibus tamen, præsente corpore, Missa de *Requiem* exsequialis celebrari potest:

Dominicæ omnes, etiam majores, imo sequentes 1 classis: I Adventus, I Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, et SS. Trinitatis. Excipe casum Missæ Parochialis, Quæstione 334 sub 3° exceptum.

Feriæ privilegiatæ, nempe IV Cinerum, et II, III, ac IV Majoris Hebdomadæ.

Vigiliæ majores Nativitatis Domini, et Epiphaniæ; insuper Vigilia Pentecostes, sed cum exceptione Quæstione 334 sub 4° posita.

Octavæ omnes, etiam privilegiatæ.

Festa duplicia 2 classis omnia; imo sequentia Duplicia 1 classis: Feriæ II et III Paschatis; Feriæ II et III Pentecostes; Festum SS. Cordis D. N. J. C.; Festum Patrocinii S. Joseph (in Diœcesi Mechliniensi duplex 1 classis); Festum Diœcesis proprium S. Rumoldi (etiam in civitate Mechliniensi, et iis pagis quorum est præcipuus Patronus).

2° Etiamsi in Dominicis per se licita sit Missa de *Requiem* exsequialis, excepto casu Missæ Parochialis, ut supra Quæstione 334 sub 3° dictum fuit, tamen quantum fieri potest, vitare oportet exsequias solemnes his diebus, præsertim si iis impedirentur conciones, instructiones catechisticæ, aliaque officia peragi solita, quæ non possunt sine detrimento omitti.

§ 2. De Missa exsequiali, corpore defuncti non præsente

Q. 336. *Indica causas quasdam, ob quas admittitur celebrare Missam exsequialem de* **Requiem** *privilegiatam, etiamsi corpus Defuncti non sit præsens.*

R. Ex præcedentibus responsis abunde patet, votum Ecclesiæ esse, ut, præsente corpore Defuncti, Missa exsequialis de *Requiem* pro ipso celebretur; et, si quam maxime privilegiata est hæc Missa de *Requiem*, adeo ut paucissimi tantum sint per annum dies in quibus ipsam celebrare non licet, id ea conditione concessum, quod corpus Defuncti sit præsens in Ecclesia, dum Missa pro ipso celebratur.

Ast occurrere possunt causæ, et circumstantiæ, in quibus hæc corporis Defuncti delatio ad Ecclesiam, aut

saltem præsentia in Ecclesia quo tempore Missa exsequialis celebratur, jam fit impossibilis.

Causæ hujusmodi recenseri possunt sequentes :

1° In quibusdam regionibus exstat civile vetitum, seu interdictum civilis potestatis, ne defunctorum corpora ad Ecclesiam deferantur. (Apud nos tale vetitum non exstat, et plena libertas datur.)

2° Aliquando ob grassantem morbum contagiosum, ex prudentia ne vulgetur, statuitur defunctorum corpora non posse ad Ecclesiam deferri.

3° Ex variis diebus, qui in responso ad Quæstionem 335 enumerantur, prohibentibus Missam exsequialem de *Requiem* præsente corpore, quidam sunt qui plures sibi succedunt ; per quos dies potest quidem Defuncti corpus deferri ad Ecclesiam, potestque super eo ritus Absolutionis et sepulturæ perfici sub quibusdam conditionibus, sed absque Missa exsequiali ; tales sunt, ex. gr., Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ cum Festo Paschatis ; Oratio XL Horarum, seu solemnis SS. Sacramenti per tres continuos dies non interrupta Expositio ; potest enim aliquis mori vel Feria III aut IV in Majori Hebdomada, aut pridie solemnis Expositionis, et Defuncti corpus non potest remanere inhumatum, usque dum omnes hujusmodi dies præterierint ; est itaque hæc tertia causa celebritas dierum.

Pia Mater Ecclesia, sollicita de auxilio defunctis præstando per ipsam Missam exsequialem de *Requiem*, in talibus circumstantiis, et occurrentibus talibus causis, benigne quod potest indulget, ut eodem tempore quidem, aut quamprimum, absente Defuncti corpore, præstari valeat, quod ex hisce causis fieri præsente corpore non licuit ; ut ex sequentibus patebit.

Q. 337. *Quid statutum fuit pro Missa exsequiali de* **Requiem**, *quando corpus Defuncti non potest deferri ad Ecclesiam, ratione vetiti civilis, vel morbi contagiosi ?*

R. Ad dubium : « Quibusnam diebus permittitur Missa de *Requiem* insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum vel ob morbum contagiosum ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum

insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ad obitu, censeri potest ac si foret physice præsens, ita ut Missa exsequialis in casu cantari licite valeat quoties præsente cadavere permittitur. » (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 26.) Ita rescripsit S. Congregatio juxta Decretum generale super Missa exsequiali pro die obitus, quo decrevit : « Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, cadaver in Ecclesia præsens esse nequeat, imo etsi jam terræ mandatum fuerit, præfata Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset præsens. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3755, ad II, publicatum tantum anno 1900.)

Maximum jam est privilegium in his duobus casibus absentiæ cadaveris, nempe vetiti civilis aut morbi contagiosi, concessum ; censetur enim « moraliter præsens » in Ecclesia cadaver. (Decret. 12 Januarii 1897, n. 3944, ad 3.) — Potest itaque licite celebrari Missa exsequialis de *Requiem*, æque ac si præsens esset in Ecclesia Defuncti corpus, iisdemque diebus, eodemque omnino modo ; idque vel si insepultum adhuc est cadaver, vel si jam fuit sepultum ; imo (modo recte intelligatur Decretorum sensus, super quo vide infra Notam I), si cadaver jam fuit sepultum, perdurat nihilominus hoc privilegium per duos dies immediate sequentes post factam sepulturam, sed non ultra ; datur in casu quasi quædam extensio temporis privilegiati in favorem Defuncti.

Exemplum : Moritur aliquis fidelis ex morbo contagioso, et prudentiæ causa non licet Defuncti corpus deferre ad Ecclesiam ; sed corpus defertur statim ad cœmeterium, ubi qua decet religione servatur in loco decenti per aliquod tempus insepultum ; fieri tunc potest in Ecclesia funus cum Missa exsequiali de *Requiem*, omnino et cum iisdem privilegiis, iisdemque diebus, ac si præsens esset in Ecclesia. Idque fieri potest, sive in uno die ex intermediis a morte usque ad sepulturam ; sive in ipso die sepulturæ ; imo sive in uno ex duobus diebus post factam sepulturam immediate sequentibus.

Missa exsequialis de *Requiem* in hoc casu assimilatur Missæ celebratæ in conditionibus ordinariis præsentiæ

cadaveris, et in Decretis dicitur celebrata *pro die Obitus*, sicuti hæc dicitur celebrata *in die Obitus*.

Nota. I. Plures interpretes intelligunt « biduum ab obitu » tamquam biduum a depositione seu sepultura ; juxta quod dicit Rubrica Missalis reformata (Tit. V, n. 2) : « insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere », quibus verbis ægre alius sensus tribui posse videtur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 279, 547, 678 ; et Collationes Brugenses, VI, 1901, pag. 667.)

Attamen non desunt interpretes qui « biduum ab obitu » stricte intelligunt a morte, ita ut cadaver censeri possit moraliter præsens intra et non ultra biduum a mortis die ; et sicut generaliter funus alicujus defuncti instituitur, præsente ejus cadavere in Ecclesia, in biduo ab ejus morte seu decessu, similiter eodem temporis, nempe bidui spatio funus institui potest pro defuncto cujus cadaver ad Ecclesiam deferri nequit, et quod jam censebitur moraliter præsens. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 675.)

In responso ad Quæstionem præsentem supra dato suppositus fuit uti verus sensus bidui a sepultura, qui sensus communiter intelligitur in Urbe, ubi secundum talem intelligentiam dirigitur praxis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 678.) Idem et non alius sensus pluries expositus fuit in dissertationibus Academiæ Liturgicæ Romanæ. (Ibidem, pag. 279, 547.)

Quod si S. Rituum Congregatio intendat biduum a morte, et non a sepultura, expungenda est, tam in responso quam in exemplo, extensio privilegii usque ad duos dies post factam sepulturam.

Nota. II. Celebratur hæc Missa exsequialis de *Requiem*, cum Absolutione, et omnibus precibus, quæ in die Depositionis, corpore præsente, fieri et recitari solent. — S. Rituum Congregatio, in Decreto 22 Martii 1862 (n. 3112, antiq. n. 5320, ad 1), in quo agitur de casu absentiæ corporis ob vetitum civile, notat apponendum in casu esse in Ecclesia lodicis, seu panni nigri signum, ab eo diversum quod in Anniversariis adhibetur ; ut fideles intelligant, Missam in casu offerri in expiationem animæ illius Defuncti, cujus corpus

traditum terræ adhuc non fuit, et Ecclesiæ precibus etiam proprias adjungant.

Nota. III. Quam alieni sint a mente Ecclesiæ jam patet, qui, piissimo et antiquissimo instituto relicto, ultimoque hoc fortissimo Sacrificii Missæ subsidio animas privantes, intendunt sepulturas differre ad tempus pomeridianum, more acatholicorum : in quibusdam civitatibus enim invalescit praxis deducendi corpus ad Ecclesiam tempore pomeridiano, et facta Absolutione, deferendi ad cœmeterium. Qui hanc praxim fovent laici, plerumque hostili erga Ecclesiam et clerum mente ducuntur. Parochorum est, summo niti studio, ut antiquissima instituta serventur atque retineantur. Quod si in casu postea petitur ut celebretur pro Defuncto Missa, dubitandum videtur, an hæc possit esse privilegiata ; nam dicendum est privilegia de quibus quæstio, concessa esse ob causas graves, et rationabiles, qualis non est ea quæ ponitur ex affectu qui inhonestus est.

Q. 338. *Quid conceditur pro casu quo corpus sepelitur absque Missa exsequiali de* **Requiem**, *eo quod sepultura fiat in die qui hanc Missam præsente corpore prohibet ?*

R. I. In hoc casu, nempe celebritatis dierum, conceditur quod, sepulto jam ob hanc causam absque Missa exsequiali corpore, eadem Missa exsequialis de *Requiem* eodem omnino modo, sine variatione, sicut in die Depositionis potest celebrari **in primo die sequenti qui non est impeditus.** Potest itaque fieri in casu aliqua translatio Missæ exsequialis de *Requiem.*

Privilegium hujusce Missæ aliquantum magis restrictum est in hoc casu quam in præcedenti, in quo dies Depositionis potest produci, extendi usque ad biduum post sepulturam ; nam plures jam sunt **dies impediti,** qui non admittunt Missam exsequialem **translatam.**

Etenim, eam Missam exsequialem de *Requiem* translatam non admittunt :

1° omnes Dominicæ per annum ;

2° omnia Festa duplicia, tum 1 tum 2 classis, et Festa de præcepto.

Nota. I. Hæc sunt verba Decreti S. Rituum Con-

gregationis : « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum, vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat, non impedita a Festo duplici primæ et secundæ classis, vel a Festo de præcepto : quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus. » (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3755, ad III.)

Nota. II. Bene notandum est, privilegium translationis Missæ exsequialis de *Requiem* concedi tantum pro primo die sequenti non impedito, et non ultra; nam si hoc primo die sequenti funus non celebratur, quacumque ex causa, cessat omne privilegium translationis, et ultra Missa de *Requiem* non amplius potest celebrari, nisi in conditionibus Missæ quotidianæ de *Requiem*, aut Missæ ex alio titulo privilegiatæ.

Nota. III. Verba Decreti : « pro prima tantum vice » significant : quando nulla Missa exsequialis celebrata fuit ; et addita fuerunt ad præcavendam iterationem, ne scilicet quis autumet, facta sepultura cum Missa exsequiali, iterum posse aliam cum privilegio celebrari Missam primo die sequenti non impedito.

Nota. IV. Dicitur quod in casu præsenti translatam Missam de *Requiem* exsequialem non admittunt Festa « de præcepto ». Quæ sint hæc Festa dictum fuit Q. 11; omnia Festa de præcepto jam continentur in denominatione Festorum duplicium 1 vel 2 classis, unico excepto, nempe Festo S. Silvestri, 31 Decembris, quod ritus duplicis minoris tantum est.

Permittitur ergo in casu præsenti, sepulto jam corpore, Missa exsequialis de *Requiem*, ut in die Obitus, seu Depositionis :

1° in omnibus Festis duplicibus majoribus et minoribus (excepto Festo duplici minori S. Silvestri, Episcopi et Confessoris, 31 Decembris, de quo dicitur supra in Nota IV) ;

2° in Feriis privilegiatis, nempe IV Cinerum, et II, III, ac IV Majoris Hebdomadæ ;

3° in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ ; et insuper in Vigilia Pentecostes, sed cum exceptione in Quæstione 334 sub 4° posita ;

4° infra Octavas omnes, etiam privilegiatas.

Exempla : 1. Supponitur quod Cajus, defunctus Feria IV Majoris Hebdomadæ, sepeliatur Feria VI in Parasceve, quo die prohibetur Missa exsequialis de *Requiem ;* primus dies sequens in quo poterit, sepulto Caji corpore, celebrari Missa exsequialis

de *Requiem*, omnino eodem modo, et cum Orationibus ut in die Depositionis, est Feria IV infra Octavam privilegiatam Paschatis.

2. Supponitur quod Defunctus aliquis sepeliatur Dominica in Quinquagesima, in qua Missa exsequialis de *Requiem* non potuit celebrari, ratione solemnis Expositionis SS. Sacramenti non interruptæ per tres continuos dies, quorum ultimus est sequens Feria III; primus dies sequens in quo potest, sepulto corpore, Missa exsequialis de *Requiem* celebrari ut in die Depositionis, est Feria IV Cinerum.

Quod si in utroque casu, in isto primo die post impedimentum pro Missa exsequiali præsente corpore existens, Missa exsequialis de *Requiem*, corpore jam sepulto, non celebretur, cessat omne privilegium; Missa de *Requiem* non poterit celebrari nisi in aliquo die quo ejus celebratio permittitur aliunde, seu ex alio titulo. Et celebratio hujusmodi non omnino fieri poterit ut in die Obitus, seu Depositionis: nam Oratio propria pro exsequiis, uti reperitur in secunda ex quatuor Missis de *Requiem*, debet omitti, ut dicatur vel Oratio *Inclina*, pro uno Defuncto, vel Oratio *Quæsumus*, pro una Defuncta (cfr. Q. 321); nisi forsan esset dies tertius, aut septimus, aut trigesimus post Depositionem, quia tunc diceretur Oratio his diebus propria.

II. Per Decretum S. Rituum Congregationis, 2 Decembris 1891 (n. 3755, ad II), conceditur privilegium celebrationis Missæ exsequialis, absente cadavere, in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset præsens, non solum ex duabus causis civilis vetiti, aut morbi contagiosi, de quibus dictum fuit in Quæstione 337, sed etiam ex «alia gravi causa.» (Cfr. textus Decreti ad Q. 337.)

Quænam sit gravis causa præter duas allatas non ita clare patet; sed quidam Decreti interpretes censent inter causas graves haberi posse impedimentum Liturgicum celebritatis dierum, de quo in præsenti Quæstione agitur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 166; et Collationes Brugenses, VI, 1901, pag. 668, 669.)

Unde concludunt quod, si causa celebritatis dierum cadaver non potuerit cum Missa exsequiali sepeliri, etiam si jam terræ mandatum fuerit, Missam exsequialem absente cadavere celebrare licet in altero ex immediate sequentibus liberis diebus ab obitu seu depositione, eodem modo ac si cadaver esset præsens; ergo

etiam in illis Festis duplicibus 1 classis in quibus Missa exsequialis præsente cadavere permittitur.

Exemplum : Titius defunctus Feria V in Cœna Domini sepelitur Sabbato Sancto absque Missa exsequiali, quæ hoc die prohibetur : poterit Missa exsequialis de *Requiem* absente cadavere celebrari Feria II Paschatis, quæ in casu est intra biduum a sepultura.

Si jam ita se res habet, exprimere liceret votum ut provideatur sequenti anomaliæ : Cajus qui defunctus est Feria IV majoris Hebdomadæ, et non potuit sepeliri nisi Feria VI in Parasceve, absque Missa, debet exspectare usque ad Feriam IV Paschatis, quæ est primus dies non impeditus post sepulturam, pro Missa exsequiali de *Requiem* ; sed Titius, qui defunctus est Feria V in Cœna Domini, et sepultus fuit Sabbato Sancto, poterit habere funus cum Missa exsequiali de *Requiem* in Feria II Pachatis. Vere primus defunctus Cajus fit novissimus, et Titius novissimus fit primus ; et nullum tamen distinctionis inter utrumque habetur motivum, nisi quod conveniat prius juvare Cajum qui prior, ratione temporis, juvamine indiget.

Autumare licet quod in casu familiares Caji non facile intelligerent aut admitterent præferentiam duorum dierum Titio datam.

§ 3. De solemnitate Missæ exsequialis

Q. 339. *Qualis debet esse Missa exsequialis, ut possit cum privilegiis celebrari ?*

R. Missa exsequialis de *Requiem*, ut possit cum privilegiis celebrari, debet esse solemnis, scilicet celebrata cum Ministris sacris Diacono et Subdiacono, thure et cantu ; vel saltem esse cantata. Missa autem exsequialis privata, seu lecta, de *Requiem* dici non potest, etiam corpore præsente, diebus quibus fit de Officio duplici, vel aliis qui excludunt Missas de *Requiem* quotidianas.

Q. 340. *Quænam exceptio ad hanc regulam de solemnitate Missæ exsequialis conceditur in favorem pauperum ?*

R. « Instantibus aliquibus Parochis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit : An pro paupere defuncto, cujus familia impar est solvendi expensas Missæ exsequialis cum cantu, hæc Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus præfata Missa cum cantu conceditur ? Et Sacra

Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibusque rite expensis, rescribendum censuit : Affirmative ; seu permitti posse, in casu, Missam exsequialem lectam, loco Missæ cum cantu ; dummodo in Dominicis, aliisque Festis de præcepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens. Die 9 Maji 1899. » Sanctitas Sua Rescriptum Sacræ ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 12 Junii, eodem anno. (Decret. n. 4024.)

Nota. I. Jam ante, per Decretum 22 Maji 1841 (antiq. n. 4921, ad 6, nunc expunctum), S. Rituum Congregatio pro Diœcesi Mechliniensi declaraverat, servari posse consuetudinem ibi existentem, ut in exsequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missæ cantatæ, Missa exsequialis de *Requiem*, præsente cadavere, legeretur, sed iis tantum diebus quibus permittuntur Anniversaria (cfr. Articulus IV).

Ex quo autem hisce ultimis temporibus patuit mens S. Rituum Congregationis extendendi quantum potest privilegia in favorem defunctorum, non potuit ipsa non extendere etiam privilegia in favorem pauperum, qui hucusque hac in re erant conditionis inferioris quam divites, quique majorem potius quam isti merentur commiserationem.

Hoc jam per supradictum Decretum 12 Junii 1899, quantum fieri potest, factum nunc est.

Nota. II. In exsequiis pauperum præ oculis habeatur id quod de eis dicit Rituale Romanum : « Pauperes vero, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur ; ac debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos Defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem. » (Tit. VI, Cap. I, n. 8.)

In Appendice Statutorum Diœcesis Mechliniensis, numero XV, de sepultura pauperum hæc referuntur : « Pium ac laudandum prædicamus earum confraternitatum institutum, quæ eleemosynas colligunt, ut debito honore egenorum corpora inhumentur, quæque de Sacrificiis pro egenis litandis curam gerunt. Confidimus autem animarum curatores adlaboraturos, ut insigne

hoc misericordiæ opus in dies augescat. » (Ex Synodo Provinciali Ultrajectensi, anni 1865.)

§ 4. De numero Missarum quæ in die Sepulturæ de « Requiem » celebrari possunt

Q. 341. *An plures in uno funere celebrare licet Missas exsequiales de* **Requiem** *privilegiatas ?*

R. Negative ; mens enim Ecclesiæ est quod funus exsequiale, quo nomine intelliguntur diversi actus liturgici, a Rituali Romano præscripti ratione Sepulturæ Defuncti, et agendi circa cadaver, vel circa castrum seu tumulum, unicam tantum admittat Missam vere et proprie dictam exsequialem de *Requiem* ; illam scilicet quæ celebratur solemniter, aut saltem in cantu, ratione exsequiarum Defuncti, corpore physice, vel, juxta dicta QQ. 337 et 338, moraliter præsente, et post quam fit Defuncti Absolutio, ac dicuntur preces Sepulturæ.

Dicta intellige de proprie dicta Missa exsequiali de *Requiem*, celebrata cum privilegiis, et sub conditionibus, hucusque in hoc Articulo III expositis.

Quod si ritus Officii occurrentis in die Depositionis, aut toto tempore ab Obitu usque ad Depositionem, quod reputatur tamquam unus dies (cfr. Q. 332), admittat Missas de *Requiem* quotidianas, seu non privilegiatas, vel si ex alio titulo, Indulti aut simili, Missæ de *Requiem* celebrari possunt, omnes Missæ pro Defuncto cujus funus agitur celebratæ profecto de *Requiem* esse poterunt, et cum eodem formulari Missæ secundæ ex quatuor diversis de *Requiem*, eademque cum Oratione dici ; sed unica tamen remanet Missa proprie et stricte dicta exsequialis de *Requiem*, cum suis adjunctis, ut notatur in responso.

Nota. In Diœcesi nostra, præsertim ruri, exstabat, ante annum 1872, consuetudo cantandi, in solemnioribus exsequiis, tres Missas de *Requiem*, successive celebratas, etiamsi ritus Officii tali die occurrentis, plures quam unam exsequialem non admitteret. Cum privilegia Missæ exsequialis de *Requiem* pro unica Missa tantum existant, sæpius jam secunda et tertia Missa in tali casu celebrabatur de *Requiem*, iis diebus quibus non licitum erat.

Ideo in Statutis Diœcesanis, anno 1872 elaboratis, regula de

unica tantum Missa de *Requiem,* in exsequiis agendis iis diebus quibus Missæ privatæ de *Requiem* prohibitæ sunt, declarata fuit omnino tenenda « quacumque contraria consuetudine non obstante. » (Statuta Dicœcesis, n. 353.)

Q. 342. *Refer Decretum, quo S. Rituum Congregatio indulsit Missas privatas de* Requiem *celebrari occasione exsequiarum. Refer etiam Decreta quibus S. Congregatio quædam dubia hac super se proposita resolvit.*

R. I. « Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in Calendariis particularibus, Officiorum duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediantur, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate præstantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut ad juvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, præsertim iis, quæ in sepulcretis rite erecta sunt vel erigerentur, Missæ lectæ de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem SSmo Domino Nostro hujus negotii examen Sacræ Rituum Congregationi committere : quæ, exquisito voto Commissionis Liturgicæ, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in Ordinario Cœtu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacræ eidem Congregationi Præfectum quæstionem, respondendum censuit :

Si Sanctissimo placuerit ; I°. In..... ; item II°. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia, et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis, sub clausulis et conditionibus, quibus, juxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primæ classis, Dominicis aliis-

que Festis de præcepto. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maji 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per supradictum Eminentissimum Dominum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacræ ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Junii, eodem anno. » (Decret. n. 3903.)

II. Mox authentica interpretatio hujus Decreti sequens data fuit :

« **Romana.** Nonnulli Ecclesiarum Rectores, super legitima interpretatione Decreti *Aucto*, editi die 19 Maji atque approbati a Summo Pontifice die 8 Junii anno nuper elapso 1896, circa Missas privatas de Requie, die et pro die obitus indultas, Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia resolvenda humiliter proposuerunt ; videlicet (omittuntur dubia 1 et 2, quæ ad rem non sunt) :

3. Missæ privatæ de Requie, quæ sub expressis conditionibus celebrari possunt præsente cadavere, licitæne erunt in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis sive publicis sive privatis ?

4. Hujusmodi Missæ privatæ de Requie celebrarine poterunt sine applicatione pro Defuncto, cujus cadaver est vel censetur præsens ?

5. Eædem pariter Missæ possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen Festa duplicia 1 classis excludunt, uti ex. gr. Feria IV Cinerum ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, omnibusque mature perpensis, respondendum censuit :

Ad 3. Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter præsens ; sed, si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exsequiali.

Ad 4 et 5. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 12 Januarii 1897. » (Decret. n. 3944.)

Ad normam utriusque Decreti concinnata fuit Rubrica generalis Missalis Romani (Tit. V, n. 2), cui, per Decretum 11 Decembris 1897, addita fuerunt sequentia:

« Missæ privatæ pro Defunctis ut in die obitus seu

depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt præsente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere ; exceptis Duplicibus primæ classis, diebus Duplicia primæ classis excludentibus, et Festis de præcepto. »

Insuper S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Missæ privatæ de Requie nonnisi in Ecclesia vel Oratorio publico permittuntur ubi fit funus cum Missa exsequiali ; in Oratoriis autem privatis Missæ, quæ ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, præsente cadavere in domo ; servatis ceteris clausulis et conditionibus. » (Decret. 3 Aprilis 1900, ad 3 et 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 258.)

Q. 343. *Quænam observanda sunt pro Missis privatis de* **Requiem,** *occasione exsequiarum vi præfati Decreti permissis ?*

R. Prænotatur quòd in nostra Diœcesi mos existit celebrandi Missas privatas in solemnioribus exsequiis quibusdam, interea dum exsequiale Officium et Missa pro Defuncto, præsente ejus corpore, peraguntur ; hujusmodi Missæ, etiamsi pro Defuncto applicatæ, hucusque in diebus in quibus Officium erat duplex aut æquivalens, non poterant dici de *Requiem* ; per citatum Decretum permittitur jam ut de *Requiem* dicantur, et sunt veluti aliquod additamentum ad funus exsequiale. Conditiones sequentes debent pro hujusmodi Missis de *Requiem* lectis observari :

1° Corpus Defuncti debet esse præsens in Ecclesia, aut in Oratorio publico, in quibus exsequiæ peraguntur ; et toto tempore quo præsens est, permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*, tot celebratis vel simul in diversis Altaribus, vel successive, quot eo tempore poterunt, et placebit. — Corpus autem debet esse præsens, vel physice, seu materialiter, quando Missa exsequialis celebratur revera in die Obitus, seu Depositionis ; vel moraliter, quando Missa exsequialis celebratur eo die qui pro die Obitus seu Depositionis haberi licite potest. — Censetur vero moraliter præsens, quando scilicet ob causas graves, de quibus agitur Q. 337, nempe ob civile vetitum, vel ob morbum contagiosum, non po-

test deferri ad Ecclesiam, sed est aut adhuc insepultum, aut jam sepultum non tamen ultra biduum; vel etiam quando fuit sepultum absque Missa exsequiali ob causam celebritatis dierum (cfr. Q. 338). — Absente vero cadavere, Missas privatas de *Requiem* dicere in duplicibus aut æquivalentibus non licet, deficiente conditione præsentiæ corporis vel physicæ, vel moralis.

In quibusdam regionibus, ex. gr., in quibusdam partibus Italiæ, mos existit deferendi corpus Defuncti ad Ecclesiam pridie funeris exsequialis ad vesperam; quando auctores liturgici harum regionum dicunt Missas de *Requiem* privatas jam posse celebrari per totum mane, verum dicunt, quia per totum mane præsens est in Ecclesia cadaver; sed eorum dicta apud nos, ubi corpus defertur ad Ecclesiam ipsa determinata hora funeris tantum, applicare non licet.

2° Debet in Ecclesia, vel Oratorio publico funus cum Missa exsequiali de *Requiem*, solemni aut cantata, celebrari. — Inferes, quod Missæ privatæ de *Requiem* in duplicibus permittuntur, non in singulis diebus infra tempus quod ab obitu Defuncti ad ejus tumulationem intercedit, sed in uno eodemque die tantum in quo exsequiæ fiunt; — item, sicut in una tantum Ecclesia, nempe Defuncti, Missa exsequialis celebrari potest, ita pariter in una tantum, et in illa solum in qua funus agitur, celebrari possunt Missæ privatæ; — item, omissa Missa exsequiali solemni aut cantata, non permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*; Decretum requirit Missam exsequialem solemnem, aut cantatam, et non loquitur de casu in quo Missa exsequialis solummodo legitur, nempe in funere pauperum (Q. 340); — tandem, quæcumque clausulæ, vel conditiones comprobari debent ut cani possit Missa exsequialis de *Requiem*, eædem omnes debent comprobari ut licite dicantur Missæ privatæ de *Requiem*.

3° Missæ privatæ de *Requiem* ut valeant dici, debent applicari pro Defuncto, cujus cadaver est vel censetur præsens.

4° Excipiuntur sequentes dies, in quibus, etiamsi possit celebrari Missa exsequialis de *Requiem* solemnis, vel cantata, et etiamsi cadaver sit physice, aut morali-

ter præsens, tamen non possunt dici de *Requiem* Missæ privatæ pro Defuncto cujus funus agitur, scilicet :

a) Omnia Festa duplicia I classis.

b) Omnes dies, quorum Officia non admittunt celebrationem Festi duplicis I classis, nempe : Feriæ privilegiatæ (IV Cinerum, et II, III, ac IV Hebdomadæ Sanctæ) ; — Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — dies infra Octavas Paschatis, et Pentecostes, et dies Octavæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ.

c) Omnes Dominicæ.

d) Omnia Festa de præcepto ; in præsenti casu intelligenda sunt Festa quæ revéra et de facto cum feriatione recoluntur, non ea omnia quæ jus ad feriationem habent : unde pro nostra Diœcesi non est animadvertenda hæc series dierum prohibentium Missas privatas de *Requiem*, cum Festa de facto cum feriatione apud nos celebrata jam recenseantur inter Festa duplicia I classis.

Nota. Decretum dicit Missas privatas de *Requiem* etiam posse fieri in Oratoriis privatis, et in Sacellis ad Seminaria, Collegia, et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus : quod ut intelligatur, animadvertendum est, in multis Regularium Conventibus seu Domibus, in multis Collegiis ac Seminariis, præsertim quorum moderatores Regulares sunt, præter Ecclesiam, vel Oratorium publicum, aut principale, etiam haberi, ex privilegio speciali, Oratorium aliquod domesticum, seu privatum, ad usum, non totius Collegii, aut Seminarii, sed quorumdam ex inhabitantibus tantum, aut ad usum privatum Communitatis Religiosæ.

Si in aliqua Ecclesia, aut Oratorio publico, aut principali Regularium, aut Collegii, aut Seminarii exsequiæ peragantur Defuncti, qui vivens Communitatis membrum erat ; quo tempore in Ecclesia, aut Oratorio principali publico, aut principali, præsente ibi Defuncti cadavere, physice aut moraliter, permittuntur Missæ privatæ de *Requiem*, etiam eodem tempore Missæ quæ celebrari permittuntur in hujusmodi Oratorio domestico, seu privato ejusdem Conventus aut Instituti, possunt dici de *Requiem*, ob relationem quæ existit. Sed

non permitterentur Missæ privatæ de *Requiem* in Oratoriis iisdem, si Defuncti funus peragitur in Ecclesia parochiali.

Q. 344. *Casu quo plures Missæ de* Requiem *celebrari possunt pro Defuncto, inde ab ejus obitu usque ad tumulationem, quæ Missa dicenda est, et quomodo ?*

R. Omnes Missæ, sive solemnes, sive cantatæ, sive privatæ, et ubicumque celebrentur, dicendæ sunt ut in formulari primo vel secundo ex quatuor quæ pro Missis Defunctorum in Missali describuntur, juxta distinctionem personarum pro quibus Missæ celebrantur ; nempe ut in formulari primo, si celebrantur pro Papa, Cardinali, Episcopo, vel etiam pro Sacerdote ; ut in formulari secundo, si celebrantur pro aliis Defunctis (cfr. Q. 313) ; et dicuntur sub ritu qui duplici respondet, cum Oratione unica hujus Missæ, vel cum Oratione unica quæ propria est pro quibusdam ecclesiasticis personis, uti expositum fuit QQ. 321 et 325.

Prædicta confirmantur sequenti S. Rituum Congregationis Decreto : « Quæritur : 1° An in Missis de Requie, quæ, abstrahendo a Missa exsequiali solemni aliisque, occasione hujus lectis, in Semiduplicibus et Simplicibus occurrentibus ab obitu usque ad depositionem alicujus fiunt cum vel sine cantu, adhibendum sit idem formulare ac in die obitus seu depositionis ? — 2° An idem dicendum sit etiam respectu Missarum, quæ celebrantur in biduo post factam ob gravem causam sepulturam, si occurrat Semiduplex, vel Simplex ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Ad 1 et 2, adhibeatur Missa ut in die obitus, seu depositionis. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 11 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 355.)

APPENDIX

DE MISSA DE « REQUIEM » NUNTIO PRIMO DE OBITU ALICUJUS ACCEPTO

Q. 345. *Quid notandum venit super celebratione Missæ de* Requiem, *post acceptum nuntium de alicujus obitu ?*

R. I. Ex variis documentis docemur quod ab antiquissimo tempore, nempe a sæculo octavo, inter diversas Monachorum Congregationes exstiterint Societates

communionis suffragiorum, quorum finis erat mutua reddere suffragia animabus defunctorum confratrum, et speciatim, accepto nuntio decessus alicujus confratris, statim in cæteris monasteriis pro defuncto Missam decantare. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 593 et sqq.)

Ex antiquis S. Rituum Congregationis Decretis constat etiam concessa fuisse privilegia, vi quorum nonnullis Religiosis Familiis, intra quosdam limites, licebat ad nuntium mortis, in loco dissito, alicujus confratris de gremio Congregationis, sive benefactoris Ecclesiæ Ordinis, pro defuncto celebrare Missam de *Requiem*, solemnem aut cantatam, corpore non præsente, etiam in determinatis diebus in quibus id non licebat sine privilegio.

Attamen Decreta S. Rituum Congregationis, in quibus de talibus privilegiis quæstio erat, e nova editione Decretorum, anni 1898, expuncta fuerunt ; privilegium enim Missæ de *Requiem*, celebrandæ post acceptam notitiam de alicujus obitu, impræsentiarum fuit extensum in gratiam personarum quarumcumque, etiam particularium. Quod itaque hucusque erat privilegium, seu Indultum particulare, hodie fit generalis regula.

II. Etenim in Decreto generali « Missæ exsequialis pro die obitus » (2 Decembris 1891, n. 3755, ad III), decrevit S. Rituum Congregatio : « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat, non impedita a Festo duplici primæ et secundæ classis vel a Festo de præcepto : quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus. »

Et in alio Decreto generali « Orationum et Sequentiæ in Missis Defunctorum » (30 Junii 1896, n. 3920, ad 1), S. Congregatio declaravit unam tantum esse dicendam Orationem in hac Missa, et hanc Missam talem esse quæ « solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat. » Ad normam hujus Decreti concinnata fuit, per Decretum 11 Decembris 1897, Rubrica generalis Missalis (Tit. V, n. 3), in qua nunc idem dictum reperitur.

Igitur hodiedum, post acceptum a locis dissitis nun-

tium de alicujus obitu, quicumque sit, licet, si placet, pro isto defuncto celebrare solemniter, sub determinatis tamen conditionibus, Missam de *Requiem*; quæ Missa de *Requiem* de numero privilegiatarum pro defunctis est (cfr. Q. 312).

Et hæc Missa privilegiata potest quidem celebrari in pluribus Ecclesiis in quibus a dissito loco nuntium obitus accipitur: sed pro prima vice tantum, id est, pro unica vice tantum; ita ut, celebrata pro defuncto semel hac Missa privilegiata in una Ecclesia, non ulterius privilegium concedatur hujusmodi Missam iterum celebrandi pro eodem defuncto in eadem Ecclesia.

III. Quam opportuna sit hæc privilegii hucusque particularis ad omnes fideles extensio, et sapiens nova inde enata Rubricarum regula, patet ex consideratione, quod in posterum, ex. gr., in Seminariis, Collegiis, Institutisque variis, accepto nuntio defuncti magistri aut sodalis, Missa de *Requiem*, ex omnium votis pro ipso celebranda, quæ hucusque pluribus diebus illicita erat, quantocius nunc, et paucis tantum diebus exceptis, et ritu quidem duplici poterit celebrari; — item pro defuncto confratre, aut socio, aut membro, confraternitatis, societatis cujuscumque, ubi notitia de ejus obitu accipitur; — imo si quæcumque persona, post acceptum nuntium de obitu cujuscumque familiaris, aut amici, desiderat pro ipso celebrari Missam de *Requiem*, huic desiderio, ad juvamen defuncti, et ad spirituale solatium petentis, poterit fieri satis. — Et ita, habita ratione celeritatis quacum nuntia a locis maxime dissitis accipiuntur, ex. gr., telegrapho, in pluribus locis poterit Missa de *Requiem* privilegiata pro defuncto cantari, etiam nondum sepulto corpore, dum id non licebit in Ecclesia in qua funus ejusdem defuncti fiet.

Q. 346. *Quænam sunt conditiones sub quibus Missa de* **Requiem**, *post acceptum nuntium de alicujus obitu, est celebranda?*

R. Missa hæc reliquis Missis de *Requiem* privilegiatis æquiparatur, iisdemque fere subjacet regulis, quibus aliæ Missæ, quæ in diebus pro defunctis privilegiatis, nempe in diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario (cfr. Q. 312) celebrantur.

1° Celebrari in casu potest Missa de *Requiem*, modo occurrens Officium diei non impediat.

Prohibetur igitur : in Dominicis omnibus ; — in Festis duplicibus 1 et 2 classis, et iis Festis quæ de jure de præcepto sunt ; — infra Octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes ; — in Feriis privilegiatis, nempe quarta Cinerum, et totius Hebdomadæ Sanctæ ; — in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — publice exposito SS. Sacramento.

Nota. Ex eo quod in Decreto 2 Decembris 1891 dicitur quod hanc Missam prohibent Festa duplicia 1 et 2 classis vel Festa de præcepto, non est concludendum Missam permitti in Octavis privilegiatis Epiphaniæ, Paschatis, et Pentecostes ; item in Feriis IV Cinerum, et Hebdomadæ Sanctæ ; item in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes ; nam Octavæ Paschatis et Pentecostes ac dies Octava Epiphaniæ, et Feriæ prædictæ, ac Vigiliæ tales sunt quæ excludunt quæcumque Festa duplicia etiam 1 classis, et dies infra Octavam Epiphaniæ admittunt tantum Festa duplicia 1 classis. Applicare hic licet id quod S. Rituum Congregatio declaravit pro Missis lectis de *Requiem* in funere defuncti (cfr. Q. 342, II, ad 5).

Prædicta confirmantur sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : « Quæritur : Utrum Missa de Requie cum cantu, quæ... celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die, quæ prima occurrat non impedita a Festo 1 et 2 classis vel Festo de præcepto, cantari possit Feria IV Cinerum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV, V, VI et Sabbato infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quum licet hæ dies neque Festa sint de præcepto, neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem Duplicia 1 classis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative in omnibus, juxta Decretum Generale n. 3922, diei 30 Junii 1896, § III, n. 2. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 10 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 355.)

2° Missa de *Requiem* debet celebrari solemnis, aut cantata ; Missa lecta vero iis diebus tantum permittitur, quando ritus Officii occurrentis Missas de *Requiem* lectas, seu quotidianas admittit.

3° Missa in casu celebrata, sive solemnis aut cantata, sive permittente ritu lecta, celebratur solemniter, et est ritus duplicis, et consequenter unica tantum in ea dici debet Oratio, sicuti quando solemniter, id est, in diebus privilegiatis, pro defunctis celebratur. Missa hæc utique dici debet secunda ex quatuor Missis de *Re-*

quiem, quæ pro die Obitus seu Depositionis inscribitur; imo, sepulto jam defuncto pro quo celebratur, id est, post diem qui est Depositionis, aut qui pro die Depositionis computatur (cfr. Q. 337), dicetur Oratio quæ est hujus secundæ Missæ propria. (Cfr. Q. 325, 4°, b.)

4° Celebrari debet hæc Missa de *Requiem* post acceptum nuntium de alicujus obitu, primo die liturgice non impedito (cfr. supra 1°) post acceptam notitiam.

« Notandum hic est quod, si non agatur de impedimento liturgico, sed de alio occurrente ob causam, ex. gr., pompæ parandæ, invitationis perficiendæ, etc., exspectandum, ut alias, est usque ad diem liberum a duplici etiam minori. Et merito, namque Ecclesia numquam intendit extensionem privilegii ad istiusmodi impedimenta applicare. » (Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 603 : Solutio Academiæ Liturgicæ Romanæ.)

Nota. Pro hoc puncto desideratur aliqua authentica declaratio, seu potius ulterior concessio. Etenim hujus Missæ celebratio non raro, imo plerumque inopinato superveniet ; — esto quod in Seminariis, Collegiis, Institutis, Religiosis Familiis possibile sit omnia ordinare et præparare, ut hodie accepto nuntio, crastino die, si est liturgice liber, Missa de *Requiem* pro defuncto celebretur ; — in non paucis casibus vero hæc præparatio non erit ita facilis : ex. gr., familiares et amici non possunt plerumque de præsenti die, in quo nuntium obitus consodalis aut amici accipitur, in crastinum pro Missa ad Ecclesiam convocari ; — in Ecclesia, in qua particularis quidam desiderat Missam celebrari de *Requiem*, pro defuncto familiari aut amico cujus mortis notitiam accepit, aliæ Missæ forsan sunt annuntiatæ, vel exonerandæ ; etc. ; — hujusmodi impedimenta vero non sunt liturgica, talia quæ liturgicam Missæ translationem permittunt ; — itaque in variis casibus hujusmodi, pro primo die post acceptum obitus nuntium, liturgice libero, omnia non poterunt parari. Si ergo privilegium conceditur tantum pro stricte *primo* die liturgice libero post acceptum nuntium de alicujus obitu in dissito loco, applicatio privilegii sæpius, ut experientia jam constat, erit manca.

ARTICULUS IV

DE MISSIS DE « REQUIEM » IN DIE TERTIO, SEPTIMO ET TRIGESIMO DEPOSITIONIS DEFUNCTI

Q. 347. *Quomodo computantur dies tertius, septimus, et trigesimus, qui privilegiati pro Defunctis habentur ?*

R. Dies tertius, septimus, et trigesimus, qui solemnes et privilegiati pro Defunctis reputantur (cfr. Q. 312), et de quorum rationibus mysticis dictum fuit Q. 311, secundum variam Ecclesiarum consuetudinem computantur, vel a die Obitus, vel potius a die Depositionis seu sepulturæ, qualiter indicare videtur ipsum Missale Romanum, per superscriptionem : « In die tertio, septimo, et trigesimo **Depositionis Defuncti** » ; ne scilicet dilata, more patrio, cadaveris inhumatione, dies tertius, occurrens in die Depositionis, per celebrationem Missæ exsequialis supprimatur ; attamen ipsos computari posse « tam a die Obitus, quam a die Depositionis », declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum Generale 2 Decembris 1891 (n. 3753, ad IV). — Insuper quæri potest an dies Obitus vel Depositionis debeat ipse includi, an excludi ; ex. gr., si Depositio fiat primo die mensis, et quum velit determinari dies tertius a die Depositionis, eritne dies tertius, an quartus hujus mensis ? Ad hoc respondere licet utrumque servari posse, juxta Ecclesiarum consuetudinem.

Nota. Valde antiqua est hæc Sacrorum Mysteriorum pro defuncto celebratio in diebus ob obitu seu depositione diversis.

In ipsis Ecclesiæ primordiis frequentius idem erat dies sepulturæ qui mortis, ex. gr., pro Martyribus. Ex variis rationibus tamen plus minusve insepultum remansit cadaver post mortem, et sæpius usque ad diem tertium, alibi vero usque ad quartum ab obitu, secundum regionis morem ; imo, habita ratione gradus dignitatis vel honoris personæ, postea sepultura et Mysteriorum celebratio producta interdum fuit ad diem post mortem septimum, vel nonum, et etiam trigesimum, vel quadragesimum. Unde invaluit mos in diversis regionibus Missæ Sacrificium litandi in diebus ab obitu tertio, vel quarto, vel septimo, vel nono, vel trigesimo, vel quadragesimo, etiamsi cadaver fuisset aut prius aut postea sepultum.

Ad uniformitatem servandam, statutum fuit, sæculo decimo sexto, quod recolerentur pro defunctis dies solummodo tertius, septimus, et trigesimus, idque a die

obitus, vel a die sepulturæ ; iique soli tamquam privilegiati haberentur.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 541 et sqq.)

Q. 348. *Quodnam privilegium exstat pro Missis de* **Requiem** *in his diebus ?*

R. Quod pro defuncto fideli Missa, solemnis aut saltem cantata, potest celebrari, eodem formulari quo in die sepulturæ, nempe secundo ex quatuor, sed cum unica Oratione propria quæ assignatur post secundam Missam (cfr. Q. 321, A, 3), et cum Sequentia *Dies iræ* (cfr. Q. 326). Non requiritur pro hujusmodi privilegio, quod defunctus sic ordinaverit in suo testamento, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum, vel testamenti exsecutorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1862, n. 3112, antiq. 5320, ad 2.)

Q. 349. *Quibus diebus prohibentur Missæ de* **Requiem**, *in die tertio, septimo, et trigesimo ?*

R. 1° Missæ solemnes, aut cantatæ prohibentur : — in Dominicis omnibus ; — in Festis duplicibus 1 et 2 classis, et iis Festis quæ de jure de præcepto sunt ; — infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi ; — in Feriis privilegiatis, nempe quarta Cinerum, et totius Hebdomadæ Sanctæ ; — in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, et Pentecostes ; — publice exposito SS. Sacramento ; — insuper in Ecclesiis parochialibus unam tantum habentibus Missam, prohibentur in diebus Rogationum, si fiat Processio.

2° Missæ lectæ de *Requiem*, in diebus tertio, septimo, et trigesimo, nullo gaudent privilegio, quoad dies in quibus eas dicere licet, et prohibentur omnibus et iisdem diebus, quibus prohibentur Missæ quotidianæ, seu privatæ de *Requiem*.

Quoad modum vero eas dicendi, notatur quod, ritus Officii diei permittat Missas lectas de *Requiem*, in diebus tertio, septimo, et trigesimo, ipsæ dicuntur sicut in præcedenti Quæstione expositum fuit, nempe cum formulari secundo, cum unica his diebus propria Oratione, et cum Sequentia *Dies iræ*.

Q. 350. *Quid fieri potest, si dies tertius, septimus, aut trigesimus, incidunt in dies, quibus prohibentur Missæ de* **Requiem,** *pro his diebus privilegiatæ ?*

R. Si dies tertius, septimus, aut trigesimus, incidunt in dies liturgice impeditos, in quibus, juxta præcedens responsum, Missæ privilegiatæ de *Requiem* solemniter, aut in cantu celebrari nequeunt, tunc Missæ horum dierum privilegiatæ, vel in proximum diem liberum transferri possunt, vel etiam in proximo antecedenti die similiter libero anticipari ; idque retentis iisdem privilegiis. Dies liberi autem sunt illi qui non comprehenduntur inter illos, qui in præcedenti responso recensentur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Decembris 1891, n. 3753, ad 2 et 3.)

De hujusmodi anticipatione, aut translatione dicetur latius in sequenti Articulo V, ubi agitur de Anniversariis.

Q. 351. *An Missæ quæ more patrio celebrantur, vocatæ* de dertigsten, la trentaine, *licet 30 sint numero, privilegiis gaudent ?*

R. Privilegium dierum tertii, septimi, et trigesimi, in nostra Diœcesi quasi ignotum est ; ex variis autem modis juvandi per Sacrificia recenter defunctos, frequentior est, celebrandi pro Defuncto, post diem depositionis, seu sepulturæ, triginta, vel aliquando quadraginta Missas lectas, quantum fieri potest tribus subsequentibus diebus ; quæ Missæ vocantur a populo : de dertigsten, la trentaine. Istæ Missæ nullo gaudent privilegio, et de *Requiem* dici tantum possunt iis diebus quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem* ; alias dicetur Missa Officio conformis.

Q. 352. *Quæ putatur origo hujus consuetudinis celebrandi Missas triginta ?*

R. Ritus hic in maxima veneratione esse cœpit inde a tempore S. Gregorii Magni (unde etiam nuncupantur aliquando Gregorianæ). Defuncto enim quodam monacho, S. Gregorius alteri monacho demandaverat, diebus triginta continuis offerre pro defuncto Sacrificium, dicens : « Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium ; stude, ut

nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur. » Absoluto Missarum numero, defunctus apparuit, et ereptum se purgatorii cruciatibus nuntiavit : fratres vero, inquit S. Gregorius, sollicite computaverunt dies, et ipse dies exstiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta. (*Liber Dialogorum*, IV, Cap. 55.)

Hinc, ait Benedictus XIV (*De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. 23, nn. 2, 3), Missarum usus dimanavit, quæ a S. Gregorio nuncupantur, et fideles omni sæculo eamdem consuetudinem pariter receperunt.

Post aliquod tempus, triginta Missarum formulas prorsus ineptas, et rebus haud convenientibus refertas, quidam sine ulla facultate temere confecit, easque a S. Gregorio appellavit. S. Rituum Congregatio easdem Missas celebrari omnino vetuit (cfr. Q. 18, n. 7), non vero reprobavit piam consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur, pro illius expiatione qui e vivis decedit. Imo, S. Congregatio Indulgentiarum, per recens Decretum, celebrationem harum Missarum tamquam piam et rationabilem probavit. Cum enim quæsitum fuisset : « Utrum fiducia, qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum, quæ vulgo Gregorianæ dicuntur, uti specialiter efficacem, ex beneplacito et acceptatione divinæ misericordiæ, ad animæ e Purgatorii pœnis liberationem, pia sit et rationabilis ; atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata ? »..... « In Congregatione Generali, habita 11 Martii 1884,... Eminentissimi Patres rescripserunt : Affirmative.... Die vero 15 ejusdem mensis et anni, facta.... relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsiones approbavit. » (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XVI, 1884, pag. 351-353.)

« Istæ Missæ, dicit Schober (*S. Alphonsi Liber de Cæremoniis Missæ*, edit. 2ª, 1888, pag. 284), ex communi fidelium sensu creditæ sunt peculiarem vim habere ad liberandos fideles ex purgatorii pœnis. Vis autem hujusmodi non in solo numero ponenda est, ne superstitioni locus aperiatur ; jamque ratione habita ad Sacrificii valorem, citius liberarentur animæ, si diebus paucioribus, vel uno die Missæ omnes celebrarentur ; et adhuc fructus triginta Missarum potest non esse æquivalens animarum debito. Itaque hujusmodi efficacia ex eo pensanda est, vel quod scilicet S. Gregorius a Deo hanc gratiam impetraverit, vel quod ipse, si tunc erat Summus Pontifex, concesserit indulgentiam plenariam, aut eam obtinuerit a suo Prædecessore, sub injuncto opere Sacrificii per 30 dies continuos offerendi. — Quod autem celebrandæ sunt hæ Missæ per 30 dies continuos, absque interpolatione, et nullo omnino prætermisso die, jam ex textu supradicto patet ; (per Triduum sacrum tamen non inter-

rumpuntur, ut Doctores communiter docent) ; nam alias non dicerentur Missæ secundum institutionem S. Gregorii, et consequenter non satisfieret obligationi in omni rigore. An autem hujusmodi Missæ ab uno eodemque Sacerdote dicendæ sint, inter auctores disceptatur. Requiritur porro, ut Missæ applicentur pro defuncto, non autem, ut debeant esse de *Requiem,* nisi in diebus permissis. »

« In revelationibus S. Gertrudis (*Legatus divinæ pietatis*, Lib. 5, Cap. 19), editis cura et opera Solesmensium Ordinis Sancti Benedicti Monachorum (Parisiis, 1875), adhuc septem Missæ B. Gregorii Papæ, divinitus revelatæ, ut habet traditio, et septem continuis diebus celebrandæ afferuntur, « eo quod ad liberandum animas a pœnis suis miræ sint virtutis et efficaciæ. » Ex quibus aliæ sex exortæ esse videntur, quæ a fidelibus passim postulantur, sed hæ sex Missæ nec vita nec scriptis S. Gregorii, nec etiam alia traditione probantur, ideoque a Sacerdote ad libitum cum interruptione celebrari possunt. »

ARTICULUS V

DE MISSIS DE « REQUIEM » IN DIE ANNIVERSARIO

Q. 353. *Quid est Anniversarium, generaliter loquendo ? In quem finem instituit Ecclesia annuam Defunctorum per Anniversaria commemorationem ?*

R. I. Anniversarium generice sumptum, ut ex ipsa verbi etymologia patet, diem significat determinatum, quotannis recurrentem, quo alicujus eventus annua commemoratio recolitur.

Relate ad defunctos Ecclesiæ Catholicæ filios, generaliter loquendo vocatur Anniversarium dies quo annua memoria agitur unius vel plurium defunctorum, nempe per Missæ Sacrificii oblationem.

Nota. Sacrificio Missæ adjungi possunt, sed non debent, Officium Defunctorum, necnon Absolutio post Missam.

S. Rituum Congregatio rescripsit enim quod Anniversarium solemne ex testamento relictum nihil aliud importat per hoc præcise nomen Anniversarii, nisi onus Missæ solemnis Defunctorum ; quod si per testamentum injungatur etiam Officium, hoc restringitur ad unum Nocturnum conveniens diei cum Laudibus. (Cfr. Decret. 21 Julii 1855, n. 3032, antiq. 5212, ad 1 et 2.) — Item circa obligationem Absolutionis post Missam

in Anniversariis, eadem S. Congregatio declaravit, quod « non ex obligatione, sed ad arbitrium facienda est Absolutio in Anniversariis mortuorum. » (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 6, antiq. 2345, ad 7.)

Obligatio ad prædicta dari potest tamen ex justitia, nempe ex fundatione, vel ex pia voluntate petentium, vel ex consuetudine in loco existente.

II. Anniversaria defunctorum eum in finem instituit Ecclesia, ne umquam apud vivos defunctorum memoria deficiat ; ut, si forte, peccatis nondum expiatis, animæ lustralibus flammis crucientur, nostris suffragiis adjuvari, et a pœnis quas adhuc patiuntur erui possint; melius enim est ut illis supersint suffragia nostra, quam per oblivionem, vel incuriam nostram desint. (Cfr. Fornici, *Institutiones liturgicæ*, Pars II, Cap. 33.)

Deinde, sicuti quotannis Sanctorum memoriam per Festi celebrationem agimus, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem ; ita quotannis Defunctorum memoriam agere sancta et salubris est cogitatio, ut illis proficiat ad salutem, et nos bene et religiose de resurrectione cogitemus.

Nota. In Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ antiquioribus monumentis perspicua adeo sunt indicia Anniversariorum, ut ab ipsis Ecclesiæ primordiis Anniversarii pro Defuncto celebrandi consuetudinem exstitisse, dubitari nulla ratione valeat. Jam sæculi III initio, Tertullianus refert : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » (*De Corona militis*, Cap. III.) Eademque praxis aperte inferri potest ex iis quæ SS. Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, aliique Latinæ Ecclesiæ Patres ; SS. Gregorius Nazianzenus, Joannes Damascenus, præter alios ex Græcis, tradunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 237 et sqq ; et XIV, 1900, pag. 640 et sqq.)

Q. 354. *Quæ distinctio animadvertenda est in Anniversariis ?*

R. Patet quod in hac materia Anniversariorum, in qua sæpius, imo plerumque intervenit voluntas testatorum, aut hæredum, aut consanguineorum, aut amicorum,non parva diversitas voluntatum et desideriorum

dari potest, et animadvertenda est pro legitima Anniversariorum celebratione.

Sunt qui fundant Anniversaria pro se ; pro suis familiaribus, aut amicis ; pro se et suis ; pro uno ; pro pluribus.

Sunt qui fundant Anniversaria celebranda in recurrente die obitus vel depositionis defuncti ; vel in alio determinato die, juxta beneplacitum electo et statuto ; vel sine præfixione diei determinati, ex., gr., tali mense, vel circa tale Festum.

Sunt superstites consanguinei, aut amici, qui pro defuncto, vel defunctis, pro quibus fundata non fuere Anniversaria, petunt, ipso recurrente die obitus vel depositionis, celebrari Missam in animæ aut animarum suffragium ; alii ita fieri petunt extra recurrentem diem obitus vel depositionis, die juxta suam commoditatem electo.

Sunt Religiosæ Communitates, Canonicorum Collegia, Confraternitates, piæ Sodalitates quæcumque, quæ quotannis, semel in anno, die fixo vel mobili, pro defunctis Confratribus curant Missam pro Anniversario celebrari.

Omnes isti Missam quam intendunt, vocant Anniversarium.

In Rubricis et Decretis dupliciter distinguuntur Anniversaria : sunt vel Anniversaria stricte sumpta, vel Anniversaria late sumpta.

Utraque habent sua privilegia, tum quoad dies in quibus celebrari possunt, tum quoad modum ea celebrandi.

Nota. Juvat hic loci describere Decretum Generale S. Rituum Congregationis (2 Decembris 1891, n. 3753), quo distinctio præfata et leges super utroque Anniversario statuuntur :

« Sacra Rituum Congregatio declarat : »

« I. Anniversaria, seu Missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, non comprehendi in Generali Decreto diei 5 Augusti 1662 ; et prohiberi tantum in duplicibus primæ et secundæ classis, in Dominicis

et Festis de præcepto, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes et SSmi Corporis Christi, nec non Feria IV Cinerum, majori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes ; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiæ, in respectivis Ecclesiis tantum. »

« II. Eadem Anniversaria si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari : dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur. »

« III. Quod de diebus Anniversariis pro defunctis statuit, Sacra Rituum Congregatio declarat extendendum esse quoque ad dies 3, 7 et 30 ab obitu, sive quoad Missam de Requie cum cantu, sive quoad translationem si impediatur. »

« IV. Denique Sacra Rituum Congregatio declarat, diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse. »

« V. De speciali vero gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint Anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent ; nec non illa, quæ pro fidelium pietate infra octavam Omnium fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

§ 1. De Anniversariis stricte sumptis

Q. 355. *Quid est Anniversarium stricte sumptum ? Explica.*

R. I. Anniversarium stricte sumptum est Missa de *Requiem*, quæ celebratur cum solemnitate extrinseca, aut saltem in cantu ; — vel ex titulo fundationis, quotannis, recurrente die obitus vel depositionis defuncti, aut alio determinato die ; — vel ex petitione vivorum, recurrente ipso die obitus vel depositionis defuncti.

Ante explicationem notatur quod olim tres requirebantur conditiones pro Anniversario legitime cum privilegiis suis celebrando, nempe : fundatio per testatores, aut hæredes, etc. ; — fundatio perpetua ; — celebratio recurrente die obitus vel depositionis, aut alio die per instrumentum fundationis determinato. Ex his tribus conditionibus, duæ, prima nempe fundationis, et secunda fundationis perpetuæ, admittuntur quidem, sed non amplius requiruntur ; et sola tertia, diei scilicet in quo Anniversarium est celebrandum, remanet ; ita disponente Decreto S. Rituum Congregationis, diei 2 Decembris 1891, in præcedenti Quæstione citato.

II. Explicatur : 1. **Missa de « Requiem »** : etenim debet celebrari Missa de *Requiem*, et non sufficit Missam Officio conformem, aliamve celebrare.

2. **Quæ celebratur cum solemnitate extrinseca, aut saltem in cantu** : talis enim debet esse, ut gaudeat privilegiis ; Missa lecta non potest celebrari pro Anniversario, nisi iis diebus quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem*.

3. **Vel ex titulo fundationis** : nempe ex dispositione testatoris, sive in suffragium ipsius testatoris, sive in suffragium parentum, consanguineorum, aut aliorum. Sufficit quælibet dispositio testamentaria, etiam mediata ; ut si hæredes Anniversarium fundaverint de expressa voluntate defuncti, ex bonis ab eodem relictis aut acceptis ; imo, sufficit fundatio facta ex consanguineorum, amicorum, vel testamenti executorum voluntate, nulla existente dispositione ex parte defuncti, vel defunctorum pro quibus Anniversarium celebrabitur.

4. **Quotannis** : id est, Missa in perpetuum fundata, et pro singulis annis ; aut saltem pro pluribus determinatis successivis annis ; et non pro una aut altera vice tantum, nec ita, ut singulis annis ad beneplacitum petentium relinqueretur.

5. **Recurrente die obitus vel depositionis** : scilicet in vero die anniversario ab illo quo defunctus obiit, aut sepultus fuit. Olim admittebatur solus dies anniversarius ab obitu, sed per Decretum S. Rituum Congrega-

tionis, diei 2 Decembris 1891, statutum fuit admitti etiam diem qui anniversarius est a depositione, seu sepultura defuncti. (Cfr. Q. 354, Nota, ad IV.)

6. **Defuncti**: dicitur in singulari ; attamen pro pluribus defunctis simul potest etiam Anniversarii fundatio constitui ; sed tunc est necesse ut dies sit anniversarius ab obitu vel depositione unius ex pluribus.

7. **Aut alio determinato die** : extra diem vere anniversarium ab obitu vel depositione defuncti fundari potest Anniversarium ; sed debet a testatoribus aut fundatoribus, in fundationis actu seu instrumento, assignari dies certus et determinatus, isque debet semper et in perpetuum servari.

Nota. Nonnumquam in testamento nihil quoad diem determinatur ; ex. gr., testator fundat Anniversaria tria, unum pro patre, unum pro matre, unum pro seipso ; in tali casu munus erit exsecutoris testamenti, vel parochi, determinare diem uniuscujusque ex Anniversariis ; et consultius, in quantum fieri potest, pro unoquoque determinabitur dies obitus vel depositionis, vel alius propinquior, si ille sit impeditus.

Sequuntur nunc depositiones pro Anniversario, ex novo jure, per supra citatum Decretum 2 Decembris 1891 statutæ.

8. **Vel ex petitione vivorum** : non amplius igitur requiritur pro legitima celebratione Anniversarii, tamquam conditio sine qua non, fundatio facta ; sed sufficit quod hæres, aut amicus, aut quicumque privatus petat, pro sua erga defunctum privata devotione, Missam de *Requiem* pro defuncto celebrari ; neque hoc quotannis debet fieri, neque in perpetuum : sufficit enim si petatur pro una vice tantum ; admittitur interruptio ; ita ut Anniversarium singulis annis relinquatur ad beneplacitum petentium. Hujusmodi Anniversarium ad petitionem viventium, ut distinguatur a fundato, vocatur, in Decreto 2 Decembris 1891, privatum.

9. **Recurrente ipso die obitus vel depositionis defuncti** : hic datur distinctio Anniversarii privati ab Anniversario fundato ; pro hoc enim in instrumento fundationis potest assignari dies certus et determinatus, diversus a vero die obitus vel depositionis (vide supra

n. 7) ; pro præsenti Anniversario privato, non fundato, ut Missa de *Requiem* pro Anniversario celebretur legitime, requiritur, quod celebretur in die qui vere anniversarius est ab obitu vel depositione ; et extra hunc diem privilegia non amplius existunt pro Missa de *Requiem* celebranda.

Cæterum, si excipias diversitatem assignatam nn. 7 et 9, inter Anniversarium fundatum et privatum, utrumque gaudet iisdem omnino juribus et privilegiis, quæ in sequentibus Quæstionibus exponuntur.

Q. 356. *Quibus diebus prohibentur Anniversaria stricte sumpta ?*

R. Missam de *Requiem* pro defuncto celebrare, in die anniversario ab obitu vel depositione, permittit Ecclesia, quantum fieri potest, ne animabus damnum inferatur ; nisi obstent Officia divina, aut dierum celebritas ; attamen, hujusmodi Missæ Anniversarii æstimavit concedi debere privilegia non tanta, quanta Missæ in ipso Obitus seu Depositionis die celebrandæ ; quam distinctionem jure merito sapientem et rationi consentaneam agnoscet, qui perpenderit providendum quoque esse, quantum fieri potest, Festorum et Mysteriorum liturgicæ celebrationi ; et insuper, potiorem esse diem Obitus seu Depositionis reliquis Defunctorum diebus solemnibus. (Cfr. Q. 312.) Ex variis S. Rituum Congregationis Decretis constat, Missas de *Requiem* in Anniversario stricte sumpto, tum fundato, tum privato, prohiberi sequentibus per annum diebus :

1° in **Dominicis** omnibus ;

2° in **Feriis** privilegiatis, scilicet IV Cinerum, et totius Hebdomadæ Sanctæ ;

3° in **Festis** duplicibus 1 et 2 classis ; et in Festis quæ de jure sunt de præcepto, etiamsi suppressum sit præceptum ; unicum pro nostra Diœcesi remanet Festum hujusmodi, nempe S. Silvestri, Papæ et Confessoris, quod celebratur ritu duplici minori die 31 Decembris (cfr. Q. 11).

4° infra **Octavas** privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi ;

5° in Vigiliis majoribus Nativitatis Domini, et Pentecostes ;

6° diebus quibus SS. Sacramentum solemniter ob causam publicam est expositum ; intellige tamen tempore expositionis ;

7° his diebus addendæ sunt, pro casu particulari, Feriæ Rogationum : in illis scilicet Parochiis, in quibus præter Parochum nullus alius est Sacerdos ; quia ibi Officia divina, videlicet Rogationes non possunt omitti ; etenim, si ibi non permittitur Missa de *Requiem* exsequialis præsente corpore (cfr. Q. 334), a fortiori non conceditur Missa de *Requiem* pro Anniversario.

Nota. Permittuntur itaque Missæ de *Requiem* pro Anniversario stricte sumpto :

1° in omnibus Feriis, etiam majoribus (cum restrictione facta sub 7°), exceptis Feriis privilegiatis ;

2° in omnibus Festis duplicibus majoribus, minoribus (excepto Festo S. Silvestri, 31 Decembris, quod de jure de præcepto est), et in Festis semiduplicibus, et simplicibus ;

3° infra Octavas communes omnes ;

4° In Vigilia majori Epiphaniæ, et in omnibus Vigiliis minoribus.

Q. 357. *An, si Anniversarium occurrat in die Missam de* Requiem *prohibente, non sufficit cantare Missam Officio conformem, cum applicatione Sacrificii ad intentionem testatoris, vel petentis ? Quare ?*

R. Negative ; etenim voluntas testatoris debet adimpleri, etiam quoad qualitatem Missæ, ut licite eleemosyna accipi possit ; quod pluries declaravit S. Rituum Congregatio, et signanter per Decretum 22 Decembris 1753, (n. 2427, ad 1, antiq. 4237, ad 3), quo ad dubium : « An, obitus die impedito, possit cantari Missa de occurrenti Festo vel Feria privilegiata, applicando fructus Sacrificii defunctorum animabus », respondit non posse.

Q. 358. *Quid specialiter statutum est, casu quo Anniversarium accidentaliter vel perpetuo est impeditum, per occurrentiam in die quo Missa de* Requiem *prohibetur ?*

R. Pia Mater Ecclesia, quantum fieri potest, sollicita ne Defunctorum animabus damnum inferatur, neve

suffragia differantur, ubi in determinato Anniversarii die Missam de *Requiem* celebrari aliquando prohibet, occurrente perpetuo vel accidentali impedimento, simul remedium quamprimum afferre satagit.

Idcirco per plura S. Rituum Congregationis Decreta indultum fuit, quod, si in diem impeditum incidat Anniversarium, sive fundatum a testatoribus, pro die obitus vel depositionis, aut alio determinato die, sive privatum ad petitionem viventium, pro die obitus vel depositionis, Missa de *Requiem* pro Anniversario **anticipari** potest, vel **transferri**, sed tantum **in primum diem simili modo non impeditum.** Cantabitur Missa Anniversarii hoc primo die libero, eodem omnino modo, sicuti in ipso die Anniversario factum fuisset, si non occurrisset impedimentum. Sane melius est anticipare quam differre, ut Missa citius animabus Defunctorum suffragetur.

Hoc tamen privilegium non perseverat, si primus dies, sive in anticipatione, sive in dilatione seu translatione, negligitur ; nam ultra primum diem nullum amplius exstat privilegium, et eo neglecto, Missa Anniversarii tantum celebrari potest iis diebus, quibus permittuntur Missæ Defunctorum quotidianæ.

Quid, si plura darentur impedita Anniversaria, exempli gratia, si per quindenam a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, quatuor occurrerent Anniversaria ? Certo unum per anticipationem, secundum per dilationem, possunt celebrari in primo die non impedito ex iis qui Quæstione 356 in Nota proponuntur, et si clerus sufficiens est, tertium et quartum in eodem die celebrari poterunt ; sed quid, si aliquid obstet quominus tertium et quartum tunc celebrentur ? Quæstio hæc nusquam soluta reperitur ; et donec solvatur, servetur praxis ea differendi, vel potius anticipandi, in dies quibus Missæ de *Requiem* quotidianæ permittuntur celebrari.

Q. 359. *Da exemplum hujusmodi translationis per anticipationem vel dilationem.*

R. Supponatur Anniversarium celebrandum die 23 Decembris, quo die in Kalendario assignatur Officium de Feria majori Adventus. Si quodam anno hoc die occurrat Dominica, uti anno 1900, impeditur Anniversarium accidentaliter in die suo legitimo ; et transferen-

dum est. — Convenientius anticipatur, et quidem in diem 22 Decembris ; vel, hoc die etiam impedito per officium dignius particulare, aut aliud liturgicum impedimentum, anticipatur in primum diem liberum antecedentem, ex. gr., 20 Decembris. — Quod si anticipatio non conveniat, differtur Anniversarium : primus dies liber est 2 Januarii, et casu quo occurrat liturgicum impedimentum, 3 Januarii. Celebrabitur his diebus Anniversarium eadem cum solemnitate, eodemque modo, sine variatione pro Oratione, et cum omnibus privilegiis, ut in die suo fixo, 23 Decembris, si hic impeditus non fuisset. — Verum si dies 22 Decembris, vel 2 Januarii, primus liber, neglectus fuisset, omne privilegium pro translatione amissum foret, et non posset celebrari Anniversarium nisi, ante 22 Decembris, aut post Octavam Epiphaniæ, iis diebus quibus permittuntur Missæ quotidianæ Defunctorum.

Q. 360. *Quid notandum est de Solemnitate Missæ in Anniversariis stricte sumptis ?*

R. Ut liceat celebrare Missam de *Requiem* pro Anniversario in Festo duplici majori aut minori, et in Vigilia Epiphaniæ, debet Missa omnino esse **solemnis** aut saltem **cantata.** (Cfr. Q. 355, 2.)

Missa **lecta** in ipso die anniversario permittitur iis tantum diebus, quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem* ; sed tunc poterit celebrari sicut ipsa Missa cantata privilegiata, cum unica et propria Oratione, ut dicetur Q. 362. (Cfr. QQ. 323, 324, 325.)

Q. 361. *Quot numero licet celebrare Missas de* **Requiem** *in Anniversariis ?*

R. 1° In Festo duplici majori aut minori, et in Vigilia Epiphaniæ, in eadem Ecclesia unica tantum permittitur Missa de *Requiem*, solemnis aut cantata, pro singulo seu unoquoque Anniversario. Mens enim Ecclesiæ esse videtur, quod, sicut in die Obitus vel Depositionis unicam tantum admittit Missam exsequialem privilegiatam, ita etiam in defuncti Anniversario privilegia concedit tantum uni Missæ de *Requiem*. — Nullibi tamen prohibitum est, quod in diversis locis, aut Eccle-

siis, pro uno eodemque defuncto, fundetur Anniversarium ; et non raro ita fit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 550.)

Quod si in una Ecclesia, uno eodemque hujusmodi die, diversa pro diversis defunctis occurrerent celebranda Anniversaria, tot poterunt in hac Ecclesia celebrari Missæ de *Requiem*, quot diversa occurrunt Anniversaria exoneranda, servatis pro unoquoque Anniversario de jure servandis.

2° In aliis diebus quibus Anniversaria permittuntur, quum in iisdem etiam liceat Missas de *Requiem* quotidianas plures, sive solemnes, sive cantatas, sive privatas celebrare, patet, quod plures pro uno eodemque Anniversario celebrari poterunt Missæ de *Requiem* ; et si lectæ celebrantur, dicentur sicuti solemnes et cantatæ, cum unica Oratione de Anniversario.

Q. 362. *Quænam ex quatuor Missis de* **Requiem** *dicitur in Anniversario stricte sumpto ?*

R. 1° Si Anniversarium celebratur Papæ, Cardinalis, aut Episcopi, debet pro ipsis, — et si est Sacerdotis, potest pro ipso — sumi Missa prima ex quatuor quæ in Missali describuntur, nempe Missa inscripta : *In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum* (cfr. Q. 313), cum unica Oratione, quæ ipsorum dignitati conveniat (cfr. QQ. 321, B, 1 ad 4, et 325, 3°).

2° Pro reliquis fidelibus defunctis, in eorum Anniversario stricte sumpto dicitur Missa de *Requiem*, quæ tertio loco assignatur in Missali, et quæ inscribitur : *In Anniversario Defunctorum* (cfr. Q. 313) ; cum unica Oratione hujus Missæ : *Deus, indulgentiarum Domine : etc.* (cfr. Q. 321, A, 4).

Nota. 1. Hæc Oratio : *Deus, indulgentiarum Domine : etc.*, quam diceres verificari solummodo recurrente ipso die Obitus vel Depositionis defuncti, dicitur tamen in Anniversariis, quæ fundata sunt extra diem vere anniversarium ab obitu, vel depositione ; iste dies, certo determinatus in instrumento fundationis, censetur in casu annuus dies pro defuncto, ut fiat solemnis ejus tamquam proprii depositionis diei commemoratio.

Dicta patent ex sequenti S. Rituum Congregationis

Decreto : Ad dubium : « In Anniversariis stricte sumptis laicorum, quæ fundata sunt extra diem vere anniversariam ab obitu vel depositione, potestne sumi Oratio : *Deus, indulgentiarum Domine ?* » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 353.)

Nota. 2. Si Anniversarium, sive fundatum in die Obitus vel Depositionis, vel in alio determinato die, sive privatum ad petitionem viventium in vero die Obitus vel Depositionis, est liturgice impeditum (cfr. Q. 356), et anticipatur, vel transfertur in primum diem liberum (cfr. QQ. 358, 359), dicitur Missa ut supra, et nulla omnino mutatio facienda est pro Oratione. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1698, n. 2002, ad 11, antiq. 3477, ad 16.)

Si Anniversarium hujusmodi stricte sumptum anticipatur alio die quam primo libero, aut differtur ad diem ulteriorem quam primum liberum, non amplius pro Missa exstant privilegia Anniversarii (cfr. Q. 358), et celebrari debet Missa uti Missa quotidiana defunctorum ; potest sumi Missa tertia, vel quarta ; sed quæcumque sumatur, in ea, etiamsi cum solemnitate extrinseca aut in cantu celebraretur, dicendæ sunt tres Orationes, ut in Missa quotidiana Defunctorum (cfr. QQ. 324, 5°, et 325, 5°) ; et Oratio propria Missæ Anniversarii non potest dici.

§ 2. De Anniversariis late sumptis

Q. 363. *Quid sunt Anniversaria late sumpta ?*

R. Anniversaria late sumpta vocantur illæ Missæ de *Requiem*, quæ celebrari solent a Religiosis communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis, semel in anno, die fixo vel mobili ad libitum, etiamsi iste non sit anniversarius ab obitu.

Anniversariis late sumptis admunerantur etiam et æquiparantur illæ Missæ de *Requiem*, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum locum habent. (Cfr. Q. 329.)

Hujusmodi Anniversaria late sumpta permittuntur de speciali gratia, uti declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum Generale, 2 Decembris 1891 (n. 3753, ad V ; cfr. Q. 354, Nota). Ipsa aliquantum participant de privilegiis Anniversariorum stricte dictorum, ut ex sequentibus Quæstionibus patebit.

Nota. Data definitio etiam jure applicari potest Missis de *Requiem*, quæ, optante Archiepiscopo nostro (cfr. Litteræ Emi Dñi Engelberti, Card. Sterckx, Archiep. Mechlinien., 7 Octobris 1874, quotannis in fine Directorii insertæ), in multis Ecclesiis Diœceseos, singulis annis cantantur, sumptibus fabricæ, pro benefactoribus Ecclesiarum ; necnon illis, quæ, ex consuetudine, in multis Ecclesiis, quotannis pro defunctis clericis, et benefactoribus, vel parochianis cantantur. (Cfr. Collationes Brugenses, III, 1898, pag. 592.)

Q. 364. *Quibus diebus prohibentur Anniversaria late sumpta ?*

R. I. Anniversaria late sumpta prohibentur omnibus et iisdem diebus, quibus prohibentur Anniversaria stricte sumpta (cfr. Q. 356) ; et insuper in Festis duplicibus majoribus.

Permittuntur ergo Missæ de *Requiem*, pro Anniversariis late sumptis, in omnibus Festis duplicibus minoribus, excepto Festo S. Silvestri, 31 Decembris, ut dictum fuit Q. 356.

II. Quoad illa Anniversaria late sumpta, quæ pro fidelium pietate infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum locum habere possunt, notandum est quod adeo præcise adstricta sunt ad dictam Octavam, ut aliis temporibus quibuscumque extra hanc Octavam non permittantur. (Decret. S. Rituum Congregationis 28 Aprilis 1902, ad 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ XVI, 1902, pag. 354.)

Q. 365. *An Anniversaria late sumpta gaudent, in casu impedimenti liturgici, privilegio anticipationis, vel translationis in primum diem liberum ?*

R. Cum pro Anniversariis late sumptis quotannis libere eligi possit dies in quo celebrentur, ratio in tali

casu non videtur existere, ut ipsis tribuatur aut applicetur privilegium anticipationis, vel translationis in primum diem liberum.

Attamen, si forsan alicubi pro singulis annis determinatus haberetur dies in quo celebraretur Anniversarium late sumptum, tunc in casu impedimenti liturgici accidentali, ex. gr., si dies determinatus occurreret aliquo anno in Dominicam, privilegium anticipationis, vel translationis in primum diem liberum, quod tribuitur Anniversario stricte sumpto (cfr. Q. 358), non perperam posse applicari Anniversario late sumpto videtur.

Q. 366. *Quid notandum est de solemnitate Missæ in Anniversariis late sumptis ?*

R. Ut Missa de *Requiem* pro Anniversariis late sumptis licite valeat celebrari in Festis duplicibus minoribus, debet omnino celebrari cum solemnitate extrinseca, aut in cantu. Missa lecta nullis gaudet privilegiis, et tantum permittitur iis diebus, quibus permittuntur Missæ quotidianæ de *Requiem*.

Q. 367. *Quænam ex quatuor Missis de* **Requiem** *dicitur in Anniversariis late sumptis ? Quid dicendum est de Oratione ?*

R. Pro Anniversariis late sumptis potest sumi Missa de *Requiem* tertia, quæ inscribitur : *In Anniversario Defunctorum*.

Pro Oratione notandum est :

1° Quia hujusmodi Missa, ex Decreto S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896 (cfr. Q. 323, I), talis est quæ intrinsece etiam solemnis habetur pro defunctis (cfr. Q. 324, 3°), nempe celebrata sub ritu qui duplici respondet, ita ut si Officium Defunctorum recitaretur occasione hujus Missæ, id fieret sub ritu duplici, cum duplicatione Antiphonarum Officii, etc., ideo una tantum Oratio dicenda est in Missa de *Requiem* pro Anniversariis late sumptis celebrata (cfr. Q. 324, 3°).

2° Oratio pro Anniversariis late sumptis non potest sumi ea quæ in tertia Missa describitur pro ipso die Anniversarii stricte dicti ; non congruit enim, nec ve-

rificatur hæc Oratio in Anniversariis late sumptis ; sed sumitur una ex Orationibus diversis pro pluribus defunctis ; scilicet : vel Oratio pro defunctis Episcopis et Sacerdotibus, si pro ipsis Anniversarium celebratur (cfr. Q. 321, B, 2) ; vel Oratio pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus (cfr. ibid. n. 9), vel una alterave ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (cfr. ibid. nn. 11, 12), vel Oratio pro omnibus Fidelibus defunctis (cfr. ibid. A, 1). — Infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum vero, si pro uno defuncto celebratur Anniversarium late sumptum, dicitur Oratio conveniens pro defuncti dignitate vel qualitate (cfr. ibid. nn. 1 ad 8).

§ 3. De Missis quæ aliquando Anniversaria vocantur, sed talia non sunt

Q. 368. *Indica quædam Anniversaria, vulgo ita nominata, quæ nullum privilegium habent. Quid pro his faciendum est ?*

R. I. Non raro fit, quod pro defunctis Missæ fundantur, vel petuntur, sub nomine Anniversarii, quæ dotes et qualitates Anniversarii, tum stricte, tum late dicti non habent.

Talia sunt Anniversaria fundata, non pro die obitus, neque pro alio certo et determinato die, sed celebranda in tali aut tali mense, circa tale aut tale Festum ; etiam fundata sine aliqua præfixione dierum, et prorsus indeterminata quoad diem celebrationis.

Talia sunt etiam Anniversaria non fundata, petita a consanguineis, aut amicis, non recurrente die obitus, vel depositionis, sed circa redeuntem obitus diem, determinatum juxta petentium commoditatem.

Tales fundationes, tales Missæ carent notis Anniversarii, tum stricte, tum late dicti ; et non possunt vocari Anniversaria, neque stricte neque late.

II. Rubricæ et Decreta quæ Anniversariis privilegia concedunt, hujusmodi Missis, vel fundatis vel petitis, non favent ; de iis enim lex omnino silet ; ipsæ assimilantur ergo Missis de *Requiem* quotidianis, quarum normas debent sequi.

Consequenter sine Indulto celebrari nequeunt, nisi iis diebus quibus Missæ privatæ, seu quotidianæ de *Requiem* permittuntur. Ita S. Rituum Congregatio rescripsit, quod « Missæ cantatæ de *Requiem*, a defunctis relictæ sine præfixione dierum, debent celebrari diebus a Rubrica permissis. » (Decret. 23 Augusti 1766, n. 2482, antiq. 4336, ad 1.)

Missa de *Requiem* tertia, pro Anniversariis inscripta, potest quidem sumi ; Orationes vero in his Missis requiruntur tres, ut in Missis de *Requiem* quotidianis ; et non potest primo loco dici Oratio ex tertia Missa pro Anniversario ; hæc enim in casu non congruit ; sed debet pro prima Oratione sumi Oratio, vel pro defuncto, vel pro defuncta, vel pro defunctis, quæ magis convenit, sicuti pro Missis quotidianis præscribitur quando celebrantur pro defunctis determinatis. (Cfr. Q. 325, 5°.)

ARTICULUS VI

DE MISSIS DEFUNCTORUM QUOTIDIANIS

Q. 369. *Quænam Missæ de* Requiem *vocantur « quotidianæ Defunctorum » ? Quis est earum ritus ?*

R. I. Missæ **quotidianæ Defunctorum** vocantur illæ Missæ de *Requiem* quæ celebrantur, sive cum solemnitate extrinseca, sive in cantu, sive privatim, extra dies solemnes seu privilegiatos Defunctorum ; scilicet extra diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, diem Obitus seu Depositionis, diem tertium, septimum et trigesimum, diem Anniversarii, vel stricte vel late sumpti, et diem quo celebratur Missa post acceptum nuntium de alicujus obitu. (Cfr. Q. 312.)

Aliquando in Rubricis et in Decretis, ac apud auctores, istæ Missæ vocantur etiam Missæ de *Requiem* privatæ ; intellige, respectu earum quæ in diebus solemnibus seu privilegiatis celebrantur ; non autem quasi privatim absque solemnitate extrinseca aut cantu forent celebrandæ ; nam, ut dictum fuit, solemniter et in cantu celebrari possunt, etiamsi sensu exposito privatæ sint ; quemadmodum illæ quæ in diebus Defuncto-

rum solemnibus celebrantur, etiamsi aliquando possint tantum legi seu privatim celebrari, nihilominus aliquo modo, scilicet intrinsece, solemnes vocantur et sunt.

II. Jam dictum fuit (Cfr. Q. 312), Missas istas quotidianas Defunctorum censeri ritus simplicis; dum aliæ, quæ dicuntur in diebus Defunctorum solemnibus, censentur esse ritus duplicis. Et quando occasione earum celebrationis dicendum est Officium Defunctorum, recitatur hoc Officium absque duplicatione Antiphonarum, aliisque observandis pro diebus Defunctorum solemnibus.

Q. 370. *Quibus diebus prohibentur istæ Missæ quotidianæ Defunctorum?*

R. Missæ de *Requiem* quotidianæ, seu privatæ prohibentur sequentibus diebus:

1° In Festis duplicibus quibuscumque;

2° in Dominicis omnibus;

3° infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi;

4° in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes;

5° *a*) in Feriis privilegiatis, quæ sunt Feria quarta Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ Sanctæ;

b) in Feriis Rogationum, scilicet II, III, et IV ante Festum Ascensionis Domini; non generatim, sed in iis Ecclesiis in quibus fit Processio, et in quibus præter Parochum nullus alius adest Sacerdos; quia ibi Parochus tenetur exsequi Officium Rogationum.

Insuper in Ecclesiis ubi fit Statio in Processione Rogationum, etiamsi per Decreta non prohibeatur, tamen non convenit, die Stationis celebrare Missas de *Requiem* quotidianas. (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 11 Aprilis 1864, n. 404; cfr. Votum Consultoris in Ephemeride: Acta Sanctæ Sedis, I, 1865, pag. 42.)

6° Exposito SS. Sacramento, ad Altare Expositionis; et SS. Sacramento solemniter exposito, seu ob publicam causam, ex. gr., in Adoratione perpetua, vel tempore Orationis quadraginta Horarum, ad omnia Altaria Ecclesiæ.

Nota. Permittuntur itaque Missæ de *Requiem* quotidianæ :

1° In Festis ritus semiduplicis et simplicis ; sub quo nomine Festorum etiam intelliguntur Officia Votiva per annum, quando sunt ritus semiduplicis ;

2° in diebus infra Octavas omnium Octavarum communium ; quando Officium fit de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici ;

3° in Vigiliis minoribus ;

4° in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatæ : cum exceptione tamen particulari supra indicata pro Feriis Rogationum.

Numerus dierum per annum, in quibus permittuntur Missæ quotidianæ Defunctorum, singulis annis differt, ratione mutationis annuæ Litteræ Dominicalis, et ratione mobilitatis Festi Paschatis seu potius Cycli Paschalis. In Kalendario Archidiœcesis Mechliniensis computantur dies liberi per annum circiter 80 ; qui numerus in variis Diœceseos locis minor etiam aliquando erit, ratione Festorum particularium, ex. gr., Patroni aut Titularis, quæ ibi celebrari debent.

Q. 371. *Quæ Missa de* **Requiem** *sumitur pro Missis quotidianis Defunctorum ?*

R. Pro quotidianis Missis, seu pro omnibus Defunctorum Missis, quæ aliis diebus celebrantur quam iis qui pro Defunctis solemnes seu privilegiati sunt, sumitur ex quatuor Missis de *Requiem* quæ in Missali describuntur, Missa quarta, quæ inscribitur : *In Missis quotidianis Defunctorum* (cfr. Q. 312). Attamen in eis poterit observari quod dicit Rubrica specialis posita post hanc Missam, scilicet : Epistolas et Evangelia ex aliis tribus Missis similiter in hac quarta dici posse (cfr. Q. 315).

Q. 372. *Quot, et quæ Orationes, et quo ordine dicendæ sunt in Missis quotidianis Defunctorum ?*

R. « In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures sunt dicendæ Orationes, quarum prima est pro Defuncto, vel Defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ in Missali habentur, secunda ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis.

« Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendæ, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptæ.

« Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Ora-

tiones Celebranti placuerit recitare,..... id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato. »

Ita præscribit Rubrica Missalis Romani (Tit. V, n. 4), reformata 11 Decembris 1897, post Decretum S. Rituum Congregationis diei 30 Junii 1896 (n. 3920).

Ulterior hujus Rubricæ expositio, pro Orationibus in Missis quotidianis de *Requiem*, data fuit Q. 324, 5° et 6°, et Q. 325, 5° et 6°.

Q. 373. *Quid notandum est de Missis de* **Requiem**, *quæ celebrantur in sepulcretorum Sacellis ?*

R. I. Romæ, in Italia, et in quibusdam aliis regionibus, non raro construuntur in sepulcretis, seu cœmeteriis parva Sacella super sepulchrum alicujus particularis defuncti, aut super sepulchrum commune alicujus familiæ, vel Religiosæ communitatis ; munita Altari portatili, in legitima distantia a cadavere disposito ; quæ Sacella sunt Oratoria privata, usui publico non aperta, in quibus membra familiarum possunt assistere Sacrificio inibi celebrato ex Indulto particulari.

Per Decretum 19 Maji 1896, ratum habitum et confirmatum 8 Junii 1896 (n. 3903), S. Rituum Congregatio, ad juvamen fidelium defunctorum, et ad spirituale solatium vivorum, quoad Sacella particularia decrevit :

« In quolibet Sacello sepulcreti, rite erecto vel erigendo, Missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse de *Requiem*, diebus non impeditis a Festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominicis, aliisque Festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis. »

Notandum est, quod per hoc Decretum non datur permissio celebrandi Missas in quocumque Sacello sepulcreti ; sed conceditur in hujusmodi Sacello, rite erecto vel erigendo, Missas lectas, quæ inibi jam ex Indulto particulari celebrari permittuntur, quibusdam diebus posse celebrari de *Requiem*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 681.) Missæ inibi non possunt celebrari nisi lectæ, cum hæc Sacella, uti dictum jam fuit, sint Oratoria omnino privata.

Privilegium igitur in hoc consistit, quod, dum Missæ quotidianæ de *Requiem* prohibentur in aliis Ecclesiis et locis, in Festis duplicibus majoribus et minoribus, permittuntur celebrari lectæ in Sacellis sepulcretorum, in iisdem Festis, dummodo Indultum celebrationis Missarum sit concessum.

Cæterum, Missæ de *Requiem* inibi celebratæ, nisi dicantur in diebus solemnibus seu privilegiatis Defunctorum, sunt ritus simplicis, sicut Missæ quotidianæ Defunctorum, et iisdem ac istæ regulis omnino reguntur, quoad numerum, qualitatem, et ordinem Orationum.

II. In nostra Diœcesi rarissima sunt hujusmodi particularia Sacella, de quibus supra agitur ; sed in quibusdam ex nostris cœmeteriis, quæ non existunt circa aut juxta parochiales Ecclesias, constructum reperitur ad usum cœmeterii Oratorium quoddam, quasi dependentia cœmeterii, in quo nonnumquam exstat etiam Altare portatile, et ex Indulto speciali possunt Missæ celebrari.

Per Decretum 12 Januarii 1897, rescripsit S. Rituum Congregatio, quod privilegium circa Missas lectas de *Requiem*, concessum Sacellis sepulcreti, favet etiam Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti. Ibi igitur quoque poterunt legi Missæ de *Requiem* in Festis duplicibus majoribus et minoribus.

Non autem favet dictum privilegium illis Ecclesiis vel Cappellis, quæ extra cœmeterium sunt constructæ, et subter quas ad legitimam distantiam, nempe unius metri ab altari, alicujus defuncti cadaver quiescit. (Decret. 12 Januarii 1897, n. 3944, ad 1.)

Neque favet ipsis Ecclesiis parochialibus quæ circumjacens habent cœmeterium parochiale. (Decret. 28 Aprilis 1902, ad II ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 353.)

ARTICULUS VII

DE INDULTO CANTANDI MISSAS DE « REQUIEM » ETSI RITUS DUPLEX OCCURRAT

Q. 374. *Quodnam Indultum concessum fuit 11 Julii 1872 Diœcesi Mechliniensi, pro celebrandis Missis de* **Requiem** *?*

R. Concessum fuit Indultum, cujus vigore licet, tribus in hebdomada vicibus, cantare (non autem legere) Missam de *Requiem*, etsi ritus duplex occurrat ; exceptis Festis duplicibus 1 et 2 classis, Festis de præcepto servandis, Feriis privilegiatis, Vigiliis privilegiatis, et Octavis privilegiatis.

Intelligendum est Indultum hoc sensu, quod tribus diebus diversis licet cantare **Missas plures** de *Requiem*, ut e sequentibus patebit.

Q, 375. *Pro quibus Ecclesiis, sub qua conditione, et qua de causa concessum fuit hoc Indultum ?*

R. I. Ecclesiæ pro quibus Indultum concessum fuit, sunt Ecclesiæ parochiales Diœcesis, aliæque, quæ in parochialium subsidium jure sepeliendi fideles laicos gaudent ; intelliguntur autem Ecclesiæ non tantum tempore concessionis existentes, sed et postea erectæ et erigendæ.

II. Conditio addita fuit, quod peculiaria hujus generis Indulta, aliquibus ex prædictis Ecclesiis forsan concessa, abrogata remaneant.

III. Causa allegata fuit, ut in iisdem Ecclesiis satisfieri queat oneribus, tum fixis, tum adventitiis, Missarum pro Defunctis, cum in Kalendario Archidiœceseos fere nulli inveniantur dies liberi in quibus cani possint prædictæ Missæ. (Cfr. Q. 370, in fine Notæ.)

Q. 376. *Utrum licet cantare Missas de* **Requiem** *tribus diebus ritus duplicis, etiamsi in hebdomada occurrant Festa seu Officia, in quibus Missæ hujusmodi per se possunt celebrari ?*

R. Pluribus Decretis declaravit S. Rituum Congregatio, Indulta hujusmodi eo sensu concedi, ut liceat in unaquaque hebdomada determinare dies tres, modo tot occurrant præter exceptos, etiamsi in eadem illa hebdomada reliqui tres dies ex iis essent qui Missas quotidianas de *Requiem* admitterent. (Cfr. Decreta 18 Decembris 1878, n. 3472, antiq. 5756, ad 1 ; et 15 Aprilis 1880, n. 3514, antiq. 5808.)

Exemplum : Si in aliqua hebdomada occurrerent Festa semi-

duplicia, aut dies infra Octavam communem, quæ per se Missas de *Requiem* quotidianas admittunt, in Feria V, Feria VI et Sabbato ; et si in eadem hebdomada Feriis II, III et IV celebrarentur Festa duplicia majora vel minora ; licebit, nonobstantibus tribus diebus liberis pro Missis de *Requiem*, determinare istas Ferias II, III et IV, pro Missis de *Requiem* vi Indulti cantandis. Unde in hoc casu, per totam hebdomadam hujusmodi poterunt quotidie Missæ de *Requiem* cantari, et tribus ultimis diebus etiam legi.

Q. 377. *Utrum die ritus duplicis plures Missæ de* **Requiem** *cantari possunt in eadem Ecclesia ?*

R. Ad hujusmodi quæsitum Episcopi Tarentasiensis in cujus Diœcesis Ecclesiis permittitur tribus vicibus in hebdomada cantare **Missas** de *Requiem*, S. Rituum Congregatio respondit, posse in die ritus duplicis plures Missas de *Requiem* cantari in eadem Ecclesia. (Decret. 18 Decembris 1878, n. 3472, antiq. 5756, ad 2.)

Quæ responsio pro nostra Diœcesi etiam admittenda est, etiamsi tenor Indulti Mechliniensis omnino idem non sit, cum in eo dicatur licere cantare tribus vicibus **Missam** de *Requiem* ; cujus sensus sequens exponitur in Conferentiis ecclesiasticis Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1880 (ex Liturgia Q. I) : « Vox Missa in rescripto Mechliniensi non sumitur restrictive pro una Missa, sed collective pro Missis quæ eo die in Ecclesia cantantur. »

Q. 378. *An Indultum hoc locale est, an personale ? Quomodo in praxi erit agendum pro determinandis diebus, in quibus Missæ de* **Requiem** *vi Indulti poterunt cantari ?*

R. I. Indultum hujusmodi certo locale est, non personale ; datum est enim Ecclesiis, non Sacerdotibus, licet indirecte ipsis faveat. Non enim conceditur singulis Sacerdotibus, ter per hebdomadam, in diebus liberis, ad suum libitum eligendis, cantare Missam de *Requiem*, ita ut, ubi duo in una Ecclesia sunt, unus Indulto frueretur Feriis II, III et IV, alter Feriis sequentibus ; nam eo modo haud tribus tantum, sed et sex diebus cantaretur Missa de *Requiem*, quod contra Indultum esse nemo non videt. Sed conceditur Indultum Ecclesiis, in quibus, quotquot adsunt Sacerdotes, possunt cantare Missam de *Requiem*, tribus diebus hebdomadæ

liberis, qui pro singulis Ecclesiis hebdomadatim determinandi erunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, V, 1891, pag. 507.)

II. Pro praxi, Parochi seu Rectoris cujusque Ecclesiæ Indulto gaudentis officium erit, singulis hebdomadis determinare, qui sunt dies, quibus in hac Ecclesia Indultum applicabitur, et in quibus omnes Sacerdotes ibi celebrantes poterunt Missas de *Requiem* solemniter vel in cantu celebrare.

Q. 379. *Quænam ex quatuor Missis de* **Requiem** *sumitur pro Missis cantandis vi hujus Indulti? Quæ regula statuenda est pro Orationibus? Quæ pro Sequentia?*

R. I. Missæ de *Requiem* quæ possunt cantari vi hujus Indulti, ut patet, non sunt de illis, quæ in diebus solemnibus seu privilegiatis Defunctorum celebrantur; ergo sumitur Missa quarta, seu quotidiana, cum facultate cantandi Epistolas et Evangelia ex una trium reliquarum Missarum. (Cfr. Q. 371.)

II. Orationes in istis Missis cantari debent tres, et plures non possunt cantari; earum prima erit pro Defuncto, vel Defunctis, certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur; secunda ad libitum Celebrantis; tertia pro omnibus Fidelibus Defunctis.

Si vero pro Defunctis in genere Missæ hujusmodi celebrentur, Orationes tres dicendæ sunt, quæ pro Missis quotidianis in quarta Missa de *Requiem* prostant, eodemque ordine, quo ibidem sunt descriptæ (cfr. Q. 372).

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 20-38.)

III. Quia istæ Missæ debent esse cantatæ, in eis semper dicenda est Sequentia *Dies iræ*. (Cfr. Q. 326.)

ARTICULUS VIII

DE MISSIS DE « REQUIEM » TEMPORE EXPOSITIONIS SS. SACRAMENTI

Q. 380. *Expone diversas regulas de celebrandis Missis de* **Requiem** *tempore Expositionis SS. Sacramenti.*

R. 1° **In omni Altari in quo exponitur SS. Sacramen-**

tum, sive publice in Ostensorio, sive privatim in Pyxide velata, quæcumque Missa de *Requiem* omnino prohibetur toto tempore quo Expositio perdurat. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Junii 1873, n. 3302, antiq. 5551, ad 2.)

2° Quando SS. Sacramentum **exponitur ob gravem causam et publicum Ecclesiæ bonum,** prohibentur Missæ de *Requiem* ad omnia Altaria Ecclesiæ, sive Expositio fiat publica in Ostensorio, sive fiat privata in Pyxide velata ; quia, ait Gardellini (*Commentaria in Instructionem Clementis XI*, § 17, n. 4), publica concurrente causa, « Expositio, quocumque modo fiat, semper aliquam solemnitatem habet. » (Cfr. Decreta 7 Maji 1746, n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 9 ; et Decret. 28 Aprilis 1902, ad 14, apud Ephemerides Liturgicas, XVI, 1902, p. 356.)

3° Quando SS. Sacramenti **Expositio fit ex causa privata, et modo tantum privato, in Pyxide velata,** in aliis Altaribus et Cappellis Ecclesiæ, excepto Expositionis Altari, Missæ de *Requiem* celebrari possunt.

4° Quando SS. Sacramentum **expositum est solemnissime, pro Oratione XL Horarum seu Adoratione perpetua,** in omnibus Ecclesiæ Altaribus prohibentur quæcumque Missæ de *Requiem*. « Dedecet enim, ait Gardellini (loco citato, n. 1), quod cum lugubri apparatu celebrentur Defunctorum Missæ, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, præsertim quia in his haud adjici potest Commemoratio Sacramenti, quam in Missis privatis omnibus, si per Rubricas liceat, Instructio Clementina demandat. » (Cfr. Decret. 19 Junii 1875, n. 3357, antiq. 5613, quo antiquiora Decreta minus severa emendantur.) — Quod attinet ad Missam diei Obitus, quæ tot privilegiis gaudet, etiam hæc, juxta citatum Decretum non permittitur in Ecclesiis in quibus hæc Expositio peragitur : in Ecclesias non, nisi Sacramento reposito, cadavera debent inferri, et exsequiæ vel anticipari vel differri debent ; et quando necessitas cadaver in Ecclesiam inferri cogeret, tumulari debet privatim, et absque solemnitate ulla, adeoque et sine Missa. (Gardellini, loco citato, n. 8.)

5° Quando SS. Sacramentum **expositum est minus**

solemniter in Ostensorio, sub Throno, extra Orationem XL Horarum seu Adorationem perpetuam, etiam, juxta Schober (*S. Alphonsi Liber de Cæremoniis Missæ ;* Appendix IV, de Missis pro Defunctis, C. I, n. 4), « in omnibus Ecclesiæ Altaribus Missæ de *Requiem* prohibentur, quia hæc Expositio semper habet aliquam solemnitatem, ut ipse Expositionis modus demonstrat, cui etiam sæpe conjungitur publica causa, et mandatum seu saltem licentia Episcopi. » Consuetudo tamen in variis nostris Ecclesiis viget, ut Missæ de *Requiem* privatæ celebrentur ad alia Altaria, quando SS. Sacramentum detectum seu publice exponitur per parvum tempus, puta, tempore unius alteriusve Missæ, et causa Expositionis non est publica ; et hujusmodi consuetudini favet Decretum 7 Maji 1746 (n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 9) ; quando autem expositum foret majori cum solemnitate, eadem fere ratione quam in Precibus XL Horarum, aut in perpetua Adoratione, aut in similibus, ex. gr., per totum mane ad Altare principale, talis consuetudo celebrandi Missas de *Requiem* certo non posset probari.

ARTICULUS IX

DE OBLIGATIONE DICENDI MISSAS DE « REQUIEM »

Q. 381. *An Sacerdos, ratione fundationis, vel accepti stipendii obligatus ad Missas pro Defunctis celebrandum, tenetur celebrare Missas de* Requiem, *vel an obligationi satisfacit dicendo Missam Officio Divino quod recitavit conformem?*

R. Prænotatur, quod hic agitur tantum de Missis privatis, seu quotidianis pro Defunctis ; non autem de Missis privilegiatis in diebus solemnibus Defunctorum, quæ necessario de *Requiem* celebrari debent.

Ad tria attendendum est, ut determinari valeat quæ sit Celebrantis obligatio : 1° an ritus Officii diei permittat celebrare Missas de *Requiem* ; 2° an ille qui stipendium dedit, expresse roget dici Missam de *Requiem* ; 3° an Missa celebranda sit in Altari privilegiato.

I. In Festis Duplicibus, aliisque diebus quibus Missæ quotidianæ de *Requiem* prohibentur, si ex petentium

aut benefactorum desiderio, aut præscripto Missa tali determinato die pro Defunctis celebranda sit, minime transferri debet, sed satisfacit Celebrans dicendo Missam conformem Officio diei cum applicatione Sacrificii pro Defunctis, sive Missam petens rogaverit dici Missam de *Requiem*, sive non, « ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit », ut dicit S. Rituum Congregatio in Decreto generali 5 Augusti 1662 (n. 1238, antiq. 2178). Et si Missa celebranda est in Altari privilegiato, etiam satisfacit.

Similiter quando Sacerdoti offeruntur stipendia pro numerosis Missis pro defuncto, vel defuncta, vel defunctis, intra tempus ordinarie concessum dicendis, satisfacit celebrando in hujusmodi diebus Missas Officio diei conformes, cum applicatione Sacrificii pro Defunctis.

II. In diebus quibus per Rubricas licet celebrare Missam de *Requiem*, Celebrans, obligatus ad Missam pro uno, vel pro pluribus Defunctis, satisfacit quidem celebrando Missam Officio conformem ; consultius tamen est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam de *Requiem* ; ast si ille qui stipendium dedit aut reliquit, expresse rogaverit ut Missa de *Requiem* celebretur, hæc omnino de *Requiem* celebrari debet ; quia expressa voluntas testatorum vel postulantium, modo sit rationabilis, et adimpleri possit, omnino adimpleri debet.

Juvat hic describere duo quæ S. Rituum Congregatio hac super re dedit Decreta.

1. Ad dubium : « Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicujus Mysterii, Beatæ Mariæ Virginis, vel Sancti ; satisfacitne obligationi suæ Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative ; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requie, vel votivam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 4.)

2. Ad dubium : « Sacerdos obligatus, sive ex fundatione sive ex stipendio accepto, ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, satisfacitne suæ obligationi, applicando pro iisdem defunctis Missam Officio diei conformem in Semidupli-

cibus aliisque diebus Missas quotidianas de Requie permittentibus, vel tenetur dictis diebus celebrare Missam de Requie, etiamsi fundator, vel dans eleemosynam, Missam de Requie expresse non postulaverit, nec Missa celebranda sit in Altari privilegiato ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Detur Decretum N. 4031, *Plurium Diœcesium,* 13 Junii 1899 ad IV. » (Decret. 28 Aprilis 1902, ad 15 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 356.)

III. Si pro Defuncto Missa est celebranda in Altari privilegiato, necessario requiritur Missam dici de *Requiem,* ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati, iis diebus quibus Missa de *Requiem* permittitur. (Cfr. Theologia ad usum Seminarii Mechliniensis, *Tractatus de Indulgentiis,* n. 15, Q. 4.)

Item Sacerdos qui obtinuit Indultum personale Altaris privilegiati, aut qui, facto heroico pro animabus Defunctorum actu, gaudet quotidie privilegio Altaris personali, debet diebus non impeditis celebrare Missam de *Requiem.* (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 24 Julii 1885.)

Excipitur tamen casus Missæ celebratæ in Altari privilegiato, conformis Officio Festi semiduplicis, aut ejusmodi quod Missas de *Requiem* non prohibet, ratione Expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis Ecclesiæ (in Rogationibus), vel alterius solemnitatis ; per quam lucrari potest Indulgentia, ac si celebraretur Missa de *Requiem.* (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 29 Februarii-11 Aprilis 1864, n. 404.)

Nota. I. Licet vero per Missam diei in quibusdam casibus, ut supra dictum fuit, satisfiat obligationi Missæ pro Defunctis, per se tamen Missa de *Requiem* Defunctis magis prodest quam Missa de die, juxta illud S. Thomæ : « Ex parte Sacrificii Missa æqualiter prodest Defuncto, de quocumque dicatur ; ex parte tamen Orationum, magis prodest illa, in qua sunt Orationes ad hoc determinatæ. » (In 4, Dist. 45, Quæst. I, Art. 3, Q. 1 ad 1.)

Nota. II. Placeat nosse sequens rescriptum S. Rituum Congregationis relative ad casum quo Missa pro defunctis non celebretur de *Requiem.* Ad dubium : « An diebus quibus prohibetur Missa de Requie, possit celebrari Missa de Festo currenti pro anima alicujus de-

functi, sed dato prius lugubri signo pro eadem Missa cum ære campano ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, quoad sonitum lugubrem æris campani. » (Decret. 18 Martii 1899, n. 4015, ad 7.)

Q. 382. *An Sacerdos per Missam de* Requiem *satisfacit obligationi, dum nescit utrum intentio fuerit pro vivis, an pro defunctis ?*

R. Non raro fideles disponunt, post mortem dicendas esse Missas ad intentionem dantis ; et nescitur utrum intentio fuerit pro vivis, an pro defunctis. Refertur Decretum S. Rituum Congregationis (in una Hierosolymitana, 29 Novembris 1856), quod in Collectione authentica Decretorum non invenitur quidem, revera tamen existit. (Schober, *S. Alphonsi Liber de Cæremoniis Missæ*, Appendix V, Caput II, n. 6.) Sequentis est tenoris : « An liceat Sacerdotibus celebrare Missam de *Requiem*, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quænam sit illius intentio, pro defunctis, necne ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Affirmative. » (Cfr. Q. 322, 7°.)

APPENDIX

DE CONFORMITATE MISSÆ CUM OFFICIO, CUM DICITUR MISSA IN ECCLESIA ALIENA

Q. 383. *Explica quomodo Sacerdos, qui persolvit Officium Kalendarii sui proprii, nonnumquam rationem habere debet Officii proprii occurrentis in loco ad quem accedit pro Missæ celebratione.*

R. In Sectione II hujus Tractatus expositæ fuerunt regulæ pro Missis quæ Officio quod Sacerdos persolvit non sunt conformes (cfr. Q. 17), vel ex eo quod Missæ celebrandæ sunt de *Requiem*, pro defunctis (cfr. Caput II) ; vel ex eo quod, etsi non sint de *Requiem*, non correspondent Horis Canonicis a Sacerdote qui eas celebrat recitatis ; idque ex voto aut debito ipsius Sacerdotis, vel ex voto aut voluntate ejus qui hujus-

modi Missas Officio non correspondentes petit aut exigit (cfr. Caput I). Harum Missarum Officio non conformium, de *Requiem*, aut, ut vocantur, Votivarum, præscriptæ fuerunt regulæ, ratione quodammodo non habita Ecclesiæ in qua Sacerdos ipsas celebrat, vel potius, supposito quod Sacerdos eas in sua propria Ecclesia aut simili celebrat.

Sed et non raro Sacerdos non poterit quidem dicere Missam Officio quod recitavit, cujuscumque sit ritus, correspondentem ; scilicet, cum celebrat Missam in aliqua Ecclesia, in qua eodem die reperitur præscriptum Officium diversum ab eo quod ipse jam, suo proprio Directorio seu Kalendario præscriptum, persolvit.

Nemo nescit, pluribus per annum diebus diversa assignari Officia et Festa in Kalendariis diversarum Diœcesium, quia in una Diœcesi celebrantur quædam Festa Sanctorum particularia, quæ in alterius Diœcesis Kalendario adscripta non sunt ; imo, in una eademque Diœcesi, non paucis per annum diebus diversa esse Kalendaria diversarum Ecclesiarum particularium, propter celebrationem Sanctorum Patronorum in locis, et Titulorum Ecclesiarum in Ecclesiis ; unde in vicinis Ecclesiis diversa aliquando occurrunt Officia. Insuper, in civitatibus in quibus Regularium exstant Ecclesiæ, non pauci Sacerdotes Sæculares in his celebrant Missas, et in pluribus earum sæpe sæpius celebrantur Festa diversa ab iis de quibus Sæculares dixerunt Officium.

Ex sequentibus paucis exemplis hoc statim patebit :

Cum in Archidiœcesi Mechliniensi, 1 Julii, celebratur Festum diœcesanum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, duplex 1 classis, in omnibus vicinis Belgii Diœcesibus, Gandavensi, Tornacensi, Namurcensi, Leodiensi, eodem die assignatur Officium duplex de die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Deinde, in ipsa Archidiœcesi Mechliniensi plura sunt loca, plures sunt Ecclesiæ, quæ Patronos vel Titulares habent : S. Amandum, Episcopum et Confessorem, 6 Februarii ; — S. Lambertum, Episcopum et Martyrem, 17 Septembris ; — S. Martinum, Episcopum et Confessorem, 11 Novembris ; — S. Nicolaum, Episcopum et Confessorem, 6 Decembris.

Horum Sanctorum Festa cum ibi sint celebranda ritu duplici 1 classis cum Octava, eorum dies Octavæ, ritus duplicis, occurrent in diebus, quibus in Kalendario Diœcesano alia Festa

sunt assignata et celebrantur ; nempe : in die Octava S. Amandi, 13 Februarii, assignatur in Kalendario Diœcesano Festum semiduplex S. Raymundi de Pennafort, Confessoris ; — in die Octava S. Lamberti, 24 Septembris, celebratur in Diœcesi Festum duplex majus B. Mariæ V. de Mercede ; — in die Octava S. Martini, 18 Novembris, occurrit Festum duplex majus Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli ; — in die Octava S. Nicolai, 13 Decembris, adscribitur Festum duplex S. Luciæ, Virginis et Martyris. — In his casibus jam in diversis Ecclesiis diversa dicuntur Officia, et diversæ celebrantur Missæ.

Surgit statim quæstio, an, et quæ sit habenda ratio diversi hujusmodi Officii, a Sacerdote qui de uno persolvit Officium, et Missam celebrat in Ecclesia ubi de altero agitur, seu in ECCLESIA ALIENA, qualiter in casu vocatur.

Q. 384. *Quid docet Rubrica Missalis Romani de conformitate Missæ cum Officio ? Quomodo Rubrica hæc fuit usque ad annum 1895 intellecta ?*

R. In Rubricis Generalibus Missalis Romani legitur (in initio ante Tit. I) : « Missa quotidie dicitur secundum Ordinem Officii » ; et alio loco : « Quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat » (Tit. IV, n. 3). (Cfr. QQ. 15, 16.) Ast, ex præcedenti Quæstione jam intelligitur, quod, si Sacerdos Missam celebrat in sua cui adscriptus est Ecclesia, conformitas Missæ cum Officio profecto haberi potest ; sed si accedit Missam celebraturus ad aliam Ecclesiam cui adscriptus non est, aut si nulli Ecclesiæ proprie est adscriptus, fieri potest ut ibi aliud Officium occurrat cum sua correspondenti Missa ; cum quonam Officio in casu convenire debeat Missa, nempe, an cum Officio Celebrantis Missam, an vero cum Officio loci in quo Missam celebrat, Rubricæ silent, fortasse quia supponunt semper idem esse Officium Celebrantis, et loci in quo celebrat, seu ipsum Ecclesiæ in qua celebrat esse adscriptum.

Propositis hac super re dubiis respondere coacta, S. Rituum Congregatio Decreta plura evulgavit, quæ semper, usque ad annum 1895, exhibuere normam : Missam conformem esse debere Officio Celebrantis, nisi, aut Officii loci solemnitas, aut coloris Missæ discrimen, aut ritus Officii qualitas, præscriberent, vel per-

mitterent conformitatem Missæ cum Officio loci in quo celebratur.

Incommoda plura ex regula Decretorum derivabant, vel ex privilegiis pluribus Ecclesiis, præsertim Regularium, concessis; vel ex crescenti numero Missarum novarum, tum Sanctorum, tum Beatorum; vel ex eo quod, cum tanta hodiedum commeandi ac itinerum suscipiendorum et perficiendorum detur facilitas, tot jam accedant ad celebrandum Ecclesias Sacerdotes, qui eis adscripti non sunt, et diversum ab eis Officium dixerunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 16-26.)

Q. 385. *Refer Decretum S. Rituum Congregationis, 9 Decembris 1895, de conformitate Missæ cum Officio.*

R. Ad omnes difficultates evellendas, certasque normas tradendas, et ad uniformitatem obtinendam, pro sua sapientia, S. Rituum Congregatio censuit antiquum mutare principium, aliudque statuere, quod nunc ab omnibus Sacerdotibus utriusque Cleri, Sæcularis et Regularis, est tenendum. Etenim, hac super re, sequentem generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

« Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum; Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiæ vel Oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. »

« Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus præfatas Missas Rubricæ Missalis Romani, vel S. Rituum Congregationis Decreta prohibent. Die 9 Julii 1895. »

« Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in

contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 9 mensis Decembris anno 1895. » (Decret. n. 3862.)

Quod si hoc Decreto anteriora Decreta penitus sunt abrogata, doctrina itidem quæcumque, ab auctoribus hactenus tradita a fortiori non est retinenda, sed velut antiquata penitus est relinquenda.

Gaudendum indubie est, quod hac certa norma, in præsenti Decreto exhibita, unusquisque Sacerdos in posterum optime, atque sine ulla difficultate poterit in aliena Ecclesia aut Oratorio Missam ordinare et celebrare.

Q. 386. *Quænam sunt Ecclesiæ, vel Oratoria, in quibus a Sacerdotibus ibi celebrantibus Missa dici debet conformis Officio loci?*

R. I. Ecclesias primum recenset Decretum 9 Decembris 1895 ; quid sint, et quæ sint, in Jure Canonico traditur ; in nostra Diœcesi intelliguntur : omnes Ecclesiæ parochiales, in eis enim Ordo Officiorum pro Diœcesi, seu Directorium Diœcesanum observatur ; et Ecclesiæ Regularium utriusque sexus, in quibus observatur Ordo Officiorum proprius, seu Kalendarium proprium.

Itaque in Ecclesiis quibuscumque, sintve sæculares, sintve Regularium, omnes Sacerdotes in eis celebrantes, quicumque ipsi sint, tenentur Missam dicere conformem Officio Ecclesiæ in qua celebrant.

Nota. Nonnullæ Ecclesiæ Religiosarum Familiarum simul sunt parochiales ; aliæ vero Ecclesiæ parochiales ab Ordinario aliquando commissæ sunt personis privatis ad Religiosam Familiam pertinentibus. — Pro utroque casu dubia sequentia proposita S. Rituum Congregationi referri possunt, nimirum :

a) « In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur ne sequi Calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. »

b) « Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ,

etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissæ sunt? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. »

(Decret. 15 Decembris 1899, n. 4051, ad 2 et 3.)

II. Decretum recenset etiam Oratoria publica ; ea sunt « quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, januam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Januarii 1899, n. 4007.)

In his Oratoriis publicis, absque dubio, ab omnibus Sacerdotibus ibi celebrantibus, debet Missa dici conformis Officio loci ; nempe Officio Diœcesis, pro Oratoriis quæ non sunt Regularium proprio Kalendario gaudentium (nisi particulare Officium Patroni vel Titularis in ipsis servandum occurrat) ; et Officio Ordinis, pro Oratoriis Regularium utriusque sexus, qui proprium Kalendarium habent.

III. Quid dicendum est de Oratoriis semipublicis ? Hæc ea sunt, « quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt ; commodo tamen, non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his, sicut auctoritate Ordinarii Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. » (Decret. 23 Januarii 1899 supra citatum.)

Nota. S. Rituum Congregatio, volens postea hanc declarationem illustrare, rescribendum esse censuit : « Particulam Decreti generalis super Oratoriis semipublicis, n. 4007, diei 23 Januarii 1899 : *atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam*, intelligi posse de quibuscumque fidelibus, qui, assentiente Domino loci, et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad prædicta Oratoria, pro audienda Missa etiam in adimplementum præcepti festivi. » (Decret. 3 Augusti 1901. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 1, et Animadversiones super relato Decreto, ibidem pag. 2-5.)

Oratoria semipublica ad legem communem, quæ ex Decreto 9 Decembris 1895 constituitur, teneri, et Missas, quæ in ipsis celebrantur, debere esse conformes Officio Kalendarii quod in his Oratoriis servatur, jam certum et indubium est, ex Decreto S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896 (n. 3910), quo statuitur, quod Missæ quæ celebrantur in Cappellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum, debent respondere Kalendario loci, non vero Kalendario Celebrantis ; dummodo agatur de Cappella principali Communitatis, quæ instar Oratorii publici habenda est ad effectum Decreti 9 Decembris 1895.

Kalendarium loci, nisi quæstio sit de Oratoriis propriis Ordinum et Congregationum Regularium, quæ proprium Kalendarium habent, generatim intelligitur Kalendarium Diœcesis in qua Oratorium aliquod exstat, et quo pro Officiis et Missis Oratorium illud uti debet.

IV. Remanent Oratoria privata,qualia « stricto sensu dicuntur Oratoria, quæ in privatis ædibus, in commodum alicujus personæ, vel familiæ, ex Indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. » (Decret. idem 23 Januarii 1899.)

De Oratoriis privatis nihil dicit Decretum 9 Decembris 1895 ; et in eis Missa semper convenire debet cum Officio Celebrantis. Idem dicendum est de Oratorio non principali Communitatis Religiosæ.

Q. 387. *Quinam sunt Sacerdotes, qui se conformare debent Officio Ecclesiæ, vel Oratorii publici aut semipublici, in quibus celebrant ?*

R. Decretum 9 Decembris 1895 universos respicit

Celebrantes, ad quemcumque Clerum, sive Sæcularem sive Regularem, pertineant, et quacumque in Ecclesia, aut quocumque in Oratorio, publico vel semipublico, Missam celebrent.

Pro Regularibus speciatim declaravit S. Rituum Congregatio, quod, etiamsi color paramentorum pro Missa in Ecclesia in qua celebrant, sit idem ac sui Officii proprii, et nonobstantibus privilegiis ipsis concessis pro Missis propriis dicendis, debent ipsi se conformare, et comprehenduntur sub Decreto 9 Decembris 1895 edito. (Decret. 8 Februarii 1896, n. 3883.)

Item declaravit S. Rituum Congregatio, quod, ubi Sacerdos, Sæcularis aut Regularis, quoad Missæ celebrationem addictus est Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus quarumcumque piarum Communitatum, hic, si sit sæcularis, tenetur sequi Kalendarium Diœcesis, in qua exstat Oratorium ; et si Regularis, debet relinquere Kalendarium Ordinis, quatenus proprio gaudeat ; et si ibi aliquando celebrant extranei, hi debent se conformare Kalendario Sacerdotis ejusmodi Oratoriis addicti : dummodo Oratoria illa habenda sint ut publica ; secus vero non. (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 17.)

Addictus vero dicitur Oratorio Sacerdos, in hoc Decreto, quatenus in hujusmodi Oratorio celebrat, non tamquam Parochus, aut Rector, sed ex commissione Ordinarii ; nihilominus Oratorium pro ipso extraneum est.

Etenim ex eo quod aliqua Religiosa Familia onus suscipit, aliquem e suo gremio mittendi ad aliquod Oratorium publicum, vel semipublicum, alicujus servitii causa, puta pro Missa celebranda, non inferri potest, dictum Oratorium ejusdem Familiæ proprium vel quasi proprium evadere ; hoc tantum verificaretur, si Ecclesia, aut Oratorium, uti possit et debeat Kalendario Celebrantis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 164-166.)

Item declaravit S. Rituum Congregatio, quod Missæ, quæ celebrantur a Religiosis in Oratoriis piarum Sororum seu Religiosarum, quæ proprium Kalendarium non habent, conformes esse debent Kalendario

Diœcesano, non vero Kalendario Religiosorum ; et quidem petitum privilegium, quo Religiosi juxta suum Kalendarium celebrare valeant, non fuit concessum. (Decret. 17 Julii 1896, n. 3927, ad 1 et 2. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 93-98.)

Itaque Sacerdos, sive Sæcularis sive Regularis, celebrans, esto ex caritate, in Sacello piæ Congregationis, tenetur dicere Missam loci Kalendario conformem, si Cappella uti publica, aut semipublica tenenda est.

Q. 388. *Quænam Missa dicenda est, ut satisfiat præcepto Decreti de Missa in aliena Ecclesia ; et ad quasnam Missæ partes se extendit obligatio conformationis ?*

R. Prænotatur : Antiquitus Missæ propriæ, tum Ecclesiarum, tum Regularium, non poterant a Sacerdotibus extraneis, nequidem in his Ecclesiis, aut apud Regulares dici ; et, ubi aliquando, ratione normæ conformitatis tunc exstantis, de aliquo Sancto ab extraneis Missa erat dicenda, relicta Missa propria, quæ non inscripta erat in ipso proprie dicto Missali Romano, debebat ab extraneis dici Missa e Communi Sanctorum sumpta.

Magnum etiam erat incommodum antiquitus, quod Missæ de Beatis, quibusdam Diœcesibus, aut Regularibus concessæ, absque speciali Indulto, ab aliis Sacerdotibus extraneis non poterant celebrari ; ita ut in quibusdam casibus, diversi nempe coloris, Sacerdos extraneus ad celebrandum deberet in aliam Ecclesiam pergere.

I. Juxta Decretum 9 Decembris 1895, Sacerdotes Missam celebrantes in aliena Ecclesia, aut Oratorio, conformiter Officio hujus Ecclesiæ, vel Oratorii, debent Missam dicere sicuti præscribitur pro hac Ecclesia, vel pro hoc Oratorio ; et si propria est Missa, pro parte, vel pro toto, etiam pro Regularibus, omnes Celebrantes debent Missam propriam dicere.

Per Missas proprias intelliguntur illa Missarum formularia (cfr. Q. 13), quæ diversa in diversis Missis sunt, quarumque partes sunt : Introitus, Oratio, Epistola, Graduale cum suis adjunctis, Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio, Postcommunio ; quibus adjungi debet nonnumquam Præfatio.

Quod si alicui Ecclesiæ, aut Oratorio, etiam Regularium, indulta sit Missa de aliquo ex nondum Canonizatis, seu de Beato, omnes in eis celebrantes possunt et debent Missam de Beato dicere.

II. Conformitas requisita ad omnes et singulas Missæ partes sese extendit, et perfecta esse debet ; Decretum enim præscribit ut Sacerdotes Missas « omnino » celebrent Officio Ecclesiæ vel Oratorii conformes.

Inferes : Celebrantem in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico vel semipublico, teneri negligere omnino suum proprium Kalendarium, nec posse Officii sui proprium ritum considerare, sive simplex sit, sive semiduplex, sive duplex, imo etsi classicus.

